This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

1837
ARTES VERITAS SCIENTIA
LIBRARY OF THE
UNIVERSITY OF MICHIGAN
TUEBOR
SI QUAERIS PENINSULAM AMOENAM
CIRCUMSPICE

BR
828
.A6
D56
1773

UM



ANTVERPIA CHRISTO NASCENS.

J. C. V. Diercxsens inv. *P. Martenasie Sculp. 1771.*

ANTVERPIA
CHRISTO
NASCENS ET CRESCENS

SEU

ACTA

Eccleſiam Antverpienſem ejuſque Apoſtolos ac Viros pietate conſpicuos concernentia uſque ad ſeculum XVIII.

SECUNDIS CURIS

collecta & diſpoſita ac in VII. Tomos diviſa

A

JOANNE CAROLO DIERCXSENS,

S. T. L. Paſtore ad S. Elizabetham ibidem.

TOMUS I.

uſque ad annum 1300.

ANTVERPIÆ,
Apud *Joannem Henricum van Soeſt*, in plateâ dictâ de Cammer-ſtraet 1773.

PRÆFATIO.

DEus omnipotens Deus Clemens ab Initio creaturæ mirabilia ſua continuò manifeſtavit & ſucceſſu temporis ea conſcribi fecit, nè è memoriâ exciderent, & ut homines ea animo volventes inducerentur ad Deum creatorem ſuum debitè colendum; amandum; timendum eique continuò gratum animum exhibendum: *quæcumque enim ſcripta ſunt ad noſtram doctrinam ſcripta ſunt*, inquit Paulus Rom. 15. Conſcribi fecit & dictavit creationem mundi; lapſum hominis & punitionem; punitionem generis humani per diluvium; ſelectionem populi Iſraelitici & mirabilem deductionem ejus in terram promiſſam; cultum quem voluit, pietatem populi conferentis ad conſtructionem tabernaculi; pietatem Regum ad conſtruendum templum no-

mini ejus ac qualem cultum populus iſte exhibuerit. Hæc & ſimilia Patriarchæ & Prophetæ continuò in memoriam revocârunt populo, ut fidelis maneret Deo.

Sicut Deus inſtitutionem & progreſſum antiquæ legis conſcribi voluit, ſic & inſtitutionem & directionem novæ legis voluit conſcribi. Per Evangeliſtas conſcripta ſunt miſteria Incarnationis filii Dei & redemptionis generis humani, inſtitutio eccleſiæ & Sacramentorum in ea inſtitutorum ac documenta omnium virtutum, quarum memoria hominem excitat ad amorem & timorem & ad cultum exhibendum ei, qui nos ſic dilexit. Sic & SS. Patres progreſſum eccleſiæ conſcripſerunt, fidelitatem ejus in cultu divino & fortitudinem in debellando & reprimendo inſurgentes hæreſes. Ea omnia conſcripta ſunt, nè à memoria excidereat. Inde ſicut Patriarchæ, Moiſés, David & Prophetæ in veteri lege, ita Apoſtoli & ſucceſſores eorum in nova lege non ceſſârunt nec ceſſant omnia illa continuò inculcare, ut populus contineatur in debita reverentia erga Deum, eum colant, ament & timeant.

Sed hæc generalia ſunt & concernunt omnem hominem.

Quid

Quid ni in eumdem finem conducat memoriæ retinere beneficia cuique particulari collata; particularis cujuſque vocatio & directio; particularis eccleſiæ erectio & continuata ejus felix directio, quæ non procedunt niſi ab infinita bonitate Dei, qui taliter dilexit nos. Ad hoc quidem excitat Apoſtolus Paulus Eph. II. dicens gentibus converſis: *Memores eſtote, quod vos aliquando gentes . . . quia eratis in illo tempore ſine Chriſto . . . & ſine Deo in hoc mundo: nunc autem vos, qui aliquando eratis longè, facti eſtis propè in ſanguine Chriſti.* Similiter Apoſtolus Petrus I. Ep. cap. II. monet eos non tantùm, ut memores ſint, quod ſint *genus electum, regale ſacerdotium, gens ſancta* ſed notanter quod ſint *populus acquiſitionis.* Ad quid? niſi *ut virtutes annuntietis ejus, qui de tenebris vos vocavit in admirabile lumen ſuum?* Quomodo autem nos, qui ſimiliter ex gentibus vocati & converſi ſumus monitiones iſtas obſervabimus, ſi non continuò animo volvamus vocationem noſtram, quâ Deus miſericorditer nos è tenebris vocavit in admirabile lumen ſuum? Dein Apoſtolus Hebr. XII. non tantùm monet, ut aſpiciamus in auctorem fidei & conſumma-

torem Jeſum, ſed etiam, ut memores ſimus eorum, quorum labore & ſudore ad tantam dignitatem perducti ſumus: *Mementote*, inquit Hebr. XIII, *præpoſitorum veſtrorum, qui vobis locuti ſunt Verbum Dei*, & ut videamus ad quid memoriam iſtam requirat, addit: *Quorum intuentes exitum converſationis imitamini fidem.* Quomodo autem imitaibimur fidem, ſi illorum memoriam non conſervemus? Verùm Apoſtoli noſtri, qui nobis locuti fuerunt Verbum Dei, diu nimis in oblivione ſepulti fuerunt: quod adſcribendum non eſt negligentiæ populi Antverpienſis, qui præ cæteris in cultu Sanctorum eminet: ſed inde proceſſit; quòd alii alios Sanctos propalent, qui alibi Verbum Dei prædicârunt, & raró aut numquam loquântur de illis, qui ſummo labore propatres noſtros fidei lumine illuſtrârunt. Itaque juxtà mentem Apoſtoli conabor in memoriam revocare originem Eccleſiæ noſtræ Antverpienſis, Apoſtolos qui fidem nobis annuntiârunt, illos qui labore ſuo eam in nobis hucuſque conſervârunt & illos qui munificentiâ & pietate ſua cultum divinum promoverunt: ut memoriam illorum retinentes etiam pietatem eorum imitemur.

Inter

Inter illos autem, qui cultum divinum munificentia ſua promoverunt primum locum tenent Principes noſtri, qui locis ſuis memorantur cum operibus piis, quæ notata inveni. Dein ampl. Senatus, cujus favore & curâ cultus divinus ſtetit & ſtat. Tandem fundatores & benefactores eccleſiarum, monaſteriorum & aliorum piorum locorum. Videbimus itaque qualiter Deus miſericorditer è tenebris paganiſmi Propatres noſtros vocaverit in admirabile lumen ſuum & eos, nè deflecterent, ſæpiùs viſitaverit in virga ferrea, peſte, fame & bello; & ut probaretur eorum fidelitas permiſerit varii generis hæreſes. In fine ſeculi XI. & initio ſeculi XII. graſſata eſt hic infamis & turbulenta hæreſis Tancheliniana, contrà quam in adjutorium eſt advocatus à Capitulo Canonicorum S. Norbertus Præmonſtratenſium patriarcha, qui eam cum Sociis debellavit. Seculo XIII. graſſabatur ſpecies quædam hæreſis Waldenſium ſeu pauperum Lugdunenſium, contrà quam vocati & admiſſi ſunt FF. Prædicatores, qui contrà iſtius generis hæreticos jam diu ex profeſſo egerant. Seculo autem XVI. agitata fuit Antverpia annis ſexaginta-ſex per diverſi generis hæreſes,

primò per Lutheranos, qui, ſeducti per ſecundum Priorem Auguſtinianorum, nuper admiſſorum, qui diſcipulus fuerat Lutheri, publicè & tumultuosè extra ecclesias prædicabant: turbulentis autem punitis aut pulſis cæteriſque repreſſis, mox prodierunt Anabaptiſtæ, qui ſpernentes omnem etiam ſecularem poteſtatem, pauco tempore ad tantam audaciam pervenerunt, ut etiam tumultuoſè Curiam invaſerint, ubi plures trucidati ſunt, alii capti & puniti; quo non obſtante, pluribus annis Antverpiæ latuerunt, ſed quandocumque detegebantur morti adjudicabantur. Interim apparuit perniciosa & infamis Davidiſtarum hæreſis, quæ propter enormitatem paucis annis extincta fuit. Tandem advenerunt calviniſtæ fugati aut fugitivi è Gallia, qui confortati per libellum ſupplicem Nobilium, oblatum Gubernatrici ad obtinendam libertatem religionis, & incitati per eos, qui rebellionem meditabantur, cœperunt publicè prædicare extrà civitatem & quidem armata manu; quod impediri non potuit propter occultè foventes. Dein in civitate loca, ubi religionem ſuam exercerent, obtinuerunt & tandem omnes eccleſias invaſerunt, imagines confregerunt, altaria deſtruxerunt

runt & ornamenta aut devaſtârunt aut diripuerunt & rebus ſacratiſſimis turpiter abuſi ſunt. Poſt hæc calviniſtæ ſic repreſſi fuerunt, ut Religio catholica videretur planè reſtituta. Verùm paucis annis hoc duravit: nam Ordines revocârunt Orangium, qui religionariorum fautor erat & incentor, & inde cœpit rebellio. Antverpia autem per octo annos fuit rebellium metropolis, quo tempore religionarii dominabantur & religionem catholicam in ſervitutem redegerunt, & ſi potuiſſent extinxiſſent; eccleſiaſticos turpiter eduxerunt, templa occupârunt, monaſteria deſtruxerunt ac divendiderunt: catholicis tantùm reliquerunt capellas duas cum ſex preſbyteris, ad matrimonium & baptiſmum tantùm. Ita in hac civitate ſuppreſſum fuit exercitium religionis, non ipſa religio, quod patuit ſimul ac cives liberati fuerunt ab eorum jugo per Alexandrum Farneſium. Pietas dein proficiebat ſed in continua anxietate uſque ad pacem Monaſterienſem, quia Antverpia ſemper limitanea erat & præcipuum intentum rebellium.

Interim inter omnes iſtas tribulationes, flagella, bella & hæreſes Antverpienſes cives ſemper Deo ac religioni

fideles

fideles manſerunt & in pietate continuò creverunt : unde & deus eos fovit & eccleſiæ Antverpienſi continuum incrementum dedit, quod patet per ſingula ſecula.

Originem quidem neſcimus : ſex enim prima ſecula nullum monumentum nobis reliquerunt, quo ſciamus, quid eo tempore fuerit Antverpia aut ejus religio. Seculum VII. nobis quædam monumenta reliquit. Primum nobis conſervavit Abbatia Epternacenſis in diſtrictu Luxemburgenſi, quo ſcimus S. Amandum Epiſcopum regionarium, nulli ſedi affixum, Antverpiam veniſſe & illic eccleſiam conſtruxiſſe infrà Burgum. Quod autem hic fuerit primus noſter Appoſtolus non apparet, quia tempore, quo S. Amandus advenit, jam per annos centum & quadraginta egerat Antverpia ſub Principibus chriſtianis & piis. Poſt hunc acceſſit S. Eligius Epiſcopus Tornacenſis, qui Antverpiam prædicatione ſua illuſtravit. Dein S. Amandus Eccleſiam à ſe conſtructam commendavit Abbati de Quortolodra, pro cujus religioſis veroſimiliter ante obitum conſtruxit Cellam D. Mauri in ipſo Burgo. Seculo VIII. acceſſit S. Willibrordus, in cujus favorem Abbas de Quor-

tolodra

tolodra, accepto concambio, eccleſiam illam reſignavit in manus Rauchingi Principis Antverpiæ. Hic eccleſiam illam tradidit S. Willibrordo & cum conjuge ſua pluribus bonis dotavit. S. Willibrordus autem eam donavit Abbatiæ Epternacenſi, cujus monachi eam dein curârunt & cellam D. Mauri inhabitârunt. Seculo IX. Antverpia per Nortmannos devaſtata eſt & incenſa: verùm monachi Epternacenſes eccleſiam brevì reſtaurârunt & in ea cultum S. Walburgis inchoârunt. Dein Abbatia Epternacenſis deſtruitur fugatis monachis, & ſubſtituti ſunt Canonici; quâ occaſione eccleſia illa devoluta eſt ad Epiſcopum. Circà finem ſeculi putant aliqui eccleſiam S. Michaëlis fuiſſe ædificatam; interim in ea erat & manſit cura paſtoralis. Seculo X. Abbatia Epternacenſis eſt reſtituta in priſtinum ſtatum & redierunt monachi ad cellam D. Mauri, ſed curam eccleſiæ non obtinuerunt. Seculo XI. monachi Epternacenſes transſcribunt Cellam D. Mauri monachis Affligemienſibus, qui eam diu inhabitârunt & dein tamquam refugium retinuerunt uſque ad ſeculum XVI. quo eam vendiderunt. In fine ſeculi Godefridus Bullonius princeps

noſter

noſter, dein Rex jeroſolimorum, fundavit Canonicos Ant-
verpienſes in Eccleſia S. Michaëlis & lautè dotavit. Se-
culo XII. Canonici in auxilium contra hæreſim Tanche-
inianam vocant S. Norbertum, cui propter rem bene
geſtam cedunt eccleſiam ſuam & tranſeunt ad Capellam B.
Mariæ & fundant ei Abbatiam ſub titulo S. Michaëlis.
Non diu poſt hæc fundatur cœnobium Norbertinarum,
quod hic non diu ſtetit. Canonici pro pleniore cultu
divino numerum ſuum ad tertiam augent. Seculo XIII.
extabant Hoſpitalia tum morbidorum tum Leproſorum,
quorum origo latet, unde neſcimus, quamdiu ante exti-
terint: in illis fratres & ſorores deſerviebant & ſtatuta
& approbationes obtinuerunt. In Capitulo numerus Ca-
nonicorum ſectis præbendis duplicatur: & dein Præpo-
ſiturâ ob negligentiam aboletâ inſtituitur prima dignitas
Decanatus. Eccleſia, quam primò conſtruxerat S. Amandus,
in Burgo reædificatur & inſtituitur ſacerdos, qui dictus
eſt Plebanus. Extabant hoc ſeculo Beggardi, qui in commu-
nitate viventes de labore manuum vivebant. Extabat
etiam Begginagium clauſum, prout hodie perſeverat.

Advocati

Advocati ſunt in auxilium contra graſſantes errores FF. Prædicatores & obtinent ſplendidum monaſterium. Advocatæ ſunt etiam moniales Victorinæ & obtinent cœnobium & Curatum. In fine ſeculi ceſſant Affligemienſes inhabitare Cellam D. Mauri. Initio Seculi XIV. cœperunt è Germania adventare Fratres & ſorores Cellitæ, qui euntes & redeuntes operam locabant ſervitio infirmorum & ſepulturæ mortuorum: mediante autem ſeculo tam Sororibus quam Fratribus fundatæ ſunt domus pedemque fixerunt uſque in hodiernum diem, eorumque religio approbata eſt. Anno ſeculi quarto duæ Capellæ in ſuburbio, S. Georgii & S. Willebrordi, erectæ ſunt in Eccleſias parochiales. Extabat hoc ſeculo Infirmaria in Klapdorp, quæ quando fundata neſcitur: in ea domicellæ deſerviebant ægrotis Begginis ſeu devotariis, quæ in Begginagio clauſo non habitabant. Fundatum eſt hoſpitale S. Juliani ad portam S. Joannis pro hoſpitandis peregrinis viris, dein ſimile ad portam S. Georgii pro peregrinis feminis. Albarum Sororum cœnobium acceſſit auctoritate Principis, ut foret refugium pœnitentibus, quod hoc ſeculo neceſſarium erat.

Acceſſit & admiſſum eſt monaſterium Carthuſianorum in Kiel: ſimiliter & cœnobium tertiæ regulæ S. Franciſci. Fundatum fuit hoc ſeculo gerontocomium B. M. pro fœminis via de Kerck-hof-ſtraet, hoſpitale in Facons-hof & gerontocomium Blauw-broeders; quod fuit lautè fundatum. Initio ſeculi XV. erecta eſt nova eccleſia S. Michaëlis & capella S. Jacobi; quæ in fine ſeculi erecta eſt in parochialem. Cœnobium Canonicarum regularium in Facons fundatur & primæ vovent clauſtrum. Petrus Pot mercator fundavit Eleëmoſynariam in domo ſua, ad quam dirigendam primò inſtituit fratres vitæ communis, dein ciſtercienſes, qui hodiéque ſubſiſtunt ſub titulo Abbatiæ S. Salvatoris. FF. Minores vocati ſunt Antverpiam ad reducendos depravatos homines, & ipſis fundatum eſt ſplendidum monaſterium. FF. Carmelitæ, qui ab initio ſeculi Antverpiam identidem viſitabant tamquam terminarii, tandem poſt multos labores locum obtinuerunt & monaſterium conſtruxerunt. Plurima gerontocomia hoc ſeculo fundata ſunt, notanter per Opificum collegia cum junctis ſplendidis capellis. Erectæ ſunt pro ſplendidiore cultu

divino

divino eminentes confraternitates, quæ hodieque ſubſiſtunt; in ecclesia matrice S. Antonii; SS. Præputii ſeu Circumciſionis, Laudum beatæ Mariæ & SS. Sacramenti. Capella S. Jacobi erecta eſt in parochialem; Parochia S. Georgii obtinuit fontem baptiſmalem, Parochia S. Walburgis obtinuit fontem baptiſmalem & ſepulturam. Turres ecclesiæ matricis & S. Jacobi ædificatæ ſunt. Seculum XVI. licet turbulentiſſimum notabile etiam rei eccleſiaſticæ incrementum dedit. In primis multa gerontocomia erecta ſunt, quæ hodieque proſperè ſubſiſtunt. Ecclesia Matrix incendio devaſtata eſt & brevi reſtituta, novus chorus erectus in S. Walburgis, nova eccleſia S. Willibrordi, nova templa FF. Prædicatorum & Beggardorum; erectæ novæ parochiæ in S. Andreæ & in Caſtro; domus inventitiorum & mente captorum erectæ ſunt juxta invicem cum capella S. Rocho ſacra. Domus Juvenum & domus Puellarum fundatæ ſunt cum oratorio domeſtico. Erectum Leproſarium in Dambrugge cum capella S. Jobo ſacra: Acceſſerunt & admiſſi ſunt Auguſtiniani Saxonicæ congregationis, qui monaſterium & eccleſiam conſtruxerunt & poſt octo annos ob Lutheraniſmum

pulſi

pulſi ſunt. Admiſſi ſunt Patres Societatis Jeſu, qui obtinuerunt domum Aquenſem & in ea amplam capellam extruxerunt ac humaniora docuerunt; hi proſperè hìc egerunt & initio ſeculi ſubſequentis obtinuerunt domum Anglicanam, ad quam primò tranſtulerunt Gymnaſium, dein Collegium & in Priori loco erecta eſt domus Profeſſa, ad quam erexerunt ſplendidiſſimum templum, & tandem obtinuerunt tertiam domum, ad quam è Collegio tranſtulerunt Convictum. Sed ecce, dum hìc in ſummo ſplendore agunt & dum hæc ſcribo in impreſſo jam opere, prodit Bulla Clementis XIV. Pontificis maximi, quæ incipit *Dominus ac Redemptor noſter*, data Romæ 21. Julii 1773. per quam Societas iſta diſſolvitur & Inſtitutum ejus totaliter aboletur; ita ut qui in ordinibus ſunt & profeſſi reducantur ad ſtatum Presbyterorum ſecularium, niſi velint ingredi aliam religionem, quod ipſis permittitur. Reliquis permittitur tranſire ad ſtatum, quem elegerint. Bulla iſta de mandato Reginæ Imperatricis viduæ executionem habuit in his domibus & reliquis totius Belgii Auſtriaci die 20. ſeptembris ſubſequentis; unde expectatur

fore

tors & templi eorum & trium iſtarum domuum. Emanavit Bulla iſta anno ducenteſimo trigeſimo-tertio poſt approbatam Societatem; anno ducenteſimo decimo-ſeptimo poſt admiſſionem eorum in Belgium, & centeſimo nonageſimo-nono poſt admiſſionem eorum in hanc civitatem. Inſuper acceſſerunt Capucini; quibus & monaſterium & templum ædificatum eſt. Cæterum hoc ſeculo eccleſia Antverpienſis elevata eſt ad ſummum honorem per erectionem Epiſcopatûs; qui licèt per multas difficultates & dilationes tandem ad effectum ductus eſt. Seculo XVII. in S. Jacobi erectus eſt novus Chorus & in eâ erectum Canonicorum Capitulum collegiale; erecta eſt nova parochia in Marckgraveleye ſub titulo S. Laurentii. Erectum eſt Seminarium Epiſcopale & Seminarium Hibernorum; erectus Mons dictus pietatis pro ſubventione pauperum. Auguſtiniani primævi ordinis admiſſi ſunt & aperuerunt ſcholas. Admiſſæ ſunt moniales Annunciatæ, quæ eodem tempore quo Auguſtiniani & Jeſuitæ novum templum erexerunt. Admiſſæ ſunt Tereſianæ Hiſpanæ & Anglæ; admiſſi ſunt Diſcalceati & Minimi; qui omnes monaſteria obtinuerunt.

Finitis Induciis, cum recrudeſceret bellum, plura monaſteria, quæ ruri agebant, ad civitates confugerunt: ex illis huc advenerunt Dominicanæ ex Temſch, moniales tertii ordinis ex Luythagen, Capucinæ ex Bourborg, Carthuſiani ex Vucht juxtà ſilvamducis; omnes hi brevì admiſſi ſunt & pedem fixerunt. Canonicæ regulares ex Ooſtmal & Norbertinæ ex Ooſterhout, hæ multis annis hæſerunt tamquam in refugio & tandem etiam admiſſæ ſunt. In fine ſeculi admiſſæ ſunt ſorores cellitæ dictæ griſeæ & Urſulinæ. Apoſtolinæ in hac civitate originem ceperunt & habent hic ditas domus, unde reliquæ in Brabantia & Flandria derivatæ ſunt. Acceſſerunt etiam Marollæ congregatio filiarum devotarum, quæ conventualiter vivunt de labore manuum ſuarum. Hæc & alia, quæ in decurſu videbuntur, proceſſerunt à pietate & munificentiâ civium, quæ non ceſſant hoc ſeculo XVIII., quo vidimus admiſſionem Canonicarum Regularium fugatarum ex Walewyck. Splendidiſſimam erectionem & fundationem Scholæ DD. Terlincx & reſtaurationem trium parochialium eccleſiarum; S. Walburgis, cujus ingenti ſumptu penè omnia fundamenta

renovata

renovata ſunt & ſummum Altare erectum; S. Andreæ, cujus turris corruerat, erecta eſt nova turris, & chorus novus magnificè ædificatus; tandem in S. Georgii Alæ navis eccleſiæ reædificatæ ſunt. Tale continuum incrementum dedit Deus eccleſiæ Antverpienſi, taliter cives pietate & munificentiâ cultum divinum promoverunt & promoverent.

Hæc in decurſu operis latiùs exhibentur, ut memores ſimus, nos aliquando fuiſſe Gentes ſine Chriſto, ſine Deo in hoc mundo, & ut virtutes annuntiemus ejus, qui de tenebris nos vocavit in admirabile lumen ſuum. Ut memores ſimus Præpoſitorum noſtrorum, qui nobis locuti ſunt Verbum Dei & imitemur eorum fidem. Et tandem ut facta propatrum poſteris incitamenta ſint ad pietatem. Fiat! Fiat!



NOTANDA.

Dum in decurſu dico me referre *ex originali*, tunc ipſas originales litteras vidi, manibus contrectavi & vel ipſe exſcripſi vel exſcripta contuli: ſimiliter quando dico me referre ex Actu notariali vel Copia authentica. Quando autem dico me referre communicata ex originali &c. tunc fides ſit penes communicantem. Referens originalia conatus ſum ea dare ad litteram, productis tamen quantum potui fideliter abbreviationibus.

Diplomata Miræi cum *ſupplementis* citantur juxta editionem curâ D. Foppens IV. tomis in folio, duo priores Lovanii 1723., duo poſteriores Bruxellis 1734. — 1748.

Sanderus Brab. illuſt. Antonii Sanderi Chorographia Sacra Brabantiæ tomis III. fol. Hagæcomitum 1726. — 1727.

Grammaye. Joan. Bapt. Grammaye Antiquitates Ducatûs Brabantiæ &c. Lovanii apud Ægidium Denique 1702., fol.

Pro turbulentiſſimo tempore mediante ſeculo XVI. ultrà varias hiſtorias tumultuum belgicorum prelo vulgatas & Annales Mss. Papebrochii, materiam non modicam ſubminiſtrârunt hiſtoria quædam manuſcripta & Regiſtra quorumdam Membrorum civitatis.

Dicta hiſtoria manuſcripta, quam vidi, procedit ab anno 1566. uſque ad annum 1580, duobus magnæ molis tomis in folio; præcipuè tamen & latiùs deducit annos 1578., 1579. & 1580. Conſcripta eſt gallicè per anonymum heterodoxum, teſtem ocularem, ſequentem verò

ſimiliter

ſimiliter aulam. In facie notabatur eam erectam eſſe per famoſum *Janum Gruterum*. In decurſu citabitur ſub titulo *Hiſt. Ms.*

Vidi Regiſtrum Cameræ Vico-magiſtrorum (*Wyck-meeſters.*) qui conſtituunt ſecundum lati-concilii membrum. Procedit à 1. martii an. 1576. uſque 24. novembris an. 1580. Regiſtrum hoc, nuper in auctione publica venditum in Hollandia, hodie aſſervatur in bibliotheca D. Michiels Capitanei admiralitatis, qui eum gratioſè communicavit.

Vidi Regiſtra cameræ Panni-parorum (*Laken-bereyders camer*) quæ conſtituit tertiam tertij membri Lati-concilii, civitatis, quæ procedunt à 27. febr. an. 1579. uſque ad finem ſeculi. Verùm regiſtra illa demùm collecta ſunt & conſcripta anno 1592., ut in facie notatur: ita ut Decani illius anni in illa regiſtra inſeri curaverint, quæ tunc adhuc inveniebantur in archivis Cameræ.

Inſuper vidi Regiſtra cameræ Merciariorum (*camer van de Meerſche*) quæ etiam conſtituit tertiam tertii membri concilii-lati civitatis. Illa incipiunt ab anno 1560., quo Merciarii cœperunt & ſtatuerunt deinceps in regiſtris conſcribere & annotare omnia acta Concilii-lati. Vidi illa uſque ad annum 1586. incluſivè. Regiſtra illa conſcripta ſunt per ſingulos ſuo tempore Decanos.

Licèt autem in his Regiſtris ex propoſito referantur omnia Propoſita & Reſponſa in lato civitatis Concilio; in ſingulis tamen reperiuntur quædam, quæ in aliis non referuntur: quod adſcribendum eſt collectoribus ſeu conſcriptoribus, quorum alii alia memoriæ digna judicaverint & Regiſtris inſerenda cenſuerint. Interim quæ in illis ad propoſitum inveni, ſuis locis in decurſu notabo.

Strada. Famiani ſtrada S. J. de bello Belgico decas I. & II. Antverpiæ apud viduam & hæredes Joan. Cnobbaert 1640.-1648. 8°.

P. Bor. Nederlanſche Oorloghen beſchreven door Pieter Bor Chriſtiaens-zoon VII. tomi fol. Leyden en Amſterdam an. 1621.-1626. Tomus VII. qui eſt ſupplementum Amſt. 1679.

Leo Aitzema. Saken van ſtaet en Oorlogh door Lieuwe van Aitzema VII. tomi fol. in s'Graven-hage 1669.- 1672.

Primum

Primum ſeculum S.J. citavi juxtà editionem flandricam 1640.
Antw. Chron. Antwerpſch Chronykje &c. Door F. G. V. te Leyden by Pieter van der Eyk 1743. 4°. Chronicum hoc paucis annis antè divenditum fuerat manuſcriptum in domo mortuaria Domini F. G. Ullens Canonici, Scholaſtici & Officialis Antverpienſis.

Cætera per ſe patebunt.

APPROBATIO.

Nemo hic ignorat, quanti fecerint æqui rerum arbitri primam editionem operis, cui titulus: Antverpia Chriſto naſcens & creſcens, *quod à paucis annis in varia opuſcula diſtributum luci dedit Erud. D. J. Carolus Diercxſens S.T.L. Noſocomii Antverpienſis Paſtor, vir judicio maturus, veritatem amans, ſolidâ pietate commendabilis, in legendis antiquatis litteris excultus, & in perveſtigandis antiquitate & antiquitatis ſcriniis infatigabilis, & ex hoc ipſo ſummè idoneus ad res Antverpienſium non affectato ſed candido & veritatem redolente ſtylo litteris conſignandas, & quæ huc uſque latebant ſacræ antiquitatis analecta publici juris facienda.*

Optaveram ego in una ex approbationibus meis ad primam editionem datis; optaverant plures alii Authori tam idoneo & circumſpecto vitam, vires & inſtrumenta neceſſaria, quibus, quo cœperat pede, hiſtoriæ ſuæ telam pertexere & feliciter complere poſſet uſque ad noſtra tempora. Votis noſtris factum eſt ſatis: nam, cum prima editio deficiat, ejuſque exemplaria in tam diverſas manus ſint diſtracta & tam tenaciter ibi conſerventur, ut non ſit copia illa acquirendi niſi enormiſſimo pretio, Author, licèt annis gravis, tamen plenus vitâ, viribus & animo ſeſe accinxit ad ſecundam editionem, quam tam feliciter confecit, plura, quæ in primâ editione ſub addendis *extra locum ſuum comprehenſa erant, ſuis temporibus & locis aptè diſponendo, & ita ampliavit plura tam inſtrumenta authentica, quàm alia memorabilia addendo, ut opus ejus jam concreverit in ſeptem juſtæ molis tomos, filumque hiſtoriæ ſuæ protraxerit uſque ad annum* 1700., *relinquens aliis, quæ ipſum latent, aut quæ propter propinquitatem ad tempora noſtra non eſt fas in lucem prodere, indaganda & elucidanda.*

Editionem hanc attentè & avidè perlegi, eamque pro circumſtantia temporis jam completam judico, gratamque futuram lectoribus & valdè utilem Antverpienſibus, propter varia inſtrumenta authentica, quæ in hac plus quàm in

prima editione ſuperadduntur. Quæ ſi omnia non operentur in forma probante pro litibus dirimendis, autographa tamen aſſignant in ſuis reſpectivè Tabliniis reperienda; ità ut opus hoc cuilibet ſummo adjutorio eſſe poſſit, ut jura ſua ſarta tectaque tueatur. Nihil etiam tam catholicus & prudens Author in totò ſui operis decurſu conſcripſit, quod aut fidei, aut moribus, aut Principum decretis derogare poſſit: prodeat ergò tam utile opus, & omnia quæ dixi in laudem primæ editionis, hìc in ſupremo gradu intellecta volo. Dab. hâc 2. 7bris 1773.

P. VERHEYEN S. T. L. Can. & Plebanus Eccleſiæ Cathedralis, Archipresbyter diſtrictûs Antverpienſis, Librorum Cenſor.

QUidquid à majoribus noſtris geſtum fuit, utile eſt cognoſcere, ut eorum virtutes quiſque imitetur, vitia è contra evitet; inde conſequens eſt, Opus denuò in lucem edendum, cui titulus Antverpia Chriſto naſcens & creſcens, *nunc in ſeptem tomos collectum & diſpoſitum ſtudio & opere Domini Diercxſens omnibus gratum eſſe habendum, quandoquidem ex plurimis actis & factis ibidem relatis pateat quàm deploranda ſit ſors eorum, qui à vera fide aberrant, & à debita Principibus obedientia ſe ſubſtrahere conantur. Reliquum operis contentum etiam nihil præ ſe fert, quod adverſatur religioni, ſtatui, bonorumque morum integritati, & ſic impreſſione digniſſimum eſt. Hoc unicè obſervandum velim, quod varia Auctorum opera ibidem memoratorum ſint conſideranda & perpendenda prout modò approbata vel reprobata fuerunt. Dabam Bruxellis hâc 19. 7bris 1773.*

G. J. De Limpens *Conſiliarius & Procurator generalis.*

AD LECTOREM.

PRimus hic Tomus, procedit uſque ad annum 1300. Referuntur in eo varia concernentia Eccleſiam Antverpienſem, ſed non origo, quæ latet; nam ſex prima chriſtianæ æræ ſecula nulla nobis reliquerunt monumenta; ita ut quidquid de illis refertur non niſi divinando dicatur. Hoc ſolum ſcimus, Antverpiam, ſeu locum, ubi ſtat, ab anno 1496. & deinceps fuiſſe ſub Regibus ſucceſſivè chriſtianis & piis, licèt rudibus; quando Clodoveus Francorum Rex baptizatus eſt à S. Remigió, cui adſcribenda eſt converſio Regis & regni; unde & Apoſtolus noſter cenſendus eſt. Seculo ſeptimo quædam habemus monumenta, quo noſcimus duos Apoſtolos, qui Antverpiam prædicatione ſua illuſtrârunt, S. Amandum & S. Eligium, quorum prior Epiſcopus ſine ſede ante medium ſeculi ædificavit eccleſiam infrà Burgum, quod certè diu ante extiterat. Hic eam eccleſiam curavit uſque dum acceptavit ſedem Trajectenſem, quo tempore S. Eligius Epiſc. Tornacenſis locum ejus prædicando ſupplevit, donec prior reſignavit ſedem Trajectenſem; quando reverſus veroſimiliter extruxit Cellam D. Mauri, quam tradidit monachis Quortolodrenſibus, qui eam inhabitârent & curam dictæ eccleſiæ gererent. Seculo octavo acceſſit S. Willibrordus Epiſcopus Ultrajectenſis, tertius notus Antverpienſium Apoſtolus, in cujus favorem Abbas de Quortolodra ſupradictam eccleſiam reſignavit in manus Rauchingi Principis ſeu comitis Antverpiæ. Princeps hic eam lautè à ſe dotatam tradidit S. Willibrordo. S. Willibrordus autem eam cum bonis annexis mox tradidit Monachis Epternacenſibus à ſe fundatis in diſtrictu Luxemburgenſi. Monachi illi eccleſiam illam deinceps gubernârunt & Cellam D. Mauri inhabitârunt. Seculo nono Nortmanni Antverpiam invaſerunt, devaſtârunt & incenderunt. Non dubium, quin monachi Epternacenſes mox poſt devaſtationem & eccleſiam & Cellam D. Mauri pro ratione temporis reſtauraverint pro populo, qui devaſtationem evaſerat: verùm in fine ſeculi ipſa Abbatia Epternacenſis devaſtata fuit & fugatis monachis Canonici ſubſtituti ſunt, unde curam illius eccleſiæ Epiſcopus adoptavit. Seculo decimo extabat eccleſia S. Michaëlis, ſed quo ſeculo fundata neſcitur: fuit autem illa dein & fortè anteà unica parochialis totius Antverpiæ. Sub finem ſeculi illius monachi Epternacenſes poſt integrum ſeculum reſtituti ſunt in ſuo monaſterio & requirentes priſtina bona etiam redierunt ad Cellam D. Mauri; ſed eccleſiæ curam non receperunt. Seculo undecimo monachi Epternacenſes transſcribunt Cellam D. Mauri monachis Affligemienſibus, qui eam deinceps inhabitârunt. Dein filius comitis ſeu marchionis noſtri evectus eſt ad ſummam eccleſiæ ſedem nominatus STEPHANUS PP. X. Sub finem ſeculi factus eſt marchio Godefridus Bullonius, dein Rex Jeroſoli-

norum, qui eccleſiam Antverpienſem ad ſummum evexit honorem, fundans in Eccleſia S. Michaëlis Capitulum duodecim Canonicorum cum lauta dotatione. Verùm initio ſeculi duodecimi diabolus, invidens profectui Antverpienſium in fide, ſubmiſit angelum ſatanæ Tanchelinum laïcum hominem, qui conatus eſt clerum exoſum reddere & fidem fidelium deſtruere per nefandam hæreſim. Magnam confuſionem hic cauſavit in eccleſia Antverpienſi. Quare Epiſcopus Cameracenſis (hoc primum eſt monumentum, quo certò ſcimus nos fuiſſe ſub illâ diœceſi) paſtoralem curam ſeu Perſonatum tranſtulit in Capitulum, ut illi tamquam præſentes meliùs invigilarent. Capitulum autem de conſilio Epiſcopi & conſenſu populi in adjutorium advocavit S. Norbertum & ſocios, qui hæreſim iſtam ſat citò repreſſerunt; unde & illos retinuit eiſque fundavit & dotavit Abbatiam in eccleſia ſua S. Michaëlis & tranſivit ad aliam. Norbertini autem mox civitati procurârunt cœnobium Norbertinarum, quod illic non diu ſtetit. Initio ſeculi decimi-tertii duo hoſpitalia exſtabant, quorum neutrius initium ſcitur, alterum pro morbo detentis, alterum pro leproſis, in quibus religioſi utriuſque ſexûs deſerviebant; ſorores curabant infirmos, Fratres curabant temporalia & ſpiritualia. Paulo poſt referuntur hìc extitiſſe Beggardos, qui in fine ſeculi ſe religioni magis mancipârunt. Dein Begginagium ac milites Teutonici ordinis, quorum initia latent. Capitulum autem per ſectionem Præbendarum ſuarum numerum Canonicorum duplicavit ac tandem pro meliori regimine Præpoſituram annihilavit & Decanatum ſtatuit primam dignitatem. Circà medium graſſabatur hìc ſpecies hæreſis Waldenſium ſeu pauperum Lugdunenſium, qui nuper bellò victi quaquaverſum diſperſi erant. Anteſignanus erat quidem Willelmus Cornelii Canonicus Antverpienſis, qui ut pauper viveret Canonicatum dimiſit & ſepultus cum honore quartò poſt annò exhumatus eſt & combuſtus. Ut hæreſis hæc funditùs eradicaretur advocati ſunt FF. Prædicatores, qui hactenùs contrà ſimiles hæreticos utiliter egerant, & pedem hìc fixerunt, ſicut & in fine ſeculi Moniales Victorinæ advocatæ ex Zelandia. Tale incrementum cepit Antverpia à tempore, quo S. Amandus eccleſiam illic conſtruxit. Latiùs hæc patebunt in contextu.

ADDENDUM

Pag. 164. *lin. ultimâ* - Antverpienſis. -- *Adde* -- obiit 8. decembris 1771.

53. Ampl. D. MARCELLUS DE VOS Antverpienſis anteà Prior, dein Paſtor in Meer & Decanus Chriſtianitatis diſtrictûs Hoogſtratani.

ANTVERPIA CHRISTO NASCENS ET CRESCENS

SECUNDIS CURIS

Mementote Præpoſitorum veſtrorum, qui vobis locuti ſunt verbum Dei, quorum intuentes exitum converſationis imitamini fidem. *Hebr. XIII. ℣. 7.*

CLementiſſimus Salvator peractâ miſſione, paratus ad iter unde venerat, hoc Apoſtolis ſuis ultimum dat mandatum Marci XVI.: *Euntes in mundum univerſum prædicate Evangelium omni creaturæ.* Apoſtoli autem fideliter id executioni mandârunt: nam diviſi & ad varias mundi plagas *profecti prædicaverunt ubique, Domino cooperante & ſermonem confirmante ſequentibus ſignis.*

Anno Chriſti 293.

Fides catholica propagatur.

Dein Sedes Petri non ceſſavit quaquaversùm mittere apoſtolicos viros, qui lumen fidei ſuper candelabrum ponerent & tenebras paganiſmi ubique fugarent. Miſſi ſunt tales ad Trevirenſes, ad Colonienſes, ad Tongrenſes, ad Trajectenſes, ad Cameracenſes, ad Tornacenſes & ad alias circumvicinas nobis regiones; qui ibidem & in vicinis locis fidem catholicam prædicârunt & paganas ſuperſtitiones oppugnârunt & extirpârunt.

Per Belgium.

Anno 293. Quis igitur credat, quod videtur aſſerere Henſchenius *Act. SS. tom.* 1. *Febr. fol.* 816. *n.* 6., Antverpiam noſtram per ſex integra ſecula in tanta tenebrarum abyſſo ſepultam fuiſſe, ut lumen fidei non viderit & effugerit inſatiabilem zelum omnium horum apoſtolicorum virorum? Niſi fortè acciderit nobis, quod Friſonibus accidiſſe refert *S. Bonifacius* Germaniæ Apoſtolus, qui circà annum Chriſti 754. deſuper ſcribit ad STEPHANUM Papam in hæc verba: „ Refert quia ab antiquo Rege Francorum *Dagoberto* Caſtellum Trajectum cum deſtructa Eccleſia ad Colonienſem Parochiam donatum in ea conditione fuiſſet, ut Epiſcopus Colonienſis gentem Freſonum ad fidem Chriſti converteret & eorum prædicator eſſet: quod & ipſe non fecit, non prædicavit, non convertit Freſios ad fidem Chriſti; ſed pagana manſit Gens Freſonum, uſque quo venerandus Pontifex Romanæ ſedis SERGIUS ſupradictum ſervum Dei *Willibrordum* Epiſcopum ad prædicandum ſupradictæ genti transmiſit." De eo tamen non conſtat; ſicut nec an aut quid Antverpia illis temporibus fuerit.

Veroſimiliter etiam Antverpiæ.

Miræi *Cod. don. pia cap.* X.

Antverpia condita per Conſtantium Clorum.

Poſſumus quidem præſumere Antverpienſe Burgum conditum fuiſſe per CONSTANTIUM CLORUM Cæſarem dein Imperatorem, patrem CONSTANTINI MAGNI. De eo enim refertur (*Tillemont Hiſt. des Emp. Tom. IV. part.* 1.) quod anno Chriſti 292. ad has partes venerit debellaturus CARAUSIUM Tyrannum, qui has regiones & Angliam ſubjugârat; quod primò copias Tyranni vicerit ad Boloniam, Boloniamque ceperit; quod anno ſequenti, dum parabatur Claſſis in Angliam, Francos, qui in Hollandia & regionibus circà Schaldim ſedem fixerant, debellaverit, & captos ad regiones incultas tranſtulerit; & quod tunc contrà Barbarorum incurſiones plura Caſtra conſtruxerit (*in limitibus*) ad Rhenum & Schaldim. Poſſumus, inquam, præſumere Antverpienſe Burgum hoc tempore ab eo conſtructum fuiſſe.

Pro-

Procedendo in hac non abſona conjectura dicendum, Burgum hoc conditum fuiſſe ad mare quoddam mediterraneum, nempè ad confluentiam Schaldis & Schindæ (*het Scheyn*) qui fluvii accedente æſtu maris conſtituebant quaſi mediterraneum mare, antequam Schaldis conſtrictus eſſet aggeribus: Schaldis enim utrimque latè fluebat inundans terras omnes, quæ hodie inundantur, dum aggeres rumpuntur; ſic & Schinda, modicus quidem hodie fluviolus, tunc latè fluebat uſque in Deurne & ultrà, inundans omnes terras illas, quæ hodieq; ſolvunt pro intertentione aggerum Schaldis, & adhuc, dum aggeres rumpuntur, inundantur. (Aliqui putant, æſtum maris illinc per declivia fluxiſſe uſque ad Tongros, apud quos in vicinia civitatis videtur agger, qui uſque in hodiernum diem nominatur agger marinus, vulgò *Zee-dyck*: declivia autem iſta, poſt conſtrictum per aggeres Schaldis fluxum maris, hinc inde per arenas à ventis allatas oppleta fuiſſe. Verùm ſententia hæc diſplicet Papebrochio in *Conatu ad catal. Rom. Pont. paralip. pag. 66. n.* 15. & Henſchenio in Exegeſi præliminari ad *Tom. VII. Maij n.* 1.) Per hoc autem quaſi mediterraneum mare facilis erat aſcenſus barbaris Nationibus: prout etiam illac ſeculo IX. aſcenderunt Nortmanni, quando Antverpiam incenderunt. Unde expediens erat, ut pro ſecuritate harum regionum per conſtructionem Burgi ſeu Caſtri ipſis poneretur obſtaculum.

Anno 293.

Ad confluentiam Schaldis & Schindæ.

Conditum eſt autem ad littus, quo appellere ſolebant naves, in paludinoſo loco, ad quem, ut facilis eſſet acceſſus, per paludinoſa facti erant aggeres duo, alter ad Orientem versùs *Deurne*, ubi hodie ſunt viæ *d'ouw-borſe*, *Wolſtraet*, *Kipdorp &c.*, alter versùs Meridiem, ubi viæ *de Hoogſtraet*, *den Oever*, *de Clooſterſtraet &c.* Locus autem inter duos iſtos aggeres, licèt paludinoſus, ſic ſenſim exſiccatus eſt, ut in eo hodie conſiſtat præcipua Civitatis pars.

In paludinoſo loco.

Anno 293. Ethimologia nominis.

Littus, ad quod Burgum conſtructum eſt, dicebatur *Werf*, nomen quod hodieque retinet tam latè quàm patet vetus Burgum. Inde veroſimiliter Burgum deinceps nomen tulit, dictumque eſt *Borgt aen't Werf*, id eſt Burgum ad littus dictum *Werf*. Deinde brevitatis causâ prætermiſsâ voce *Borgt* ſimpliciter dictum eſt *Aen't Werf*. Et hæc indubiè ethimologia eſt vocis *Antwerpen*: primùm enim nomen hoc vernaculè relatum legimus in Diplomate S. Henrici Imperatoris dato anno 1008. & relato per Le Roy *Not. March. pag.* 17., in quo ſcribitur *Antwerf*, id eſt *Aen't Werf*; ex *Antwerf* autem factum eſt *Antwerfen*: dein mutatâ f in ph *Antwerphen*, & tandem prætermiſsâ adſpirante h. *Antwerpen*, prout hodiedum ſcribitur. Sic & latinè apud Le Roy ibidem in Diplomate Rauchingi dato anno 726. & ad authographum collato, legitur *Caſtrum Antwerpis*, alibi legitur *Andwerpha*, quæ in idem recidunt mutatis t in d & f in p vel ph, quæ ſunt transmutationes ordinariæ. Legitur etiam *Andoverpum*, ſed veroſimiliter ov per Copiſtas poſitum eſt pro w: nam hactenùs uſque ad ſeculum XVI. nullum latinum originale manuſcriptum, in his regionibus confectum, vidi, in quo Antverpia non ſcribatur per w; & nullum in quo ſcribitur primâ aſpirante *Hantverpia*. Quantum ad Bullas pontificias in Italia datas, inter plurimas unicam tantum vidi, in qua ſcribitur per ſimplicem u, nempè Bullam *Lucii PP. III.* datam Verone circà annum 1182., quæ infrà ad illum annum referetur.

303. Conſtantius favet chriſtianis.

Cæterum CONSTANTIUS hic, qui Antverpiam condidiſſe meritò creditur, plurimum favebat chriſtianis: cum enim anno 303. DIOCLETIANUS mandâſſet omnes chriſtianorum Eccleſias deſtrui, licèt aliquas deſtrui non impediviſſet, nullam tamen ipſe deſtrui curavit; & chriſtianos etiam in Aula ſua protegebat ac ſua eis potiùs quàm aliis fidebat.

Circà

Circà hoc tempus in Paleſtina martyrio coronatus eſt S. Georgius, quem Eccleſia Antverpienſis in proprio Breviario quondam coluit ritu Duplici, quo ritu poſt aſſumptum Breviarium Romanum perſeverat eum colere uſque in hodiernum diem, & una Parochialis eccleſia in hac civitate nomini ejus eſt dicata anno 1304., coliturque in ea ut Patronus principalis; & ante annum 1751. colebatur illic cum feſto in populo, & cum Proceſſione publica Dominicâ infrà Octavam, comitantibus Senatu, Gildarum viris & opificum Collegiis. Anno 303. S. Georgii cultus Antv.

CONSTANTIUS obiit in Anglia anno 306., eique ſucceſſit filius CONSTANTINUS MAGNUS, qui ibidem per Exercitum proclamatus eſt Imperator. Vix autem CONSTANTINUS proclamatus erat Imperator, quin adhuc in Anglia agens concederet chriſtianis, ut ubicumque vellent, Eccleſias reædificarent in terris imperio ſuo ſubjectis: imperabat autem in Anglia, Hiſpania, Gallia & in Belgicis. 306. Conſtantinus libertatē dat Eccleſiæ.

Ipſe autem chriſtianus factus, ad preces S. HELENÆ matris ſuæ, primum Monaſterium fundavit Treviris, quod adhuc hodie ſubſiſtit & S. MAXIMINI dicitur, ut conſtat ex Diplomate relato per Miræum *Dipl. Belg. lib. 1. cap. 2.* Fundat Monaſterium Treviris.

Hinc dubitandum non eſt, quin propatres noſtri ſub tam pio Principe & pace Eccleſiæ in his partibus datâ, viderint lumen fidei: notanter cum *S. Maternus* cum ſociis *Euchario* & *Valerio* credatur hoc tempore Belgium prædicatione ſua illuſtraſſe, præcipuè Treviris, Coloniæ, Tongris & in circumvicinis locis. Fides prædicatur in Belgio.

S. BLASIUS Epiſcopus Sebaſtenus in Armenia putatur martyrium ſubiiſſe Sebaſte circà annum 316. Cultus ejus celebris fuit ab antiquo Antverpiæ: in veteri enim Antverpienſi Breviario colebatur annuè ritu duplici. In Capella *Infirmariæ*, quæ hodie dicitur *Gerontocomium S. Blaſii*, ſitæ juxtà Begginagium, adſervantur ejus Reliquiæ, & feſtum ejus per octo dies in ea quotannis celebratur cum 316. S. Blaſii cultus Antverpiæ.

Anno 371. maximo Civitatis & circumvicinorum locorum concurſu. Celebratur etiam in Eccleſia Abbatiæ S. Salvatoris. Et Eccleſia Antverpienſis hodie colit eum peculiari Officio 3. Febr. ſub ritu ſemiduplici cum Lect. 2. Noct. propriis.

Cultus Ord. S. Martini. S. MARTINUS ad Epiſcopatum Turonenſem electus eſt circà annum 371. & ordinatus Epiſcopus 12. Junii. Ordinationem hanc celebrabat olim Eccleſia Antverpienſis in proprio ſibi Breviario ſub ritu duplici : dein poſt aſſumptum Breviarium Romanum celebrat eam uſque in hodiernum diem quotannis 4. Julii ſub ritu ſemiduplici cum Antiph. ad Mag. & Lect. 2. Noct. propriis. Obiit autem ſanctus ille juxtà communiorem opinionem 11. Novembris anno 400.

398. Honorius prohibet Idololatriam. Deinceps anno 398. HONORIUS Imperator mandavit, ut omnia ad Idololatriam ſervientia deſtruerentur in omni terra dominii ſui; ſub ejus autem Dominio etiam Belgium noſtrum erat. Vide Tillemont *Hiſt. des Emp. Tom. V. p. III. art.* 12. Hinc fidei lumen propatres noſtros eo tempore latere non potuit.

407. Cultus S. Nicaſii Antv. Sub hoc Imperatore circà annum 407. Belgium & Galliam invaſerunt Wandali, qui omnia ubique deſolârunt. Et in hac irruptione putatur martyrio coronatus fuiſſe S. NICASIUS Epiſcopus Remenſis, quem Eccleſia Antverpienſis colit quotannis 14. Decembris ſub ritu ſemiduplici cum Lect. 2. Noct. propriis. Alii differunt martyrium ejus ad annum 451. tamquam ab Hunnis illatum. Vide *Act. SS. Tom. III. Septembris pag.* 64.

414. Irruptio Francorum. Credi poteſt propatres noſtros iterum deflexiſſe ad paganiſmum poſt annum 410. occaſione irruptionis Francorum, qui pagani erant, quorum Reges pulſis Romanis in his regionibus deinceps dominari perſeverârunt.

Reges eorum pagani. Reges autem Francorum pagani fuerunt 1. CLODION, qui Rhenum trajiciens omnia ſubegit Artheſiam uſque, & rexit uſque ad annum 451.

2. ME-

2. MEROVEUS, qui rexit uſque ad annum 457. Anno 451.

3. CHILDERICUS I. qui regnavit uſque ad annum 481., quo ſepultus eſt Tornaci, ubi anno 1655. ſepulchrum ejus detectum eſt. 457.

4. CLODOVEUS I. Non ſcitur autem, ſub his Regibus, licèt paganis, impeditam fuiſſe prædicationem Evangelii in his regionibus. 481.

CLODOVEUS Rex anno 496. ad fidem Chriſti converſus baptizatus eſt per *S. Remigium* Epiſcopum Remenſem, chriſtianeque deinceps vixit, variaque prædia contulit *S. Remigio*, ut conſtat ex Actis hujus magnificè illuſtratis *Act. SS. Tom. I. Octob.* per R. P. Conſtantinum Suyskens. Inſuper Rex hic fundavit Monaſterium *Aniſolenſe*, hodie dictum *Saint-Calais*, ut indicatur in Diplomate filii ejus Childeberti relato *Vet. monum. ampl. Collec. Tom. I. pag.* 1. Ab hoc tempore regio noſtra ſubjecta manſit Regibus chriſtianis, adeoque 140. annis antequam huc veniret S. Amandus. 496. Clodoveus Rex baptizatur.

Eccleſia autem Antverpienſis hanc Regis ſui, & conſequenter Regni converſionem S. REMIGIO acceptam ferens, feſtum ejus uſque in hodiernum diem celebrat quotannis. In proprio Eccleſiæ Antverpienſis Breviario impreſſo anno 1496. bis in anno fiebat ejus memoria; die 13. Januarii cum S. Hilario commemoratio, & die 1. Octobris colebatur ſolus officio ix. Lectionum. Poſt aſſumptum autem anno 1598. Breviarium Romanum Eccleſia Antverpienſis inter Officia diœceſana eum colit die 1. Octobris ritu non Duplici, ut legitur *Act. SS. Tom. I. Octobris pag.* 128. *n.* 377. ſed ſemiduplici cum Lectionibus non tertii, ut *ibid.* ſed ſecundi Nocturni propriis. Inſuper plures Eccleſiæ parochiales in hac diœceſi dicatæ ſunt ejus nomini, eumque ut Patronum colunt. S. Remigii cultus Antv.

Hoc tempore Tornaci Epiſcopus erat S. ELEUTHERIUS, qui non diu poſt converſionem Regis ibidem unâ hebdommadâ baptizavit xj. millia, Converſi Tornaci.

Anno 496. ut in vita ejus refertur *Act. SS.* 20. *Febr.* Ita ut fides tunc longè latèque effulſerit.

Rex Clodoveus moritur 511. CLODOVEUS Rex obiit anno 511. & ſepultus eſt in Capella D. Petri, quæ hodie dicitur S. Genovevæ.

Regnum Francorum diviſum. Poſt mortem CLODOVEI anno 511. Regnum Francorum inter quatuor ejus filios diviſum eſt in quatuor partes ſeu Regna, ſcilicet in Regnum Aurelianenſe, Pariſienſe, Metenſe, & Sueſſionenſe. Illorum autem Regnorum Reges omnes ſeſe ſimpliciter inſcripſerunt ſeu intitularunt *Rex Francorum.*

Antverpia ſub Regno Sueſſionenſi ſeu Neuſtriæ. Regnum Metenſe origo fuit Regni *Auſtraſiæ* & Regnum Sueſſionenſe Regni *Neuſtriæ*, quæ hoc & ſubſequenti ſeculo fuit famoſa diviſio Regni Francorum. Dubium autem eſt num regio noſtra ciſmoſana fuerit ſub *Neuſtria* num ſub *Auſtraſia.* Miræus *Not. Eccl. Belg. cap.* 82. *in not.* aſſignans limites horum regnorum valde indiſtinctè loquitur, & videtur regionem noſtram inter Moſam & Schaldim adſcribere utrique Regno. Hadrianus Valeſius eam adſcribit Neuſtriæ in *Notitia Galliarum* pag. 68. dicens: „ Pars Franciæ Rhenum inter & Moſam jacens *Auſtria* item *Auſter*, nonnumquam „ & *Auſtraſia*; pars à Moſa ad Ligurim *Neuſtria* „ ſeu *Neuſtricum* dicta." In eam rem textum hunc Valeſii adfert Cuperus *Act. SS. Tom. IV. Aug. pag.* 809. *not. a.* & R. P. Cornelius Byëus *ibid. Tom. I. Octob. pag.* 398. *n.* 175. Sic etiam diviſionem illorum Regnorum refert Mezeray *Hiſt. de la France*, niſi quod loca quædam citrà ſuperiorem Moſam, ut Cameracum, Remos &c. adſcribat Auſtraſiæ. Idem aſſerit Ægidius de Leſſinia Ord. Præd. in opere *de Concordia temporum* conſcripto ante annum 1325. Molanus videtur in eandem iviſſe ſententiam, dum in Opuſculo ſuo de *Militia S. Duc Brab. cap.* 4. & 5. inter Principes Brabantiæ recenſet *Chilpericum* & *Clotarium II.* Reges Sueſſionenſes; & nullam facit mentionem *Sigeberti I.* nec *Childeberti II.* filii ejus, qui eodem tempore ſedentes Metis regnabant in Auſtraſia.

Hen-

Henſchenius verò *Act. SS. Tom. I. Febr. pag.* 209. *n.* 17. Schaldim ponit terminum Auſtraſiæ; & Papebrochius *Annal. Antverp. Mss* reputans regionem noſtram fuiſſe partem Regni Auſtraſiæ, refert illic Reges Auſtraſiæ, quaſi illis ſubjecta fuiſſet Antverpia noſtra. Anno 511.

Verùm huic opinioni videtur obſtare, quod tempore Theodorici III. Regis in Neuſtria, id eſt poſt annum 679., quo Rex ille regno reſtitutus eſt, S. Lambertus Epiſcopus Trajectenſis ſede pulſus fuit per Ebroïnum (quod aliqui tamquam indubitatum aſſerunt) qui Major-domus erat in Neuſtria, & tyrannidem ejus fugiens diſceſſit in Stavelo Abbatiam ſitam in ultramoſanis in Auſtraſia, (in qua tota eo tempore dominabatur Rex Dagobertus II.) ibidemque per annos ſeptem exul vixit. Jam autem ſi Trajectum & conſequenter tota regio noſtra ciſmoſana non fuiſſet ſub Neuſtria, S. Lambertus non debuiſſet derelinquere ſedem ſuam epiſcopalem tanto tempore ad evitandam tyrannidem Ebroïni, qui ſolùm dominabatur in Neuſtria.

Inſuper nullum habemus Diploma ullius Regis, qui ſolùm præfuit in Auſtraſia, quod concernit regionem noſtram ciſmoſanam. Hinc, donec penitiùs punctum iſtud hiſtoricum decidatur, in ſequentibus aſſignabo Reges Neuſtriæ, tamquam ſub quibus Antverpia degerit.

Regnum itaque Sueſſionenſe poſt mortem *Clodovei* obtinuit CLOTARIUS I. Fundavit Princeps hic Abbatiam *S. Medardi* Sueſſione, in qua ſepultus eſt anno 561. Reunierat Clotarius ante obitum mortuis fratribus Regnum Francorum: ſed poſt obitum ejus iterum diviſum eſt inter filios ejus in quatuor Regna. Clotarius I. Rex.

Regnum Sueſſionenſe obtinuit CHILPERICUS. Hic etiam limites regni ſui dilatavit & majorem partem regni Pariſienſis ſibi ſubegit. Dotavit Eccleſiam cathedralem Tornacenſem anno 575. Diploma deſuper datum refert Miræus *Cod. don. pia. cap. II.* 561. Chilpericus Rex.

Prin-

Anno 561. Princeps hic implicatus fuit erroribus ſabellii; ſed anno 580. reductus ad ſanam fidem per *Gregorium* Epiſcopum Turonenſem & *Salvium* Epiſcopum Albienſem. Pius erat, curabatque converſionem Judeorum, quorum plurimos de fonte levavit. Plurima etiam bona contribuit Eccleſiis & Monaſteriis, obiitque anno 584.

577. S. Germani cultus Antv. Tempore hujus Regis obiit S. GERMANUS Epiſcopus Pariſienſis circà annum 577. Feſtum ejus celebrat Eccleſia Antverpienſis quotannis 28. Maij ſub ritu ſemiduplici cum Oratione & Lect. 2. Noct. propriis.

584. Clotarius II. Rex. Succeſſit in regno patris CLOTARIUS II., qui anno 614. & ſequenti duo Concilia celebrari curavit Pariſiis pro diſciplina eccleſiaſtica. Pietatem in regno ſuo fovit, obiitque anno 628.

620. S. Gaugerici cultus Antv. Tempore hujus Regis circà annum 620. obiit S. GAUGERICUS Epiſcopus Cameracenſis, quem Eccleſia Antverpienſis per totam diœceſim colit 11. Auguſti ſub ritu ſemiduplici, cum duabus Lectionibus 2. Noct. propriis.

628. Dagobertus I. Rex. CLOTARIO ſucceſſit filius DAGOBERTUS I., jam inde vivente patre Rex Auſtraſiæ ab anno 622. Fundavit hic Abbatiam *S. Dioniſii*, in qua poſt obitum ſepultus eſt, aliiſque piis locis liberaliter dona contulit.

Pipinus de Landis an Dux Brabantiæ. Rex DAGOBERTUS anno 638. filium ſuum *S. Sigebertum* conſtituit Regem Auſtraſiæ eique tutorem dedit Pipinum de Landis Comitem Hasbaniæ, qui & ibidem factus eſt Major-domus, quæ dignitas vix differebat à regia. Pipinus pietate ſuâ meruit nomen ſancti, obiitque anno 646. Computatur 633. etiam à variis Auctoribus inter Principes ſeu Duces Brabantiæ, ſicut & ſucceſſores ejus uſque ad *Pipinum* Regem. Non video autem quâ ratione, niſi forte eâdem, quâ Dux Arſchotanus, Dux Hoogſtratanus & alii ſimiles hodie dicerentur Principes ſeu Duces Brabantiæ.

An paganiſmus hic huc Itaque regio noſtra circiter per centum & quadraginta

ginta annos ſubjecta fuerat Regibus ſucceſſivè chriſtianis ac piis, antequam Antverpiam veniſſet S. AMANDUS, qui eſt primus notus Antverpienſium Apoſtolus. Hinc dubium nullum, quin illis temporibus Antverpienſibus refulſerit fidei lumen. Fieri tamen poteſt, quod paganiſmus aut ſaltem pagani mores necdum funditus eſſent eradicati propter viciniam Regni pagani: Friſia enim, quæ latiùs tunc patebat quam hodie, eo tempore erat & deinceps ferè per ſeculum manſit ſub paganis Regibus.

Anno 633. uſque perſeveraverit

Unde ignoti Antverpienſiũ Apoſtoli.

Interim nullum hactenùs monumentum apparuit, quod antiquiores Apoſtolos, qui Antverpiæ prædicâſſent, notos faciat. Non mirum ſanè: nam revolutiones, devaſtationes & conflagrationes omnia iſtius temporis quantulacumque monumenta conſumpſerunt. Anno enim 406. cœpit devaſtatio Belgii per Wandalos; Succeſſit poſt annum 410. revolutio facta per Francos, qui pagani erant. Succeſſit iterum circà annum 450. devaſtatio Belgii per *Attilam* dictum *Flagellum Dei* Hunnorum Regem. Seculo IX. & X. iteratis vicibus deſolarunt Belgium noſtrum Nortmanni, Antverpiamque incenderunt. Harum certè revolutionum calamitates potuêre conſumere quidquid ſcriptores, qui pauci tunc temporis erant, de ſtatu religionis propatrum noſtrorum reliquiſſent.

S. Amandus primus notus Apoſtolus.

Primus itaque notus Antverpienſium Apoſtolus eſt S. AMANDUS indeterminatæ ſedis Epiſcopus, dein per triennium Epiſcopus Trajectenſis ad Moſam. Id autem etiam diu nimis ignoratum fuit: nam monumenta hujus rei fidem facientia primùm eruta ſunt initio ſeculi XVII. ex Abbatia Willibrordiana apud Epternacenſes in Diſtrictu Luxemburgenſi. At ſicut hæc antiquitatis documenta tam diu latuerunt; ſic fortè adhuc alibi, ubi devaſtationes non ita fuerunt generales, ut in his regionibus, alia antiquiora monumenta latent, quæ cum tempore lucem videant & anteriores Apoſtolos notos faciant.

Ante-

Anno 633. S. Dympna Antverpiæ.

Antequam autem agamus de S. Amando, præmittendum hìc venit, quod legitur in vita S. Dympnæ, quæ refertur per Henſchenium *Act. SS. Tom. III. Maij pag.* 479. In ea legitur, quod ſancta hæc fugiens impudicitiam patris non tantùm Antverpiam tranſierit, ſed etiam ibidem aliquamdiu commorata ſit: „Apud locum, *inquit Auctor*, qui Antver-„pia dicitur applicuerunt (*S. Dympna & S. Ger-„bernus cum ſociis*) exeunteſque de navi & intran-„tes hoſpitium ibi moram aliquamdiu peregerunt, „loci hujus ab incolis diligentiùs ſciſcitantes, quis-„nam eis locus eſſet utilior ad manendum; quo „remoto gentium à tumultu Chriſto poſſent devo-„tiùs famulari... Cœptum iter iterum repetentes „... ad Villam... Ghele..., venerunt..., com-„pertoque Oratorio in *B. Martini* Pontificis vene-„randâ memoriâ dedicato, non longè ab eo... „locum... ad ducendam vitam ſolitariam accep-„târunt." Ubi non diu poſt martyrium ſubiêrunt.

Henſchenio loco citato magis placet opinio, quæ judicat hæc contigiſſe inter annos 620. & 640., adeoque ſub Rege CLOTARIO II. aut DAGOBERTO I. An autem ex Hibernia huc navigantes Antverpiam appulerint ex propoſito, an divinâ providentiâ navim dirigente, non liquet. Interim veroſimilè eſt, quod potiùs intenderint ingredi regionem ſubditam Regibus Chriſtianis, & ſic potiùs per Schaldim quàm per Rhenum aut Moſam, quorum oſtia ſubjecta erant Regibus Friſonum, qui pagani erant.

Ejus memoria Antverpiæ.

Eccleſia autem Antverpienſis, veroſimiliter in memoriam hujus commorationis, celebrat quotannis 15. Maij feſtum S. Dympnæ ritu ſimplici cum Oratione & tertiâ Lectione propriis. Coluerat etiam eam olim in proprio Breviario.

S. Amandi vita.

Vide Henſchenium Tom. I. Febr.

Amandus itaque, primus noſter notus Apoſtolus, filius erat *Sereni* Aquitanorum Ducis ex *Amantia*, natus in Aquitania in pago *Herbadilico* ſeu *Herbaſilico* non longè à littore Oceani Galliæ circà annum 594. 7. Maij. In adoleſcentia vitæ monaſticæ

ſtudio

ſtudio receſſit in Inſulam *Ogiam* ſeu *Oyem*, hodie ſub Diæceſi Rupellenſi in tractu Alnienſi. Cum autem pater quietum ibidem rebus divinis haud pateretur, ad S. Martini Turonenſis ſepulchrum profectus precatus eſt Deum, ut numquam ſe ad ſolum patrium remeare permitteret. Dein anno 612. Bituricas tendit ad S. Auſtregiſilem Epiſ., & ibidem cellæ incluſus transegit quindecim annos. Anno 633.

Inde Romam profectus anno 628. loca ſacra viſitavit, ibidemque à S. Petro eſt monitus, ut in Galliam prædicaturus rediret. Redux anno ætatis 34. à Rege, veroſimiliter *Dagoberto I.* qui dicto anno mortuo *Clodoveo* regnum Neuſtriæ adierat, & à Sacerdotibus coactus ordinatus eſt Epiſcopus non ad determinatam ſedem ſed ad prædicandum ubique. Ad hanc dignitatem elevatus S. Amandus cœpit munus apoſtolicum exercere præcipuè erga maximè corruptos, qui in his regionibus Regni limites inhabitabant.

Ordinatur Epiſ. indeterminatæ ſedis.

Communis erat hoc tempore & deinceps prædicatio Evangelii per Epiſcopos, qui nulli ſedi affixi erant: ſed non licebat eis prædicare aut functiones epiſcopales exercere alicubi ſine licentia epiſcopi loci, quòd per Patres inhibitum erat. Patet hoc ex Canone XIII. Concilii Vernenſis in Gallia celebrati anno Chriſti 755. qui ſic ſonat: „De „ Epiſcopis vagantibus (*ſeu* vacantibus) qui paro„ chias (*id eſt diœceſes*) non habent, nec ſcimus „ ordinationem eorum qualiter fuit, placuit *juxtà* „ *inſtituta ſanctorum Patrum*, ut in alterius paro„ chia (*id eſt diœceſi*) miniſtrare aut ullam ordina„ tionem facere debeant ſine juſſione Epiſcopi, „ cujus parochia eſt. Et ſi hoc facere præſumpſerint „ ab officio ſuſpendantur... Et ſi ullus Clericus aut „ Laïcus talem Epiſcopum defenſaverit ſine com„ meatu Epiſcopi, cujus parochia eſt, excommu„ nicetur uſque ad emendationem." Patet inſuper ex ſimultate, quam anno 512. *S. Remiſius* Epiſ. Remenſis habuit cum *S. Falcone* Epiſ. Trajectenſi, qui

Similes Epiſ. non prædicabant ſine conſenſu Epiſcopi loci.

Anno 633. qui locum aliquem ſuæ diœceſis invaſerat & in eo functiones Epiſcopales exercuerat : de qua ſimultate vide *Act. SS. Tom. I. Octob. pag.* 99. *n.* 223. *& ſeqq.* In hanc rem etiam facit Canon 10. Conſilii Arauſicani I. celebrati anno 441. in quo agitur de Epiſcopo, qui in aliena diœceſi in fundo ſuo ædificaverat eccleſiam & dicitur : *Non præſumat dedicationem, quæ illi omnimodis reſervatur, in cujus territorio* id eſt Diœceſi *eccleſia aſſurgit* dein additur : *Et omnis Eccleſiæ ipſius gubernatio ad eum, in cujus civitatis territorio eccleſia ſurrexit pertinebit.* Anno 348. id inhibetur in Concilio Carthaginenſi I. cap. x.

Et eodem ſeculo IV. S. Epiphanius Epiſ. excuſat ſe, quòd Presbyterum ordinaſſet alterius diœceſis propter neceſſitatem, ut patet ex ejus epiſtola ad Jeroſolymitanum Epiſ. relata Tom. III. operum S. Hieronimi Edit. Pariſ. 1706. pag. 822. Hinc S. Amandus certe nullibi prædicavit ſine licentia Epiſcopi loci.

Prædicat in Flandria & vicinis locis. In Flandriam autem venit & notanter in Gandenſem diſtrictum & circumvicina loca anno 629. Ad hæc loca, ut aliqui volunt, hactenùs nullus accedere auſus fuerat, tum ob ſterilitatem loci, tum ob ferocitatem incolarum. Sed quis hoc credet! cum regio jam ultra centum & triginta annos ſubjecta fuiſſet Regibus ſucceſſive chriſtianis & piis, & circumdata viris apoſtolicis, Epiſcopis nempè Tornacenſibus, Cameracenſibus & Trajectenſibus.

Fieri tamen poteſt, quod in his regni limitibus Idololatria hactenùs eliminari non potuerit, vel ideo quòd pertinaces pagani ſupereſſent à tempore, quo paganiſmus dominabatur, aut quod acceſſiſſent per commercium cum vicinis Regnis paganis vel ultrarhenanis vel potiùs Friſia, quæ latiùs tunc patens quam hodie, nobis vicina erat & Regibus paganis ſubjecta. Pagani autem, ſi qui fuerint, ſua fortè fana habebant. Potiùs autem credendum eſt chriſtianos, qui cùm ſimilibus communicabant,

mori-

moribus paganos fuiſſe : id enim videtur indicare MARTINUS Papa in Bulla data ad preces S. Amandi anno 651. relatâ apud Miræum *Don. Belg. L.* 1. *Cap.* 1., in ea dicit Pontifex, S. Amandum ibidem deliminaſſe gentilium ſpurcitias, id eſt, paganos mores non paganiſmum. Anno 633.

Cum autem S. Amandus apoſtolico zelo ductus huc adveniſſet & paganos mores ſubitò eradicare & fana, ſi quæ fuerint, deſtruere voluiſſet, repulſam paſſus eſt. Hinc vix fructum referens animo fractus iterum Romam tendit annò 630. Tendit Romam.

A Pontifice animatus in opus Evangelii rediit ad eoſdem hos regni limites. Sed cum primà vice repulſam paſſus eſſet, tendit ad *Eucharium* Epiſ. Tornacenſem, cujus ope anno 631. à Rege *Dagoberto* obtinuit Litteras, quibus munitus fidenter tendit ad diſtrictum Gandenſem & vicina loca. Jam autem multum fructum referens cœpit extruere Monaſteria & Eccleſias. A Pontifice animatus reaſſumit prædicationem.

Cum autem Regis Dagoberti incontinentiam caſtigaret, è Regno pellitur anno 634. fugitque ad *Charibertum* Aquitaniæ Regem, & tempore exilii prædicavit in Vaſconia. Ab exilio revocatur anno ſequenti, & rogatus à DAGOBERTO & inductus per primarios aulicos *SS. Eligium* & *Ondoënum* pios tunc laïcos baptizavit filium ejus *S. Sigebertum* dein Auſtraſiæ Regem, eumque in filium ſpiritualem ſuſcepit. 634. è Regno pellitur & revocatur. 635. Baptizat S. Sigebertum.

Benevolentiam Dagoberti nactus Amandus iterum ad has partes venit, erexitque Gandavi ſacellum S. Petri & fundavit ibidem monaſterium poſteà *S. Bavonis* dictum, & alibi alias Eccleſias conſtruxit. Fundat monaſterium Gandavi.

Petivit autem Amandus à Dagoberto fundum inter Scarpum & Elnonem fluvios tertio à Tornaco lapide, ad fundandum monaſterium Elnonenſe dein *S. Amandi* dictum; obtinuitque eum per diploma datum anno XI. regni ejus, nempè in Neuſtria, id eſt anno 639., quod refert Miræus *Dipl. Belg. Lib.* 1. *Cap.* 1. In illo Diplomate notat 639. Fundat Elnonenſem Abbatiam.

Dago-

Anno 639. Dagobertus, quod Amandus eſſet venerabilis vitæ; & quod jam aliquas Eccleſias ſeu monaſteria conſtruxiſſet & bene diſpoſuiſſet.

Prædicat Antverpiæ & Eccleſiam conſtruit. Hinc veroſimile eſt S. AMANDUM inter annum trigeſimum-primum & hunc trigeſimum-nonum, dum munitus erat Litteris Dagoberti, Antverpiæ prædicaſſe & ibidem Eccleſiam conſtruxiſſe, quod tamen Henſchenius *pag.* 835. *n.* 97. differt ad annum 660. Quod autem S. Amandus Antverpiæ prædicaverit & Eccleſiam conſtruxerit, conſtat ex duobus Diplomatibus RAUCHINGI Antverpiæ principis ſubalterni ſeu Comitis datis anno 726., quæ infrà ad illum annum referentur.

Quæ nunc dicitur S. Walburgis. Conſtructio Eccleſiæ indicat ſanctum hunc non modico tempore hic ſubſtitiſſe. Eccleſiam autem conſtruxit in honorem *SS. Petri & Pauli Apoſtolorum principum vel cæterorum ſanctorum*, ut indicant eadem Diplomata; quæ etiam dicunt, quod *conſtructa eſt infra Caſtrum Antwerpis ſuper fluvium Schalde.* Putatur hæc Eccleſia eſſe eadem, licèt pluries reædificata, quæ hodie *S. Walburgis* dicitur: illa enim extat in inferiori parte veteris Burgi in ipſo littore & quaſi *ſuper fluvio*, quia dum æſtuat mare etiam hodie Schaldim tangit.

An fuerit prima, quæ Antv. extitit. An autem hæc fuerit prima Eccleſia, quæ Antverpiæ extitit, neſcimus. De eo tamen meritò dubitatur, tum quia jam per centum & quadraginta annos fuerat ſub Regibus ſucceſſive chriſtianis & piis, tum quia hactenus latet origo Eccleſiæ S. Michaëlis, ſicut & origo Eccleſiæ S. Georgii ac Capellæ B. Mariæ, ad quam ſeculo XII. transmigravit Capitulum, quæ nunc eſt cathedralis. Verùm in hâc incertitudine pro ſubſequentibus gratis ſupponemus, Eccleſiam conſtructam per S. Amandum fuiſſe unicam in hac Civitate & conſequenter primitivam.

644. Rex Dagobertus I. moritur. Rex DAGOBERTUS I. obiit anno 644. De eo tamen non conſtat: multi enim cenſent eum obiiſſe ſex annis citiùs, anno nempè 638. Interim cum

Miræo

Miræo *Chron. Belg.* differimus obitum ejus ad annum 644. ac ordinationem SS. Eligii & Oudoëni ad annum 646. Anno 644.

Patri in regno Neuſtriæ ſucceſſit CLODOVEUS II. regnavitque per annos octodecim. Clodoveus II. Rex.

Mortuo Aichario Epiſ. Noviomenſi & Tornacenſi anno 646. ſufficitur, licèt adhuc laïcus, S. ELIGIUS ſecundus Antverpienſium notus Apoſtolus, conſecratus Dominicâ ante Aſcenſionem. 646. S. Eligius ordinatur Epiſcopus.

Anno ſequenti S. AMANDUS, qui hactenùs determinatam ſedem non habuerat; à Rege & ſacerdotibus coactus acceptavit ſedem Epiſcopalem Eccleſiæ Trajectenſis. Rogatus & coactus fuit à Rege CLODOVEO, & fortè etiam à S. SIGEBERTO Auſtraſiorum Rege, quia Diœceſis Trajectenſis protendebatur in utrumque regnum, id eſt, tam ultrà quàm citrà Moſam. Inter Sacerdotes autem, qui eum induxerunt ad acceptandam determinatam ſedem, indubiè præcipui fuerunt *S. Eligius* & *S. Oudoënus*, quorum uterque jam ſedem Epiſcopalem acceptaverat, & qui, ut ſuprà vidimus anno 635. eum induxerant ad baptizandum S. SIGEBERTUM jam Auſtraſiæ Regem. 647. S. Amandus fit Epiſ. Trajectenſis.

Exiſtens itaque Trajectenſis Epiſcopus *Amandus* per triennium vicos & Caſtra circumiens verbum Domini conſtanter prædicavit; quo tempore indubiè etiam Antverpienſem Eccleſiam à ſe fundatam identidem viſitavit. Anno autem 649. à MARTINO PP. liberari petivit ab Epiſcopatùs onere, idque ob contumaciam Cleri; ob quam cauſam anno ſequenti ſedem Trajectenſem reſignans pro tertiâ vice tendit Romam. Poſt tres annos ſedem illam deſerit.

Dixi, veroſimile eſſe *S. Amandum* inductum fuiſſe ad acceptandam ſedem Trajectenſem per S. ELIGIUM: hic enim jam à longo tempore eum noverat, & præcipuè, cum factus eſſet Epiſcopus Tornacenſis, noti ipſi erant fructus, quos in ſua diœceſi prædicando & exſtruendis eccleſiis retulerat. Hinc veroſimile omnino eſt, quod *S. Amandus*, S. Eligius Apoſtolus Antverpienſis.

Anno 647. acceptans ſedem Trajectenſem, monaſteria & Eccleſias à ſe fundatas commiſerit curæ S. ELIGII, referens ei fructum factum & faciendum; quodque S. ELIGIUS, ut facilius Amandum induceret ad acceptandam determinatam ſedem, curam hanc benevolè acceptaverit, & geſſerit toto tempore, quo Trajecti ſedit & deinceps Romæ egit, id eſt ab anno 647. uſque ad annum 651. aut 652., quo Româ rediit S. Amandus, & ſic per annos quinque aut ſex.

Antverpiæ prædicat. Intrà hoc itaque tempus figendus eſt Apoſtolatus *S. Eligii* & prædicatio ejus apud Antverpienſes: ad quos pro acceptata cura ſæpius accedens conſtanter prædicavit verbum Dei, reliquias paganiſmi evertens & paganos mores redarguens. An autem S. Eligius in his partibus multos invenerit paganos dubium facit, quod Homiliæ ejus, quas habemus in Bibliotheca Patrum, de paganiſmo non agant.

ELIGIUM Antverpiæ prædicaſſe conſtat ex vita ejuſdem ſcripta per S. Oudoënum ei coætaneum & amicum, qui & cum ipſo conſecratus fuerat Epiſcopus. In ea inter alia hæc leguntur: ELIGIUS, *qui multum laboravit in Flandris, jugi inſtantiâ* ANDOVERPIS *decertavit, & multis erroribus implicatos Suevos convertit.* Suevi veroſimiliter erant, qui ex irruptionibus aut bellis remanſerant, & hìc aut illic in his partibus ſedem fixerant.

Ejus vita. Erat ELIGIUS natus prope Lemovicas Aquitaniæ urbem, patre *Eucherio*, matre *Tervige* religionem catholicam colentibus anno ſalutis 588. Factus faber-aurarius in ea arte multùm excelluit, plurimumque laboravit in fabricandis thecis ſeu capſis pretioſis ad recondendas Sanctorum reliquias. In Franciam citeriorem veniens mediante Bobbone Regis theſaurario in gratiam venit CLOTARII II. Francorum Regis, dein & præcipuè, etiam ad invidiam iniquorum, DAGOBERTI I. & CLODOVEI II. filii ejus hoc tempore regnantis. Laborans ſummam pietatem exercebat; diſcipulos ſuos & famulos ad pietatem excitabat,

tabat, ex quibus non pauci ad Clericatum, ad dignitates, ad ſanctitatem & martyrium pervenerunt. Duo monaſteria fundavit, alterum prope Lemovicas alterum Pariſiis. Ad fundandum illud obtinuit à *Dagoberto* fundum anno 10. regni ejus in Neuſtria, id eſt 638. In pauperes ſummè miſericors, Regi etiam ab eleëmoſinis fuit. Anno 647.

Cum autem in hoc munere pietas ELIGII erga pauperes multùm eluceret, & eos non tantum juvaret in temporalibus ſed etiam in ſpiritualibus, dignus judicatus eſt, licèt adhuc laicus, qui aſſumeretur ad epiſcopatum Noviomenſem & Tornacenſem, eſtque conſecratus Dominicâ ante Rogationes anno tertio CLODOVEI II., id eſt anno 646. Fit Epiſcopus Tornacenſis.

Epiſcopales functiones cum magno zelo & charitate adimplevit, prædicans ubique ad extirpandas reliquias paganiſmi & corruptos chriſtianorum mores, non tantùm infrà limites diœceſis, ſed etiam inter vicinos; Antverpiæ multum & diu laboravit, quod indicant verba S. Oudoëni: *Jugi inſtantia* ANDOVERPIS *decertavit.* Prædicat.

Tandem plenus meritis & miraculis clarus obdormivit in Domino. Non conſtat autem, quo anno obierit: Fleury putat anno 659. Conſentit Stiltingus *Act. SS. Tom. II. Septemb. pag.* 564. *n.* 69. Henſchenius *Act. S. Amandi* putat eum obiiſſe anno 665. Habemus autem apud Miræum *Dipl. Belg. lib. I. cap.* 5. diploma *S. Vindiciani* Ep. Cam. datum anno VII. Theodorici Regis, id eſt anno 686., diploma illud ſubſignavit *Eligius Epiſcopus.* An hic ſit idem, de quo agimus, aliis inquirendum relinquo. Ejus obitus.

Feſtum *S. Eligii* celebrat Eccleſia Antverpienſis per totam Diœceſim 1. Decembris ritu ſemiduplici cum Lect. 2. Noct. propriis; & in Eccleſia Burgi colitur ut primarius Patronus. Coluerat eum Eccleſia Antverpienſis olim in proprio Breviario bis in anno, die 25. Junii fiebat ejus commemoratio, & 1. Decembris habebat III. Lect. proprias. Cultus Antv.

Anno 647. Sicut autem Apoſtolus hic vivus nobis prædicavit verbo, ſic etiam mortuus non ceſſat docere per ſcripta, quæ reliquit: nempè *Homilias XVI.* quæ habentur apud M. Bigne *Bibliot. Patrum edit. an.* 1609. *Tom. II. pag.* 131. & ſeqq. *Epiſtolam ad Deſiderium Carducenſem Epiſcopum*, & *Sermonem de rectitudine catholicæ converſationis*, qui refertur in Appendice Tom. VI. Operum S. Auguſtini per Benedictinos pag. 266. Inſuper Thomas Tannerus in *Bibliotheca Britannico-Hibernica* Londini anno 1748. edita *pag.* 258. dicit, S. Eligium ſcripſiſſe Lib. 1. *contra ritus Suevorum.* Lib. 1. *de Idolis deſtruendis.* Lib. 1. *De Sanctis honorandis*, & Librum unum *ad Antwerpianos.* De hoc autem S. Eligii Libro nullam mentionem faciunt Benedictini S. Mauri, qui edunt *Hiſt. Litt. de la France*, nec alii.

Scripta ejus.

651. S. AMANDUS agebat Romæ anno 650. & ſecum ferens commendatorias Regis *Dagoberti I.* piæ memoriæ & *S. Sigeberti* Regis Auſtraſiorum petivit confirmationem & apoſtolicam protectionem pro Monaſteriis & Eccleſiis à ſe fundatis. Obtinuit autem anno 651. pro ſingulis deſuper peculiarem Bullam à MARTINO PP. I. Duas ex illis habemus, nempè unam pro monaſterio Elnonenſi, alteram pro Blandinienſi juxtà Gandavum, quas refert Miræus *Don. Belg. Lib.* 1. *Cap.* 1. *&* 2. Bullæ reliquæ, quas pro aliis eccleſiis obtinuit, hactenùs latent: & ſic etiam latet illa, quam indubiè etiam obtinuit pro Eccleſia Antverpienſi à ſe fundata infrà Burgum.

S. Amandus Romæ.

Obtinet privilegia pro Eccleſiis á ſe fundatis.

In hoc itinere romano, ſicut & in præcedenti, S. Amandus ſocium habuit S. HUMBERTUM Abbatem monaſterii Maricolenſis in Hannonia. Inde præſumitur S. Humbertum etiam fuiſſe ſocium ejus in prædicatione Evangelii, & conſequenter etiam cum ipſo Antverpiam illuſtraſſe prædicatione ſuâ. Quam in rem Molanus *Natal. SS. Belg. ad* 25. *Martii* adfert poëma Antverpiæ apud præmonſtratenſes inventum, in quo hæc leguntur.

S. Humbertus an Antverpiæ prædicaverit.

Inclite

Inclite, qui meritis fulges Humberte *coruſcis,* Anno 651.
Cujus ad exemplar vitæ ac moderamine quondam
Barbara doctrinam nacta eſt Antverpia *Chriſti,*
Te duce Cœnobium felix radiat Maricollis.

Sed à quo aut quo ævo factum ſit hoc poëma, non liquet.

Inſuper Bollandus *Tom. III. Martii pag.* 559. refert, quod in Collectaneis Prioris Aquiſcinctini citentur ſequentia ex manuſcripto Maricolenſi: „ Hic ſedulus Vir (*Humbertus*) profectus eſt ad ea „ loca, ubi nunc eſt Antverpia, fungens ſuis parti- „ bus gentem infidelium à cultura dœmonum ab- „ ſtraxit, eamque dogmatibus chriſtianis ritè cate- „ chizatam ad baptiſmi lavacrum perduxit. ". Manuſcriptum hoc certè in Maricolenſi Abbatia ampliùs non extabat, dum Bollandus hæc ſcribebat. Si enim extitiſſet, certè cum pluribus aliis monumentis inde ad ipſum tranſmiſſis, obtinuiſſet & hoc manuſcriptum, & tunc ex alio Collectore relata referre non debuiſſet: unde neſcimus, cujus qualitatis fuerit illud manuſcriptum. Certè honori duceret Antverpia, ſi & Sanctum hunc computare poſſet inter Apoſtolos ſuos: ſed præter jam relata, alia monumenta non habemus, quæ rem hanc ſolidè confirment. Interim Eccleſia Antverpienſis nullam ejus memoriam fàcit, nec fecit olim.

S. Amandus redit Romà

S. AMANDUS Româ reverſus eſt in fine anni 651. aut initio anni 652. & de conſenſu Pontificis ac Diœceſani Epiſcopi in his partibus iterum cœpit exercere munus apoſtolicum nulli certæ ſedi aſtrictus, ſicut fecerat ante aſſumptam Sedem Trajectenſem· Curam reaſſumpſit Eccleſiarum & Monaſteriorum quæ fundaverat, conſequenter & Eccleſiæ Antverpienſis, eam ſicut & alias uſque ad obitum identidem viſitans, populum inſtruens & confirmans in fide & moribus, quos tum ipſe, tum S. ELIGIUS eos ante docuerant.

Converſio S. Bavonis.

Cum S. Amandus Româ rediiſſet, Gandavum ad eum venit S. BAVO Comes ſeu Dux in Hasba-

 nia,

Anno 651. nia, ſita ſub Diœceſi Trajectenſi. Venit ad eum plenè convertendus, quod & factum eſt; & deinceps uſque ad obitum egit vitam ſanctiſſimam. Noverat indubiè *Bavo* Amandum, eumque convenerat, dum erat Epiſcopus Trajectenſis; cum juxtà Trajectum Comitatum haberet ibidemque moraretur; hinc mox, cum reverſus eſſet Româ Amandus, ad eum venit Bavo. Supervixit autem S. Bavo converſioni ſuæ tribus annis, adeoque obitus ejus veroſimillimè ſtatuitur anno 654.

654. Cultus ejus Antv. Eccleſia Antverpienſis S. Bavonem coluit olim in Breviario ſibi proprio bis in anno. Die 1. Octobris fiebat ejus cum S. Vedaſto &c. commemoratio; die autem 8. ejuſdem menſis fiebat officium ejus ritu Duplici. Poſt aſſumptum anno 1598. Breviarium Romanum colit eum Antverpia per totam Diœceſim ritu Semiduplici cum Lectionibus 2. Nocturni & Oratione propriis.

659. Cultus S. Gertrudis Antv. Anno 659. 17. Martii ætatis 33. annorum obiit S. GERTRUDIS filia *Pipini de Landis* Abbatiſſa monaſterii Nivellenſis, quod mater ejus *B. Itta*, quæ à S. Amando velum obtinuerat, fundaverat. Illam etiam colit Eccleſia Antverpienſis quotannis 17. martii ritu Duplici cum Oratione & Lect. 2. & 3. Noct. propriis. Coluerat eam olim in Breviario proprio eodem ritu.

662. Clodoveus II. moritur. CLODOVEUS II. Rex obiit anno 662. Ergà pauperes erat maximè miſericors; tempore famis univerſalis omni modo conatus eſt ſubvenire afflictis ſubditis.

Clotharius III. Rex. Patri in Regno ſucceſſit CLOTHARIUS III. Rex hic anno 668. confirmavit commutationem poſſeſſionum inter S. Mummelinum Epiſ. Noviomenſem & S. Bertinum Abbatem. *Dipl. Belg. Tom. II. pag.* 925. obiit autem anno 676.

676. Childericus II. Rex. Succeſſit huic CHILDERICUS II. jam inde ab anno 664. Rex Auſtraſiæ. Hic anno VIII. regni ſui in Auſtraſia, id eſt anno 672. confirmavit fundationem Abbatiarum Stabulenſis & Malmundarienſis

per

per Diploma relatum *Dipl. Belg. Tom. III. P. II. Cap.* 2. Occiſus autem eſt anno 679. Anno 680.

Huic in Regno Neuſtriæ ſucceſſit THEODORICUS I. dictus III., qui ab anno 676. fuerat monaſterio incluſus. Theodoricus I. Rex.

Anno ſecundo hujus Regis, id eſt anno 682. S. AMANDUS ætatis 88. annorum condidit teſtamentum, per quod ſepulturam corporis ſui eligit in monaſterio *Elnonenſi* à ſe propè Tornacum fundato ante annos quadraginta tres, ſeu anno 639. In hoc monaſterio ſedem ſenectutis fixerat S. Amandus, ſic tamen ut identidem excurreret ad Monaſteria & Eccleſias à ſe fundatas, quod nequidem jam, cum ad decrepitam deveniſſet ætatem, omittere intendebat, ut ſatis indicat in dicto teſtamento, in quo, in ſuppoſito quod in itinere moreretur, ſtatuit corpus ſuum, deferendum ad dictum monaſterium. Teſtamentum illud refert Miræus *Cod. Don. pia. Cap. IV.* unde illud ſubjungo tamquam monumentum notabile primi noſtri noti Apoſtoli. 682. S. Amandus ſeneſcens.

„ IN NOMINE Domini noſtri Jeſu Chriſti ego „ AMANDUS miſerrimus & peccator. Condit Teſtamentum.

„ Credimus ubique divinam nos pietatem regere „ & clementer ſalvare velle; quia & ingreſſum „ noſtrum in mundum & exitum de mundo „ ante ſecula ipſe prænoſcit. Proinde omnibus non „ habetur incognitum, qualiter nos longè lateque per „ univerſas provincias ſeu gentes, propter amorem „ Chriſti, ſeu verbum Dei annuntiare vel baptiſ„ mum tradere volentes, diſcurſum habuimus; & „ nos de multis periculis pietas Dei eripuit & uſque „ tempore iſto perducere dignata eſt.

„ Sed dum jam corpore feſſo & multis laboribus „ fatigato, jam in ſumma ſenectute penè corpore „ præmortuo exitum de hoc mundo in proximo „ habere ſperamus; & quia nos Deus in iſtum „ locellum, qui vocatur *Elnonis*, perducere dig„ natus eſt, quem ſuper largitate Regia proprio „ labore viſi ſumus conſtruxiſſe; ſi nos ibi Deus

Anno 682.

„ de hoc mundo decreverit emigrare, peto & coram Christo Jeſu filio Dei conjurare præſumo, „ ut nulli Epiſcoporum vel Abbatum ſeu ſecularium Virorum, aut quibuſlibet Poteſtatibus hoc „ contrarium ſit, ut corpuſculum meum in ipſo „ monaſterio, quod ſuperiùs diximus, *Elnone* inter „ illos fratres requieſcat, ubi jam nos ad ipſos fratres & corpore & anima commendavimus.

„ Et ſi in itinere aut ubicumque finis noſter provenerit, ad ipſum locum, quem ſuperiùs memoravimus, corpuſculum noſtrum licentiam habeant fratres vel Abbas de ipſo monaſterio *Elnone* „ ibidem revocare.

„ Si quis verò contradicere aut de ipſo monaſterio corpus meum per fortia abſtrahere, aut temerario ſpiritu contradicere voluerit, imprimitùs „ S. Trinitatis offenſam incurrat; & ab omnibus „ Eccleſiis catholicis excommunicatus appareat, & „ à ſocietate Sanctorum extraneus efficiatur, & „ damnationem, quam Dathan & Abiron ſuſtinuerunt, quos infernus vivos abſorbuit, ipſe ſuſtineat; & ſit anathema maranatha, quod eſt perditio in adventu Domini noſtri Jeſu Chriſtj. Et „ nec ſic noſtram voluntatem mutare valeat; ſed „ hæc deliberatio noſtra in perpetuò firma & inviolata permaneat.

„ Et ut certiùs credatis, manu propria ſubſcripſi, „ & omnibus hominibus Deum timentibus ut ſubſcribant ſupplicamus & rogamus. Quam epiſtolam fratri noſtro *Baudemundo* presbytero fieri rogavimus. Facta epiſtola in Monaſterio *Elnone* „ anno ſecundo Regni THEODORICI Regis ſub die „ decima-quintâ kal. maij.

„ Ego AMANDUS peccator hanc epiſtolam à „ me factam conſenſi & ſubſcripſi. Ego in Chriſti „ nomine REOLUS acſi peccator ſubſcripſi. Ego in „ Chriſti nomine MUMMOLENUS Epiſcopus ſubſcripſi. Ego in Chriſti nomine VINDITIANUS „ Epiſcopus acſi peccator hanc epiſtolam rogante

„ Domi-

„ Domino Amando conſenſi & ſubſcripſi. Ego BERTINUS Abbas ſubſcripſi. Ego ALDEBERTUS Abbas ſubſcripſi. Ego JOANNES rogatus a Domino Amando conſentiens hanc epiſtolam ſubſcripſi. Ego *Baudemundus* peccator jubente Domino meo Amando hanc epiſtolam deliberationis ſuæ ſcripſi & ſubſcripſi. " Anno 682.

684. Moritur S. Amandus.

Poſt conditum hoc teſtamentum S. AMANDUS ſupervixit duobus annis, & ætatis ſuæ anno nonageſimo obiit 6. Febr. anno 684. plenus meritis & miraculis clarus in dicto *Elnonenſi* monaſterio, quod hodie S. AMANDI dicitur, ibidemque juxtà voluntatem ſuam ſepultus eſt.

Cultus ejus Antv.

Eccleſia Antverpienſis celebrat ejus feſtum quottannis 6. Febr. ritu ſemiduplici cum Lect. 2. Noct. propriis. Et in Eccleſia Burgi, quam primò conſtruxit, colitur ut Patronus.

Commendat Eccl. Antv. Abbati de Quortolodra.

Sicut autem S. AMANDUS, dum in vivis erat, peculiarem curam geſſit Eccleſiæ Antverpienſis, ſic & providit ei de bonis rectoribus, qui curam ejus gererent futuris temporibus: commiſit enim eam Abbati ſeu monaſterio de *Quortolodra* ſeu *Querquelodora* vel *Quercolodora*, ſub cujus cura erat initio ſeculi ſubſequentis, dum *S. Willibrordus* Antverpiam venit.

Quale & ubi ſitum hoc monaſterium.

Quale autem fuerit hoc monaſterium aut ubi ſitum, hactenùs latet. Interim vix dubitandum, quin fuerit fundatum per S. Amandum aut S. Eligium. Henſchenius *Act. S. Amandi VI. Febr. n.* 24. cenſet ſitum fuiſſe Durini ſeu Turnini vulgo *Deurne* primo lapide ab Antverpia versùs Orientem. Ad ſtabiliendam hanc ſuam opinionem explicat ethimologiam vocis hoc modo: *Quercolodoram autem ſeu Kerckelodoram dictum quaſi Kercke-loo-dor, ab aqua (quæ dor aut dur vel deur veteri Belgicâ lingua dicebatur) fluente juxtà ſilvam ſeu loo, apud quam ſilvam templum erat Kercke.* Verùm ethimologica hæc interpretatio multum de ſua vi deperdet, ſi legendum ſit *Quortolodra*, prout *Le Roy* ſcribit ex exemplari ad authographum collato.

Huic

Anno 684.

An fuerit in Deurne.

Huic autem monaſterio Henſchenius putat primum præfuiſſe S. Fredegandum; & Cuperus *Act. S. Fredeg. XVII. Julii n.* 27. hanc opinionem tamquam veram ſupponit. Videtur quidem ſeculo IX. in *Deurne* extitiſſe *monaſterium S. Fredegandi*, cujus vetuſtiſſimum monumentum habemus in Actis mss. S. Gummari conſcriptis poſt ſeculum XI., ex quibus Cuperus loco citato *n.* 5. huc facientia refert: ſed in illis S. Fredegandus non intitulatur Abbas, ſed ſimpliciter Confeſſor. Et ſi S. Fredegandus in illo fuerit primus Abbas, probabilior opinio eſt, quod monaſterium illud non ſit conſtructum niſi initio ſeculi VIII., ut Cuperus loco citato; & conſequenter non à S. Amando aut S. Eligio.

Cæterum neceſſe non eſt, ut monaſterium, cui S. Amandus commiſit curam Eccleſiæ Antverpienſis, ponatur propè Antverpiam: videmus enim Eccleſiam illam poſt quadraginta annos commiſſam fuiſſe monaſterio Epternacenſi in diſtrictu Luxemburgenſi, ut infrà latiùs dicetur: unde etiam monaſterium *Quortolodra* tam longè aut longiùs potuit diſſitum fuiſſe ab Antverpia; & ſic fortè extitit in illis partibus, in quibus S. Amandus & S. Eligius plurimùm verſabantur, id eſt in Occidentali Flandria, Artheſia aut Picardia. Satis enim erat monaſterio ad exequendam commiſſam curam, quod juxtà commiſſam Eccleſiam haberent domum, in qua commorari poſſent Religioſi, qui curam ejus gererent.

Origo Cellæ D. Mauri in Burgo Antv.

Sic ad hoc tempus referri poteſt origo *Cellæ D. Mauri* monachorum Benedictinorum, quam Le Roy, ut aſſerit *Not. March. S. R. J. pag.* 48., Antverpiæ in Burgo quondam extitiſſe didicit ex monumentis monaſterii Affligemienſis, ſed quo ſeculo cœperit aut deſierit, aſſequi non potuit. Cella hæc uſque in hodiernum diem nota eſt ſub nomine *'t Hof van Affligem*, & ſita eſt in Burgo propè Eccleſiam, quam primò conſtruxit S. Amandus,

dus, versùs Septentrionem in ripa Schaldis. Præſumere itaque poſſumus Cellam hanc originem ſumpſiſſe tempore S. Amandi, pro inhabitatione monachorum monaſterii de *Quortolodra*, qui curam gererent Eccleſiæ Antverpienſis. Anno 684.

Illi autem monachi eam poſſederunt uſque ad annum 726., quo FIRMINUS Abbas eam cum eccleſia Burgi reſignavit, & Rauchingus Antverpiæ Princeps ſeu Dominus eas tradidit S. Willibrordo, & S. Willibrordus monaſterio Epternacenſi. Monachi autem Epternacenſes eam poſſèderunt uſque ad finem ſeculi XI., quo eam transſcripſerunt monaſterio Affligemienſi, cujus monachi eam inhabitaſſe putantur uſque ad annum 1290. Deinceps autem eam tenuerunt ut Refugium, unde illi tunc nomen venit *'t Hof van Affligem*, uſque ad annum 1580., quo Antverpia gemebat ſub jugo hæreticorum, quando 10. Junii in auctione publicâ vendita fuit, & dein in plures habitationes diviſa, ut infrà latiùs dicetur.

S. AUTBERTUS Epiſcopus Cameracenſis cum per quadraginta quatuor annos diœceſim illam rexiſſet, plenus meritis obiit circâ annum 688. Feſtum ejus celebrat Eccleſia Antverpienſis quotannis 16. Decembris ſub ritu ſemiduplici cum Lect. 2. Noct. propriis. Eundem cultum habebat olim in proprio Antverpienſi Breviario 13. Decembris. 688. Cultus S. Autberti Antv.

THEODORICUS I. Francorum Rex obiit anno 693. Princeps hic monaſterio S. Vedaſti Atrebati, in quo ſepultus eſt, confirmavit omnia bona, à ſe & prædeceſſoribus collata, per Diploma, quod refert Miræus *Dipl. Belg. Lib.* 1. *C.* 4. Et anno 689. ad preces S. Bertini benefacit monaſterio de Sithiu *Dipl. Belg. Tom. II. P. II. Cap.* 2. Sub finem Regni hujus Regis cœpit S. Willibrordus munus apoſtolicum exercere in Friſia. 693. Theodoricus I. Rex moritur.

Regi huic ſucceſſit Clodoveus III., qui anno primo regni ſui eidem monaſterio Sithiu prædeceſſorum ſuorum privilegia confirmat & nova tribuit Clodoveus III. Rex.

Dipl.

Anno 698. *Dipl. Belg. Tom. II. P. II. Cap.* 4. Obiit autem anno 698.

Childebertus Rex. CLODOVEO ſucceſſit frater CHILDEBERTUS Francorum Rex, dictus *Juſtus*. Princeps hic anno 710. Solemium villam in Hannonia dat monaſterio S. Dioniſii. Miræi *Dipl. Belg. L. II. cap.* 5. Obiit autem anno 711. juxtà calculum Henſchenii, ſecundum quem conſequenter ſolùm regnaſſet annis tredecim. Habemus autem *Dipl. Belg. Tom. III. P. II. Cap.* 6. Diploma ſignatum anno XV. regni ejus, & *Vet. Monum. ampl. collec. Tom. I. pag.* 17. Diploma datum anno regni ejus XVI.

709. Cultus S. Lamberti Ep. Antv. Tempore hujus Regis, veroſimiliùs anno 709., martyrio coronatus eſt S. Lambertus Epiſcopus Trajectenſis; quem Eccleſia Antverpienſis in proprio ſibi Breviario olim colebat ſub ritu duplici; hodie autem poſt aſſumptum Breviarium romanum, inter Officia diœceſana die 17. Septembris ſub ritû ſemiduplici cum Lect. 2. Noct. propriis.

711. Dagobertus II. Rex. CHILDEBERTO ſucceſſit DAGOBERTUS Francorum Rex dictus III. (nobis autem II.: nam Dagobertus II. non præfuit in his regionibus, ſed in Auſtraſia) obiitque anno 715.

Cultus S. Gudilæ Antv. Circà hæc tempora ante annum 714., quo obiit Pipinus Heriſtallius Major-domus Regis Auſtraſiorum, obiit S. GUDILA Patrona Bruxellenſis. Colit eam Eccleſia Antverpienſis quotannis 19. Januarii ſub ritu ſemiduplici cum Lect. 2. & 3. Noct. propriis. Olim in proprio Brev. 8. Jan. ritu duplici.

715. Chilpericus II. Rex. Dagoberto ſucceſſit CHILPERICUS II. ex clerico Francorum Rex, inde dictus *Clericus*. Princeps hic anno 718. varia privilegia & immunitates concedit Abbatiæ de *Sithiu* in Artheſia *Dipl. Belg. Tom. II. P. II. Cap.* 5. obiitque anno 720.

720. Theodoricus II. Rex. Huic ſucceſſit THEODORICUS II. dictus IV. Francorum Rex filius Dagoberti II. Auſtraſiæ Regis, aut ſecundum alios extinctis Clodovei II. poſteris deſcendens à S. Sigeberto Auſtraſiæ Rege filio Dagoberti II.

Circà

Circà hæc tempora putatur obiiſſe S. ÆGIDIUS Abbas, quem eccleſia Antverpienſis coluit olim in proprio ſuo Breviario, & poſt aſſumptum officium Romanum colit per totam diœceſim 1. Septembris ritu ſemiduplici cum Lectionibus 2. Nocturni propriis. Anno 720. S. Ægidii cultus Antv.

Sub dicto Rege Theodorico primus innoteſcit particularis Antverpiæ Dominus ſeu Princeps ſubalternus, nempè RAUCHINGUS, qui S. Willibrordum excepit, eique Antverpienſem Eccleſiam gubernandam procuravit. Rauchingus Antverpiæ Princeps.

Anno ſexto regni ejus, id eſt circâ annum 726., erat Abbas de *Quortolodra* quidam FIRMINUS, qui tamquam talis curam gerebat Eccleſiæ Antverpienſis, eamque per ſuos gubernabat. Quis autem fuerit hic Firminus, neſcimus. Miræus *Cod. don. pia. Cap. VI. in notis* ſuſpicatur fuiſſe illum, qui in Martyrologio Romano nominatur XI. martii. At Bollandiſtæ de illo nil certi invenerunt, num in tractu Ambianenſi, num in Italia vixerit. Fortè legendum PIRMINUS, qui colitur 3. Novembris & multa monaſteria fundaſſe refertur. Vide *Dict. Hiſt. Moreri anno* 1740. *P. pag.* 241. 726. Firminus Abbas de *Quortolodra*.

Cum autem S. Willibrordus Epiſcopus Ultrajectenſis Antverpiam veniſſet, & apoſtolico ſuo zelo multum fructum faceret & ulteriorem promitteret; Firminus hic ſpontè deſtitit à ſuo regimine, & Eccleſiam Antverpienſem cum omni jure, quod ad eam habebat, repoſuit in manus pientiſſimorum Principum noſtrorum *Rauchingi* & *Bebelinæ* conjugis ejus, ut conſtat ex Diplomate mox infrà referendo. Cedit Eccl. Antv. in favorem Willibrordi.

Principes autem noſtri Abbati Firmino in recompenſationem hujus ceſſionis, ſeu, ut loquitur Diploma, in concambio dederunt locellum ſuum *Tumme* ſeu *Tumne*, quod Miræus latâ nimis interpretatione judicat eſſe *Turne* vel *Deurne* primo lapide ab Antverpia versùs Orientem. In compenſationem ei datur *Tumne*.

Certè nullum in his partibus locum invenio, Ubi ſitus locus ille.

cujus

Anno 729. A Pipino. Alteram medietatem *Epternaci* donant ei *Pipinus* & *Plectrudis* conjux ejus anno 709. ad conſtruendum ibidem monaſterium, quod hodie eſt celebris Abbatia Benedictinorum. *Dipl. Belg. Tom. II. P. II. Cap.* 1.

Ab Hedeno Duce. Anno 704. *Hedenus* Dux tradit ei Curtem ſitam in loco ſito *Arneſtali* ſuper fluvio *Huittejo*; & in caſtello *Mulenberge* tres caſatas & centum jugera terræ & alia plura: & anno 716. terras in pago *Salvenſi* ſuper fluvio *Sala* in *mero*, quod reſpicit ad *Hamulo* Caſtellum. *Vet. Monum. ampl. collec. Tom. pag.* 13. & 22. Eodem anno 704. *Aengilbaldus* vir illuſter ei donat terram in *Waderlo* ſuper fluvio *Dutmala*. Ibidem *pap.* 14.

A Berthilde. Anno 710. Berthildis illuſtris femina & monialis ei donat varia bona in pago *Taxandrenſi* in loco *Hoccaſcaute* ſuper fluvio *Dudmala*. Ibidem *pag.* 17.

Ab Engelberto. Anno 711. *Engelbertus* Francus Salius donat ei varias terras cum appendentiis ſuis in *Alphen* pago in diſtrictu Bredano. *Dipl. Belg. Tom. III. P. II. Cap.* 6.

Ab Ansbaldo Eodem anno *Ansbaldus* monachus tradit ei bona ſua in loco *Haeſlaos* in pago *Taxandriæ* ſuper fluvio Dudmala. *Vet. monum. ampl. collec. Tom. I. pag.* 18.

Ab Aengelberto, Anno 712. *Aengelbertus* ei donat varia bona in pago *Taxandriæ* in loco *Ereſloch* & in loco *Oſne*. Ibidem *pag.* 19.

Eodem anno *Ansbaldus* monachus varia bona ei donat in pago *Taxandriæ* in locis *Dieſna* & *Levetlaus* ſuper fluvio *Dutmala*. Ibidem.

A Pipino. Anno 714. iterum *Pipinus* cum conjuge *Plectrude* donat Willibrordo Baſilicam & manſionile *Sueſtra* nunc *Suſteren*, quod ſitum eſt in diœceſi Leodienſi, ad conſtruendum monaſterium, quod nunc eſt XX. nobilium Canonicarum Capitulum. *Dipl. Belg. Tom. III. P. II. Cap.* 7.

Ab Arnulfo. Anno 716. *Arnulfus* Dux donat S. Willibrordo prædia in Villa *Bollane* ſita. *Vet. monum. ampl. collec. Tom. I. pag.* 21.

Ebroi-

Ebroïnus Comes Willibrordo confert varia prædia in Hollandia anno 720. *Dipl. Bel. Tom. III. P. IV, cap.* 3.

Anno 726.

A Carolo Martello.

Carolus Martellus ſequens veſtigia patris ſui *Pipini* donat ei anno 721. varia in Civitate Ultrajectina cum Villa *Fethna* hodie *Fochten* vel *Fechten*. Miræus *Don. Belg. lib. II. cap.* 3. & *Eliſte* hodie *Elſt*, medio itinere inter Arnhemum & Noviomagum, cum variis aliis prædiis anno 725. Ibid. *cap.* 4.

Sic & alii alia variis in locis Willibrordo bona contulerunt, ut patet ex ejus teſtamento infrà referendo. Contulerunt, inquam, vel ad compenſandos ejus apoſtolicos labores, vel ad excitandum ejus zelum, vel potiùs ad commonſtrandum deſiderium, quo eum ſibi vel locis donatis attraherent, ut in fide & moribus à tam zeloſo Apoſtolo inſtruerentur, firmarentur aut excitarentur.

Ecclesia Antverpienſis datur S. Willibrordo.

Huic ſancto & zeloſiſſimo apoſtolo WILLIBRORDO eodem intuitu Principes noſtri RAUCHINGUS & BEBELINA commendârunt ſeu donârunt Eccleſiam Antverpienſem, ſitam infrà Burgum, ædificatam & conſecratam quondam per S. AMANDUM, anno Chriſti 725. aut 726. Et non tantùm Eccleſiam cum attinentiis ejus univerſis, ſed & varia de patrimonialibus bonis adjecerunt. Patent hæc ex ipſo Actu donationis, quem ſubjungo ex Le Roy Not. March. S. R. J. pag. 16., qui profitetur ſe eum correctiùs referre, quàm Miræus *Cod. don. pia. cap.* 6. & juxtà exemplar ad authographum Epternacenſe collatum.

A Rauchingo Principe Antverpienſi.

„ CREDIMUS mercedis lucra conquirere, ſi „ aliquid de rebus noſtris pro peccatis noſtris redi- „ mendis ſacerdotibus Dei conferimus.

„ Igitur ego in Dei nomine RAUCHINGUS & „ conjux mea BEBELINA donamus Apoſtolico „ Domno & patri noſtro WILLIBRORDO Epiſ- „ copo, donatumque in perpetuum eſſe volumus,

Anno 726. „ hoc eſt ECCLESIAM, quæ conſtructa eſt infrà „ Caſtrum ANTWERPIS ſuper fluvium SCHALDE, „ quam Domnus *Amandus* Pontifex in honore „ *SS. Petri & Pauli* apoſtolorum Principum vel „ cæterorum Sanctorum conſtruxit.

Vel idem eſt quod *&*. Nota: *vel* his ſeculis ſignificabat *&*: prout demonſtratur in kalendario Gothico, relato *Act. SS. in Præliminari ad Tom. VI. Julii pag.* 87. & in interpretatione ejuſdem.

„ Et nos pro ipſa Eccleſia vel quidquid ibi„ dem aſpicere videtur, venerabili viro FIRMINO „ Abbati de monaſterio QUORTOLODRA locellum „ noſtrum nuncupatum *Tumme* in concambio „ dedimus.

„ Et nos poſteà à die præſenti jam dictam „ Eccleſiam unà cum terris, domibus, ædificiis, „ accolabus, mancipiis, manſis, ſilvis, campis, „ pratis, paſcuis, aquis, aquarumque decurſibus, „ adjacentiis, appendiciis ibidem aſpicientibus, „ farinariis, gregibus cum paſtoribus, mobilibus „ & immobilibus, re acquiſita & inacquiſita, „ totum & ad integrum quidquid dici vel nomi„ nari poteſt, tam de dote quàm de comparato „ vel de qualibet re ad nos noſcitur perveniſſe, „ nos à die præſenti ſupraſcripto Domno WIL„ LIBRORDO donamus atque tradimus.

„ Et illud telonium, quod ad partem noſtram „ ibidem venerat, hoc eſt, illam tertiam partem „ ad integrum ei conceſſimus atque donavimus „ in ea ratione, ut ibi thus vel luminaria debeant „ eſſe procurata, & Presbyteri, qui ibi ſerviunt, „ pro peccatis noſtris Domini miſericordiam de„ beant exorare: & ut ipſe ſupraſcriptus Dom„ nus WILLEBRORDUS ipſam Eccleſiam, vel „ quidquid ibidem aſpicere videtur, ſeu ipſum „ telonium habeat, teneat atque poſſideat, dandi „ vel commutandi vel quidquid exinde facere „ voluerit, liberam & firmiſſimam habeat po„ teſtatem.

„ Si

„ Si quis vero, quod futurum eſſe non credo, „ hæredum vel prohæredum meorum, vel quælibet oppoſita perſona contrà hanc donationis „ chartulam venire tentaverit, & eam infringere „ conatus fuerit, primitùs iram Dei omnipotentis „ incurrat & ſanctorum Angelorum, & à liminibus Eccleſiæ alienetur, partemque habeat cum „ Juda & ultione Ananiæ & Saphiræ, vel leprâ „ Giezi percutiatur: inſuper inferat Fiſci juribus „ auri libras duas, argenti pondo quinque; nec „ ſi quid repetit, evindicare valeat; ſed firma & „ immobilis hæc donatio perennibus temporibus „ permaneat ſtipulatione ſubnixa. Anno 726.

„ Actum publicè eſt hoc WEIMODO regiâ villâ „ cum fecit October dies viginti, regnante THEODORICO Rege anno ſexto."

De monaſterio *Quortolodra* & locello *Tumme* ſuprà egi. Notanda in his Litteris.

De loco, in quo Litteræ hæ confectæ ſunt, ſeu de regia villa *Weimodo* nihil hactenùs divinatum inveni.

Cæterum ex his Litteris patet, quam ampla fuerit hoc tempore poſſeſſio Eccleſiæ Antverpienſis, & in quam diverſis bonis conſiſteret; Et quod jam inde Clerus ſeu plures ſacerdotes in eà deſervirent. Clerus Antverpiæ.

Ampla etiam fuit poteſtas data *Willibrordo* diſponendi de ipſa Eccleſia & appendentiis ejus, prout vellet. Unde etiam diſpoſuit de illis eodem anno in favorem monaſterii Epternacenſis à ſe fundati, ut mox infrà dicetur.

Quantùm autem ad imprecationes in contravenientes poſitas in fine Litterarum, ſunt illæ ſecundum Stylum ævi.

Non diu poſt largam hanc traditionem, alia de bonis propriis donârunt Principes noſtri Eccleſiæ ſupradictæ. Litteras deſuper confectas ſubjungo ex Miræo *Cod. don. pia. cap.* 7. Altera donatio eorumdem.

„ IN NOMINE DEI ego illuſter vir RO- Diploma deſuper.

Anno 726.

„ HINGUS & conjux mea BEBELINA dona„ mus ad ſacro-ſanctam *Eccleſiam Petri & Pauli* „ Apoſtolorum, quam Dominus AMANDUS Pon„ tifex in ANTWERPO conſtruxit, ubi WILLI„ BRORDUS Epiſcopus præeſſe videtur, dona„ tumque in perpetuum eſſe volumus, hoc eſt, „ Villam noſtram, quæ eſt conſtructa in *pago* „ *Renenſium* ſuper fluvium *Nutta*, quæ mihi „ de paterno jure legibus obvenit, in loco nun„ cupato *Præpruſdare* cum omni integritate. Et „ in alio loco, de materno jure ad me pertinen„ te, vocato *Winlindechim* medietatem de Caſis, „ Domibus, Eccleſiis, mancipiis & omnibus per„ tinentiis tradimus atque transfundimus.... "

Quo tempore hoc Diploma datum ſit.

Sic Litteras has dedit Miræus omiſſo anno, quo datæ ſunt. Interim clarè patet datas eſſe eodem, quo præcedentes anno; poſt eas tamen, cum in his ponatur *Willibrordus* præeſſe Eccleſiæ, cui per præcedentes præfigitur. Et quod intrà eundem annum datæ ſint, patet ex teſtamento *Willibrordi*, quod eodem anno ſexto THEODORICI Regis conditum eſt: in illo enim *Willibrordus* diſponit de bonis collatis per has ſecundas Litteras.

Notanda in eo.

Pagus *Renenſium* eſt diſtrictus, quem nunc vocamus *t' Lant van Ryen*. Fluvius *Nutta* eſt, quem hodie dicimus *Nete*. Quis fuerit locus *Præpruſdare*, ſitus ad dictum fluvium, nullus hactenùs indicavit; fortè fuit vicus ſub Boechout. Quantum ad locum *Winlindechim*, vel, ut in teſtamento S. Willibrordi, *Winnelincheimo* cenſet Miræus eſſe *Wyneghem* pagum altero lapide ab Antverpia verſùs Orientem. Unde notandum hoc tempore ibidem fuiſſe plures Eccleſias, adeoque locum illum tunc latiùs patuiſſe quàm hodie. *Eccleſia* plus quid videtur indicare quam *Capella*. Si autem quam plures Eccleſiæ tunc fuerint in Wyneghem, quid ni credamus plures eccleſias etiam hoc tempore fuiſſe in omni circumvicinia Antverpienſis Oppidi ſeu Burgi.

Hoc tempore plures Eccleſiæ circum Antv.

Deni-

Denique notandum quod, dum dicitur, medietatem illarum Eccleſiarum collatam fuiſſe Eccleſiæ Burgi, videatur id intelligi debere de medietate *juris Perſonatûs* illarum Eccleſiarum.

Anno 726.

Perſonatus Eccl. in Wyneghem.

Cæterum enumerantur hìc bona collata & ſpectantia ad Eccleſiam Antverpienſem: nulla autem fit mentio Decimarum. Sic in variis Diplomatibus hujus ſeculi habemus enumerationem bonorum Eccleſiarum & monaſteriorum, in quibus nulla fit mentio decimarum; unde colligere datur, hoc tempore Decimas in Belgio necdum deſtinatas fuiſſe ad cultum divinum. Van Eſpen dicit deſtinationem illam referendam ad Capitularia Caroli magni, id eſt poſt annum 800. ſed non probat Capitularia iſta effectum habuiſſe: conſtat autem ex hiſtoriis, Nobiles ſeſe conſtitutioni iſti oppoſuiſſe, nec in eo puncto Edictis Imperatoriis obediiſſe: unde Van Eſpen aliud certius fundamentum aſſumere debuiſſet, ad probandum Decimas univerſim in Belgio deſtinatas unquam fuiſſe ad cultum divinum.

De Decimis hoc tempore nulla mentio.

Ex relatis duobus Diplomatibus colligendum eſt, qui & quales fuerint Rauchingus & Bebelina conjux ejus; quia monumenta alia, ipſos concernentia, non habemus, niſi quod Guil. Heda in *Hiſt. Epiſc. Ultrajectinorum* aſſerat ſe vidiſſe numiſma aureum hujus *Rauchingi*.

Quales fuerint *Rauchingus* & *Bebelina*.

Ex illis itaque clarè patet eorum pietas ergà profectum cultûs divini, cum tam largâ manu dona ſua contulerint Eccleſiæ Antverpienſi. Patet & cura eorum non tantum pro ſalute propria ſed & omnium Antverpienſium, cum *S. Willibrordum* tam zeloſum Apoſtolum providerint dictæ Eccleſiæ.

Eorum pietas.

Non obſcurè etiam ex illis colligitur, eos fuiſſe Principes ſeu Dominos temporales diſtrictûs Antverpienſis. An autem ſub titulo Ducis aut Comitis aut alterius parum ad rem: ſaltem non ſub titulo Marchionis; nam titulus marchionatûs Antverpiæ tantùm obvenit ſeculo XI.

An fuerint Principes Antverpiæ.

Anno 626. Quod autem fuerint Principes vel ex eo patet quod *Rauchingus* intituletur ILLUSTER VIR, qui titulus hoc ſeculo non aſſumebatur niſi à Principibus, nec dabatur niſi principibus, ut ſatis patet ex Diplomatibus illius ævi. Inſuper diſponere de Eccleſia cum omnibus attinentiis; eam donare alicui & quidem taliter ut poſſit diſponere & alteri donare prout vult, non eſt particularis ſed Principis vel Domini loci. Inſuper edere numiſmata & habere jus telonii & illud alteri donare, non privatum ſed principem ſonant.

His non obſtantibus anonymus Auctor *Hiſt. Epiſcopatus Antv. pag. 6. in notis* putat Rauchingum fuiſſe privatum nobilem ac divitem Dominum, qui Antverpiæ & alibi plures poſſeſſiones habuerit. Idque imprimis ideo, quod titulus ille in ejus diplomatibus non memoretur; ſed varia illius temporis diplomata titulos omittunt: exemplum ſimile vide *Dipl. Belg. tom. III. p. II. pag.* 1. Deinde quia Marchiones Antverpienſes primarii ſemper patriæ Principes fuerunt, uti videtur, inquit, in *Notit. D. Le Roy* eorum ſeriem referente *Lib. I. cap. 6.* ſed D. Le Roy ibidem fatetur, ſe non noviſſe ullum ante *Rauchingum* nec ullum ferè trecentis annis poſt ipſum. Deinde nihil probat, *Rauchingum* non fuiſſe è primariis patriæ Principibus.

Juſtè igitur RAUCHINGUS & BEBELINA annumerantur inter Principes ſeu Dominos Antverpiæ. Et meritò Antverpia gloriatur de his optimis & pientiſſimis ſuis Principibus, quos certè ignoraret, niſi eorum memoria conſervata fuiſſet in Archivis Abbatiæ Epternacenſis, ex quà ſupra relata diplomata obtenta fuerunt ſeculo elapſo.

S. Willibrordus Eccl. Antv. tradit Epternacenſibus.

Cæterum, cum dicti Principes noſtri Eccleſiam Antverpienſem *S. Willibrordo* tradidiſſent cum poteſtate de ea & appendentiis ejus diſponendi, prout vellet, eodem anno de illis diſpoſuit *Willibrordus* in favorem monaſterii Epternacenſis à ſe fun-

fundati in diſtrictu Luxemburgenſi, monachiſque illius Eccleſiam illam donavit & commendavit per Actum publicum, quem Auctores communiter nominant ejus teſtamentum, eo quod S. Willibrordus per eum etiam eligat locum ſepulturæ. Actum illum exhibet Le Roy *Not. March. pag.* 87. & profitetur ſe eum emendatiùs dare, quàm hactenùs prodierat, excerptum ex Codice membranaceo Epternacenſi, dicto *Liber aureus.* Meretur hìc inſeri, non tantùm quia concernit Eccleſiam Antverpienſem, ſed etiam, quia per eum innoteſcunt plurima loca Belgii noſtri: unde ex Le Roy eum ſubjungo.

Anno 726.

Teſtamentum S. Willibrordi.

„ IN CHRISTI NOMINE. Oportet Chriſtia„ nos viam veritatis agnoſcere, per quam Creatori „ ſuo dignè meritis ſuis ſervire poſſint, ut oblatio „ eleëmoſynarum eorum & devotio perveniat ad „ ſalutem, ipſo Summo dicente: *date & dabitur* „ *vobis.* & : *facite eleëmoſynam & ecce omnia* „ *munda ſunt vobis.*

„ Idcirco ego in Dei nomine CLEMENS WILLI„ BRORDUS epiſcopus cogitans caſum humanæ „ fragilitatis, qualiter peccata mea poſſim abluere „ & donante Domino ad æterna gaudia pervenire, „ dono à die præſenti, donatumque eſſe perennis „ temporibus volo, hoc eſt, ad MONASTERIUM „ EPTERNACUM, quod eſt conſtructum ſuper „ fluvio *Sura* in pago *Bedenſe*, in nomine Patris „ & Filii & Spiritus ſancti, & S. Petri & Pauli „ Apoſtolorum & ſancti Joannis Baptiſtæ vel cæ„ terorum Sanctorum, ubi ego ipſe CLEMENS „ WILLIBRORDUS cuſtos vel gubernator præeſſe „ videor; &, ſi Chriſto placet, corpus meum „ ibidem requieſcere debet. Hoc eſt, quod dono „ vel trado ad ipſum ſanctum locum EPTERNA„ CUM omnem rem vel villas ſeu mancipia, quæ „ mihi ingenui FRANCI pro amore eorum & „ ſalute tradiderunt vel condonaverunt.

„ Similiter illas res, quas Domnus PIPINUS

Anno 726. „ mihi condonavit vel delegavit, ſeu matrona ſua „ BLITRHUDIS, ſive filius ſuus Domnus noſter „ KAROLUS Major-domus; quas res ipſas Domnus „ KAROLUS & genitor PIPINUS tam me vivente, „ quàm de iſta vita migrante, pro eorum mer„ cede condonaverunt.

„ Et illas alias res ex parte ego denomino vel „ homines, qui mihi eas tradiderunt vel delega„ verunt, id eſt, ut hæc ſcriptura ſolemniter pro „ temporum ſerie confirmare debeat. Et hi ſunt „ homines nominibus his nominati.

Diſponit de Eccl. Antv. „ RAUCHINGUS mihi condonavit vel tradidit „ ECCLESIAM aliquam, quæ eſt conſtructa in „ ANDUERPO CASTELLO ſuper fluvio *Schalde* in „ Pago *Renenſium*, cum appendiciis ſuis, Villas „ denominatas his nominibus BACUUALDUS, WIN„ NILINCHEIMO, FURGALARUS, & in ipſo Caſtello „ Anduerpo tertiam partem de illo telonio.

Notanda. *Bacuualdus* veroſimiliter eſt *Bouchout*: nam *Bac* & *Bouc* vel *Boc* utrumque ſignificat Caprum; *Waldt* & *hout* utrumque ſignificat ſilvam. In hoc ſuppoſito fieri poteſt quod Villa, quam Willibrordus hìc dicit ſibi datam à Rauchingo, ſit eadem, quam Rauchingus in ſecundo ſuo ſupra relato diplomate dicit ſitam ad Netam fluvium dictam *Praepruſdare*, ita ut *Praepruſdare* fuerit vicus ſub Bouchout protenſus uſque ad Netam.

Winnilincheimo ſuprà diximus eſſe *Wynegbem*. *Furgalarus* putat Miræus eſſe *Vogelaer* in agro Antverpienſi; at fortè eſt *Vorſelaer* versùs Herendalium.

„ Et HERIBALDUS clericus mihi condonabat & „ tradidit Eccleſiam aliam in pago *Marſum*, ubi „ Moſa intrat in Mare, cum appendiciis ſuis, „ & Mariſcum unde Berbices naſcuntur.

„ Et ANGILBALDUS mihi condonabat vel tra„ debat Villam, quæ vocatur *Wadradech* in Pago „ *Taxandrio* ſuper flumine *Duthmala*.

„ Et ANSBALDUS mihi condonabat vel tradebat

„ omnem

„ omnem portionem ſuam in Villa, quæ voca- Anno
„ tur *Buſloth* in pago Taxandrio. (*fortè* Buſſchot 726.
„ *vicus ſub pago Heiſt.*)

„ Et BERETHINDA Deo ſacrata fèmina mihi
„ condonabat vel tradebat omnem portionem
„ ſuam in villa *Hokanſchot* in pago Taxandrio.

„ Et HENRICUS mihi condonabat in Villa, quæ
„ vocatur *Peplo*.

„ Et ENGELBERTUS mihi quondam condonabat
„ vel tradebat mihi omnem portionem ſuam in Vil-
„ la, quæ vocatur *Heineſloth* in pago Taxandrio.

„ Item quod ENGELBERTUS mihi condonabat
„ vel tradebat Villam, quæ vocatur *Alphein* in
„ pago Taxandrio.

„ Item ANSBALDUS clericus mihi condonabat
„ vel tradebat Villam, quæ vocatur *Dioſna* in
„ pago Taxandrio ſuper fluvio *Digena*.

„ Et TIETHBALDUS mihi condonabat vel trade-
„ bat Eccleſiam aliquam, quæ eſt conſtructa in
„ villa *Multnaim*, quæ *Araride* vocatur, cum
„ appendiciis ſuis.

„ Et illuſter Vir HEDENUS mihi condonabat
„ vel tradebat omnem portionem ſuam in Villa,
„ quæ vocatur *Armiſtadi* ſuper fluvio *Witheo* in
„ pago *Thuringaſnes*.

„ Superiùs nominatas vel ſcriptas ego CLEMENS
„ WILLIBRORDUS trado atque transfundo ad illam
„ caſam Dei ſuperiùs nominatam EPTERNACUM,
„ vel ad illam ſanctam Congregationem fratrum
„ ibidem Deo ſervientium; eâ verâ ratione, ut
„ quidquid de iiſdem rebus ſuperiùs nominatis
„ facere decreverint in omnibus habeant poteſta-
„ tem faciendi, ut & ibidem omni tempore pro
„ noſtra mercede vel ſeniore noſtro KAROLO
„ Majoredomus, ſeu eorum hominum, qui mihi
„ ſuas res tradiderunt, proficiant in Augmentis.

„ Et illud placuit nobis inſerendum. Si fuerit
„ ullus de hæredibus vel prohæredibus meis, ſeu
„ quælibet oppoſita aut extranea perſona ſeu judi-
„ ciaria

Anno 726. „ ciaria poteſtas, quæ contrà teſtamentum vel do-„ nationem meam, quam ego *Clemens Willibrordus* „ epiſcopus ſanâ mente, plenoque conſilio & devo-„ tione integrâ fieri juſſi, venire aut agere vel eam „ infringere voluerit, & ſi iſta Charta ei oſtenſa ad „ relegendum fuerit præſentata, ſibi ipſe exinde com-„ peſcere noluerit; in primis iram Dei omnipo-„ tentis incurrat & ſanctorum Angelorum; & ab „ omnibus Eccleſiis vel conſortio chriſtianorum „ efficiatur extraneus, & habeat partem cum Juda, „ qui Dominum tradidit, & cum Dathan & Abi-„ ron, quos terra vivos deglutivit; & inſuper „ inferat unà cum ſorio fiſco auri libras decem, „ argenti pondo quinquaginta coactus exſolvat, „ & quod repetit evindicare non valeat. Actum „ anno VI. regnante THEODORICO Rege."

S. Willibrordus diſcedit in Friſiam.

Cum itaque S. Willibrordus Eccleſiam Antverpienſem per relatum Actum transſcripſiſſet Monaſterio Epternacenſi & curam ejus monachis commendaſſet; deceſſit fidem prædicaturus inter infideles; deceſſit, inquam, in illam Friſiæ partem, quæ ſuberat Regi *Radbodo* qui paganus erat.

Epternacenſes Antverpiæ.

Monachi autem Epternacenſes commiſſam ſibi curam acceptarunt, & Antverpiam venientes eandem domum inhabitare cœperunt, quam anteà inhabitaverant Monachi de Quortolodra, nempè *Cellam D. Mauri* in Burgo; quam inhabitarunt & curam illius Eccleſiæ geſſerunt uſque ad annum 875. quo monaſterium Epternacenſe totaliter deſtructum fuit, ut infra ad illum annum dicetur.

Tres Epiſcop. prædicarunt Antverpiæ.

Hactenùs vidimus tres diverſarum diœceſium Epiſcopos Antverpiæ prædicaſſe: *S. Amandum* indeterminatæ Sedis & per tres annos Trajectenſem, *S. Eligium* Tornacenſem & *S. Willibrordum* epiſcopum Ultrajectenſem.

De conſenſu Epiſcopi loci.

Indubiè autem illi hìc prædicarunt de conſenſu Epiſcopi loci, hoc enim requirebatur juxtà inſtituta ſanctorum Patrum, ut ſupra ad annum 633. vidi-

vidimus, ſi nempè locus noſter determinatæ ſedi ſubjecta fuerit. Alioqui tales Epiſcopos non tantum mittebat Pontifex, ſed & Epiſcopi ſic mittebant Presbyteros, ut patet ex Concilio Trajectenſi celebrato anno Chriſti 696. auctoritate *S. Willibrordi*: in eo enim definitum fuit, *ut omnes primi prædicatores in exteras provincias prædicarent Verbum Dei.* Anno 726.

Verumtamen jam inde hoc ſeculo in ea re reperti ſunt abuſus ſeu inconvenientiæ. Unde in Concilio anno 742. celebrato in Germania, in quo *S. Bonifacius* præſedit, ſtatutum fuit, quod Epiſcopi & Sacerdotes incogniti non admittentur ad functiones ante approbationem Epiſcopi loci. Et in Concilio, anno 756. *Vernis* ſeu *Veronii* ad Sequanam ſub PIPINO Rege noſtro celebrato, ſtatutum *Can. I.* quod per ſingulas Civitates debeant eſſe Epiſcopi. & *Can. XIV.* quod Epiſcopi vagantes extrà ſuam parochiam (id eſt diœceſim) non poſſint in aliena miniſtrare, nec ullam ordinationem facere ſine juſſione proprii Epiſcopi; & ſi hoc facere præſumpſerint ab officio ſuſpendantur. De novarum ſedium epiſcopalium erectione etiam actum eſt in Concilio Lippienſi celebrato anno 780. Interim Sedes Epiſcopales in Belgio noſtro multiplicatæ non ſunt niſi poſt octo ſecula.

Abuſus in eo hoc ſeculo.

Mandatur erectio ſedium epiſcopalium.

Sub qua autem diœceſi Antverpia fuerit his temporibus non liquet. Dubium ſiquidem eſt, num ſedes Apoſtolorum ſuorum ſecuta ſit, num verò uni eidemque ſedi ſemper fuerit ſubjecta.

Sub qua Diœceſi fuerit Antverpia.

Primus noſter notus Apoſtolus *S. Amandus* fuit Epiſcopus Trajectenſis, ſecundus *S. Eligius* fuit Epiſcopus Tornacenſis, & tertius *S. Willibrordus* erat Epiſcopus Ultrajectinus.

Et quidem quantum ad primum, non eſt abſonum credere, Antverpiam aliquando fuiſſe ſub Epiſcopatu Trajectenſi, qui fuit ſedes *S. Amandi* primi noſtri Apoſtoli. Et licèt putetur Antverpienſibus tantùm prædicaſſe ante aſſumptam & poſt dmiſ-

An ſub Trajectenſi.

Anno 726. dimiſſam ſedem Trajectenſem, dum erat Epiſcopus indeterminatæ Sedis; tamen videmus, quod uſque ad erectionem novorum Epiſcopatuum in Belgio Diœceſis Leodienſis (quæ erat eadem, quæ fuerat Trajectenſis) extendebatur uſque ad primum lapidem ab Antverpia versùs ſeptentrionem, nempè uſque in *Eeckeren*, & versùs meridiem magnam partem Civitatis Mechlinienſis comprehendebat. Unde ſuſpicari poſſemus etiam Antverpiam Sedi illi aliquando ſubjectam fuiſſe.

An ſub Tornacenſi. Quantum ad ſecundum, præſumendum eſt, *S. Eligium* Antverpiæ prædicâſſe rogatum, & inductum per S. *Amandum*, dum acceptabat ſedem Trajectenſem; abſque eo quod ideo accenſeretur illius ſedi.

An ſub Ultrajectenſi. Quantum ad tertium, varii putant *S. Willibrordum*, cujus ſedes Ultrajecti erat Antverpiæ præfuiſſe ut Epiſcopus, eâdem certè ratione, quâ Le Roy *Not. March. pag.* 54., ubi dicit quod *Rauchingus* Antverpiæ Princeps *S. Willibrordum* teſtetur Antverpienſibus Epiſcopum præfuiſſe. Sed ex Diplomatibus Rauchingi ſuprà relatis potiùs contrarium eruitur: nam Willibrordus per illa tantùm præfigitur Eccleſiæ Antverpienſi eo modo, quo ei præfuerat *Firminus Abbas de Quortolodra*, qui certè ei non præfuerat ut Epiſcopus.

An ſub Cameracenſi. Grammayus *Antv. Lib. II. cap.* 2. Dicit, quod Cameraceno Antiſtiti Antverpienſes ab antiquo fuerint ſubjecti, conaturque probare per varias conjecturas, quæ nihil determinant. Interim nullum monumentum habemus, quod fidem faciat, quemquam Epiſcopum Cameracenſem his temporibus vel minimum circà Antverpiam effeciſſe: cum tamen, dum tres præmemorati noſtri Apoſtoli Antverpiæ prædicabant, Cameraci eſſent Epiſcopi ſanctiſſimi æque ac zeloſiſſimi.

Res incerta manet. Interim res incerta manet, & præter conjecturas, nihil habemus, quod probet, cui diœceſi his temporibus fuerimus annumerati.

Cæte-

Cæterum incertitudo hæc imputanda eſt devaſtationibus : ſicut enim præcedentes revolutiones & devaſtationes, nihil nobis reliquerunt, quod ſtatum Eccleſiæ Antverpienſis tempore ſex priorum ſeculorum indicaret; ſic nec ſubſequentes devaſtationes nobis quidquam reliquerunt, quod ſtatum ejuſdem indicaret tempore trium ſubſequentium ſeculorum. Quam ruinam etiam non evaſiſſent ſupra relata monumenta, niſi longe extrà patriam noſtram fuiſſent conſervata. Anno 726.

S. HUBERTUS Epiſcopus Trajectenſis, qui ſedem Epiſcopalem Leodium tranſtulit, obiit anno 727. Memoriam ejus celebravit ab antiquo Eccleſia Antverpienſis, ut patet ex priſtino ejus proprio Breviario. Memoria hæc prætermiſſa fuit anno 1598., dum Antverpia aſſumpſit Breviarium Romanum : ſed initio ſeculi XVIII. reaſſumpta fuit, & feſtum ejus per totam diœceſim celebrat Eccleſia Antverpienſis quotannis 3. Novembris ſub ritu duplici cum Lect. 2. Noct. & Oratione propriis. Et ipsâ die in omnibus ferè Eccleſiis benedicuntur panes ſub ejus invocatione, quos fideles ſumunt & beſtiis diſtribuunt, confidentes ejus patrocinio præſervari contrà rabiem. 727. S. Huberti Ep. cultus Antverpiæ.

THEODORICUS II. dictus IV. Francorum Rex moritur anno 737. Princeps hic anno primo regni ſui confirmat immunitatem & prædia Monaſterii S. Bertini. Miræi *Dipl. Belg. Lib. I. cap. 6.* Poſt obitum autem hujus Regis vacavit regius thronus per annos quinque aut ſex. 737. Theodoricus II. Rex moritur.

Diximus ſuprà, S. WILLIBRORDUM, poſtquam Eccleſiam Antverpienſem commendaſſet Monachis Epternacenſibus, deceſſiſſe in illam Friſiæ partem quæ obediebat Regi *Radbodo*. Hic Princeps licèt honorificè eum reciperet, errori tamen patrum non renuntiabat. Dein perrexit ad Danos, inter quos nullum fructum referens triginta juvenes quos inſtrueret ſecum duxit, & mari ſe committens ad oſtium Albæ fluvii appulſus eſt in inſulam Finis vitæ S. Willibrordi.

Foſſi-

Anno 739. *Foſſitelant.* Inde redux baptizavit *Pipinum* filium *Caroli Martelli.*

Moritur. Tandem plenus meritis, cum per annos quinquaginta zeloſum Apoſtolum egiſſet, extremum diem clauſit anno 739. ætatis 81, & ſepultus in monaſterio Epternacenſi, in quo per teſtamentum ſupra relatum ſepulturam elegerat.

Cultus ejus Antverpiæ. Feſtum ejus celebrat Eccleſia Antverpienſis per totam diœceſim 7. Novembris ritu duplici cum Oratione & Lect. 2. Noct. propriis. Et in ſuburbio ejus nomini & memoriæ ædificatum eſt inſigne templum quod ab initio ſeculi XIV. in Eccleſiam parochialem erectum eſt.

743. Childericus Rex. Tandem poſt interregnum quinque aut ſex annorum THEODORICO in regnum Francorum tam Auſtraſiæ quàm Neuſtriæ ſuffectus eſt CHILDERICUS circà annum 743. Princeps hic anno primo regni benefacit Abbatiæ Sithienſi ſeu S. Bertini. *Dipl. Belg. Tom. II. P. II. cap. 6.* Rex hic fuit ultimus Regum Francorum primæ ſtirpis dictæ *Merovingiorum*, eique anno 751. de conſenſu Pontificis ſuffectus eſt PIPINUS *Brevis*, qui fuit primus Francorum Rex ſecundæ ſtirpis dictæ *Carolovingiorum.* CHILDERICUS autem attonſus monaſterio incluſus eſt, obiitque anno 754.

751. Pipinus Rex. PIPINUS itaque oriundus ex familia belgica ciſmoſana, per *Carolum Martellum*, *Pipinum Heriſtallium* & *S. Beggam* ex *Pipino de Landis*, factus eſt Rex Francorum anno 751., coronatus Sueſſionii per S. Bonifacium Germaniæ Apoſtolum, rexitque circiter ſeptemdecim annis, obiitque 24. Septembris anno 768.

Pia ejus opera. Princeps hic ad preces dicti S. Bonifacii confirmavit anno 753. Cathedrali Eccleſiæ S. Martini Ultrajecti prædia ſua. Miræi *Don. Belg. L. II. cap. 6.* & anno 765. in protectionem ſuſcepit Trevirenſe S. Maximini monaſterium. Miræi *Dipl. Belg. L. I. cap.* 8.

768. Carolus Magnus Rex. PIPINO in regno Francorum ſucceſſit filius CAROLUS

ROLUS MAGNUS, qui deinceps anno 800. Romæ per Pontificem coronatus eſt Imperator Occidentis. Anno 774.

S. GUMMARUS Brabantus, qui vixit in Aula Pipini Regis, eique in bello ſervivit, tandem vitam eremiticam egit juxtà Liram, ubi obiiſſe putatur 11. Octobris 774., quo die Eccleſia Antverpienſis feſtum ejus colit ſub ritu duplici cum Oratione & duabus Lect. 2. Noct. propriis; quo ritu eum olim coluerat in Breviario proprio. S. Gummari cultus Antv.

Hoc tempore etiam floruiſſe putatur S. RUMOLDUS Mechlinienſium Apoſtolus & Patronus, martyriumque ſubiiſſe circà annum 775. Eccleſia Antverpienſis olim bis in anno memoriam ejus colebat: commemorationem ejus faciebat 18. Octobris, & 1. Julii colebat feſtum ejus ritu duplici & quidem cum officio proprio, ut patet ex proprio Antverpienſi Breviario anni 1496., in quo ad longum habetur officium ejus proprium, quod conforme eſt Officio ejuſdem ſancti relato per ſollerium *Act. S. Rumoldi Tom. I. Julii pag.* 19. ex Breviario Leodienſi anni 1506. Conforme inquam, niſi quod Leodienſe habeat hymnum proprium & novem Lectiones de vita Sancti; cum Antverpienſe habeat 3. Lect. 1. Noct. generatim de Apoſtolis, qui venerant ex Britannia & Scotia; 3. Lect. 2. Noct. de vita Sancti, & 3. Lect. 3. Noct. de Homilia S. Hieron. in Evang. *Nolite arbitrari.* Cæterum in Antiph. Noctur. & Laud., ac omnibus Reſponſoriis & Orat. propriis planè coincidunt. Hinc curioſis inquirendum relinquitur num Antverpienſes à Leodienſibus, num Leodienſes ab Antverpienſibus hæc mutuaverint. Interim Breviarium Antverpienſe decem annis ante Leodienſe impreſſum fuit. 775. S. Rumoldi Mart. cultus Antv.

Poſt annum autem 1598., quo Eccleſia Antverpienſis aſſumpſit Breviarium Romanum, colit feſtum S. Rumoldi 3. Julii ritu ſemiduplici cum Lectionibus 2. Noct. & Oratione propriis.

Anno

Anno 776.

S. Walburgis Antverpiæ.

Anno ſequenti 776. 25. Febr. obiit S. WALBURGIS virgo & Abbatiſſa. Conſtans traditio habet Virginem hanc Anglo-Saxonam Antverpiam divertiſſe, ibidemque non modico tempore ſubſtitiſſe, dum ex Angliâ in Germaniam tenderet. Refertur, *S. Bonifacium* Germaniæ Apoſtolum, qui aliquando *S. Willibrordo* in prædicando adjutor fuerat, circà annum 728. complures adjutores ex Anglia in Germaniam vocaſſe ad propagandam Evangelii doctrinam, non tantùm virilis ſed & feminei ſexûs. Inter illos autem fuerunt *S. Wilibaldus* & *Winibaldus* & eorum ſoror *S. Walburgis*. Hâc itaque occaſione eam Antverpiæ ſubſtitiſſe conſtans traditio habet, ubi recepta fuerit à S. Willibrordi ſociis aut diſcipulis, fortè à Monachis Epternacenſibus, qui Eccleſiæ in Burgo præerant, & Cellam D. Mauri inhabitabant.

Crypta ejus in Eccleſia Burgi.

Non modicam firmitatem huic traditioni adfert, quod in dicta Eccleſia Burgi (*de Borgt-kerk*) ſub turri in latere meridionali habeatur Crypta, in qua *S. Walburgis* aliquando egiſſe & preces fudiſſe dicitur, & quæ tamquam talis ab immemoriali à populo frequentatur & honoratur. Crypta hæc dum circà annum 1740. pleraque tum turris tum Eccleſiæ fundamenta renovabantur, notabili ſui parte mutilata eſt, quo non obſtante frequentatio illius perſeverat ut ante.

Diſcedit in Germaniam.

Cum autem *S. Walburgis* aliquanto tempore Antverpiæ ſubſtitiſſet, proſecuta eſt intentum iter in Germaniam ad *S. Bonifacium*, qui eam in Heydenheim Abbatiſſam præfecit virginibus, ubi in profeſſione iſta ſanctiſſimè vixit uſque ad annum 776. quo plena meritis ibidem obiit & ſepulta eſt. Deus autem ad declarandam ejus ſanctitatem plura beneficia contulit. Poſt ſeculum circà annum 870. elevata eſt & ſanctis adſcripta per *Odogerum* Epiſ. Æichſtadienſem de conſenſu ADRIANI PP. II., & ex Heydenheim, ubi fuerat Abbatiſſa, ad dictam urbem tranſlata: ibique præcipua portio

Moritur Abbatiſſa.

Reli-

Reliquiarum ejus adſervatur in monaſterio, quod ab ipſa nominatur. Unde non diu poſt hanc translationem magnam portionem Reliquiarum ejus pietatis ergò abſtulit CAROLUS CALVUS Francorum Rex, ut patet ex diplomate ejus apud Miræum *Dipl. Belg. L. I. cap. 16.* Ex reliquo autem corpore, quod Æichſtadii ſervatur etiam hodie oleum in ſubjectum argenteum vas miraculosè defluit, quod multis morbis medetur. Anno 776.

Eccleſia Antverpienſis ante aſſumptum Breviarium Romanum colebat *S. Walburgem* quater in anno, ut conſtat ex proprio ejus Breviario. In illo enim 25. Febr. fiebat commemoratio depoſitionis ejus. 1. Maij & 4. Auguſti fiebat Officium III. Lect., & 12. Octobris colebatur Elevatio ejus cum III. Lect. propriis. Deinceps autem poſt aſſumptum Breviarium Romanum, colitur ſemel in anno 25. Febr. ſub ritu duplici cum Lect. 2. Noct. & Oratione propriis. Et pars mandibulæ ejus adſervatur & honoratur in dicta Eccleſia Burgi, in qua etiam colitur ut *Patrona*, & jam inde ab initio ſeculi XII. ut *Titularis*.

Cultus ejus Antverpiæ.

Quo autem tempore cœperit Antverpiæ cultus hujus ſanctæ, non conſtat. Henſchenius *Act. SS. Tom. III. Febr. pag. 521.* eum cenſet cœpiſſe diu poſt Nortmannicam devaſtationem ſeculo X. aut ſeriùs: *Tunc* inquit, *Antverpienſibus injecta mens videtur, eam ut publicè honorarent, quam credebant olim à majoribus hoſpitio exceptam. Templum tunc in Burgo erat S. Catharinæ virgini & martyri ſacrum, in quo tunc cultui S. Walburgis datum eſt ſacellum, quod ſacroſanctæ Euchariſtiæ adſervandæ poſtmodum dicatum, quando ipſum templum ſanctis virginibus Catharinæ & Walburgi cœpit ſacrum haberi; quod tandem, cultu & veneratione S. Walburgis prævalente, hujus ſolius nomine appellatur.* Aſſerit hìc Henſchenius in Burgo tunc extitiſſe Templum S. Catharinæ ſacrum. Utinam aſſertionis ſuæ motivum indicaſſet: Eccle-

Quando hic cœperit cultus ejus.

Anno 776. ſia enim illa quatuor colit patronos, duos primariò *S. Eligium* & *S. Walburgem*, duos ſecundariò *S. Amandum* & *S. Catharinam*; unde, ſi tunc mutatus fuerit titulus *SS. Petri* & *Pauli*, quem ſeculo VII. ei indiderat S. Amandus, æquali aut potiori jure dici poſſet, tunc in Burgo extitiſſe Templum *S. Eligio* aut *S. Amando* ſacrum: memoria enim prædicationis & Apoſtolatûs eorum indubiè eo tempore necdum exciderat. Inſuper dubium eſt num S. Catharina eo tempore in Occidente fuerit nota.

Veroſimilè autem eſt, cultum *S. Walburgis* hìc cœpiſſe circà idem tempus, quo elevata eſt & ſanctis adſcripta, id eſt circà annum 870., idque curâ monachorum Epternacenſium, qui huic Eccleſiæ deſerviebant & in quorum patria tunc celebris fiebat hæc Sancta; aut potiùs occaſione CAROLI CALVI Regis noſtri, qui circà illud tempus eam aſſumpſit in Patronam Regni, cum ex Germania detuliſſet magnam partem corporis ejus, unde diſperſæ tunc ſunt Reliquiæ ejus per Belgium noſtrum ciſmoſanum, de quo infrà latiùs.

785. S. Lebuini cultus Antv. S. LEBUINUS, qui exemplo *S. Willibrordi* ex Angliâ venerat prædicaturus in Friſia, partim nuper è paganorum manibus erepta, cum à Gregorio Epiſcopo Ultrajectino ad locum Iſalæ fluvio vicinum miſſus eſſet & ibidem fructus innumeros retuliſſet, obdormivit in portu Daventrienſi circà annum 785., ubi colitur ut Patronus. Sanctum hunc coluit quondam Eccleſia Antverpienſis ſub ritu duplici, ut patet ex proprio quondam ejus Breviario: poſt aſſumptum autem Breviarium Romanum uſque in hodiernum diem colit eum quotannis 25. Junii ritu ſemiduplici cum Oratione & Lect. 2. Nocturni propriis.

814. Carolus Magnus moritur. CAROLUS MAGNUS Imperator & Francorum Rex obiit 28 Januarii anno 814., coliturque Aquiſgrani & alibi ut ſanctus.

Ejus pia opera. Princeps hic anno primo regni benefacit Abbatiæ

tiæ S. Bertini in Artheſia. Miræi *Don. Belg. L. II. cap.* 7. ſicut & anno 788. *Ibid. cap.* 9. Eccleſiæ Ultrajectinæ benefacit anno 777. Miræi *Dipl. Belg. L. II. cap.* 6. Anno 779. benefacit Eccleſiæ Aquiſgranenſi. *Don. Belg. L. II. cap.* 8. & Trevirenſi Abbatiæ S. Maximini *Dipl. Belg. L. I. cap.* 9. Anno autem 802. Abbatiæ Werdinenſi aſſignat fundum ſitum in Hannonia *Dipl. Belg. Tom. III. cap.* 6.

Anno 814.

In teſtamento, quod condidit in Conventu Optimatum Galliæ, quo regnum diviſit inter tres filios, hæc notanda leguntur. *Super omnia autem jubemus, ut ipſi tres fratres curam & defenſionem* S. Papæ *ſimul ſuſcipiant, ſicut quondam ab avo noſtro* Carolo *& beata memoria genitore* Pipino *Rege & à Nobis poſteà ſuſcepta eſt; ut eum cum omni adjutorio ab hoſtibus defendere nitantur, & juſtitiam ſuam, quantum ad ipſos pertinet & ratio poſtulat, habere faciant. Similiter & de cæteris Eccleſiis, quæ ſub illorum fuerint poteſtate, præcipimus ut juſtitiam ſuam & honorem habeant; & Paſtores & Rectores venerabilium locorum habeant poteſtatem rerum, quæ ad ipſa pia loca pertinent; in quocumque de his tribus Regnis illarum Eccleſiarum poſſeſſiones fuerint.* Cariolanus *Sum. Concil. pag.* 634. Vide Fop. *Bibl. Belg. pag.* 155.

Pium ejus teſtamentum.

Patri in Regno Francorum & Imperio ſucceſſit LUDOVICUS PIUS anteà Rex Aquitaniæ. Rexit annis viginti ſex. Poſteriores decem hujus Regis anni turbulenti fuerunt per continuas rebelliones tum variarum Provinciarum, tum præcipuè trium filiorum ejus; LOTHARII, quem aſſumpſerat in ſocium Imperii; LUDOVICI Bavariæ Regis & PIPINI Regis Aquitaniæ. Hæc civilia Regni Francorum Bella barbaris nationibus anſam dederunt ad impunè faciendas incurſiones, devaſtationes & deprædationes; quarum effectum tulit Belgium & notanter Antverpia noſtra.

Ludovicus pius Imp. Rex.

830.

Civilia Bella.

Anno ſiquidem 835. vel biennio ſeriùs devaſtarunt

835. Normanni

Anno 835. Antverpiam devaſtant. runt Belgium Nortmanni ſeu Dani, quando & Antverpiam incenderunt. De hac re mentionem facit *Sigebertus*, qui ſcripſit circà initium ſeculi duodecimi, in Chronico ſuo ad annum 837. „Northmanni, inquit, Gallias graviter infeſtant, *Doreſtatum* vaſtant, ANDOVERPUM Opidum & *Witlant* emporium ſitum juxta oſtium Moſæ „ incendunt, à Friſonibus tributum accipiunt." Et ad annum 838. „Northmanni *Walachram* „ inſulam vaſtant & tributum exigunt."

Paulo latiùs hæc deſcribit quidam *Fr. Theobaldus*, qui poſt ſeculum XI. aut fortè XII. Vitam S. Gummari putatur ſcripſiſſe, ex cujus manuſcripto *cap.* 16. refert Cuperus *Act. SS. Tom. IV. Julii pag.* 289. *n.* 5. hæc ad rem noſtram facientia.

„ Quodam tempore cum excreviſſent peccata „ hominum & ſuperno judicio correptionis flagella „ meruiſſent, à Deo educta eſt à ſedibus ſuis gens „ Northmannica, gens ferociſſima, quæ navigio „ in Rhenenſem provinciam adducta circumquaque „ omnia depopulati ſunt.

„ *Hantwerpiam* incenderunt, *Walchram* vaſtarunt; adeò alii diſperſi ut nullus eſſet locus, „ ubi ceſſaret luctus.

Item Deurne. „ Per fluvium igitur qui dicitur *Schinda* ad „ villam *Turninum* devenerunt, ubi erat monaſterium *S. Fredegandi* confeſſoris; ſed Deus propter iniquitatem inhabitantium exoſus locum, „ Reliquias ipſius juſſit aliò tranſportari, ut nullum eſſet obſtaculum contra deſolationem. „ Quibus ſublatis, velut muro & turribus civitatis deſtructis, irruit gens inimica & incendio „ pereunt cuncta ædificia, ipſumque monaſterium „ conſumpſit, homines partim trucidavit, partim „ captivos abduxit; neque domus ſuperfuit neque „ habitator evaſit; nihil niſi ſolitudo remanſit."

Reliquiæ S. Fredegandi Antverpiæ. De S. Fredegando & monaſterio ejus latè agit Cuperus citato loco. Reliquiæ autem hujus Sancti Audomaropoli Antverpiam allatæ ſunt anno 1593.

&

& adſervantur ibidem in Cathedrali. Verùm *Joan. Miræus* Epiſ. Antverpienſis in viſitatione harum Reliquiarum ſcriptum quoddam reliquit, quo prohibet, nè venerationi publicæ exponantur, donec de earum veritate planè conſtet. Scriptum illud in ipſa Lipſanotheca inventum eſt anno 1715. Ita Cuperus loco citato *n.* 11. Anno 835.

Cæterum in hac enarratione non dicitur, quod *Turninum* ſeu *Deurne* fuerit civitas ſeu oppidum, ſed *Villa*; & tantum fit comparatio inter civitatem deſtitutam muris & Deurne privatum Reliquiis S. Fredegandi. An Deurne fuerit Oppidum.

Dubitandum non eſt, quin immediatè poſt hanc devaſtationem Monachi Epternacenſes, qui curaverant Eccleſiam Antverpienſem, ſi evaſerint, redierint, aut Monaſterium Epternacenſe, cui tantùm à ſeculo Antverpienſis Eccleſia commendata fuerat per S. Willibrordum, miſerit alios, qui populum diſperſum congregarent, deſolatum ſolarentur, & depauperatum juvarent: Abbatia enim illa in hac devaſtatione alibi, quàm hic, paſſa non fuerat. Monachi Epternacenſes poſt devaſtationem redeunt.

Monachi illi cœperunt in deſtructo Burgo reſtituere priſtinam habitationem *Cellam D. Mauri*; cœperunt & reſtaurare aut ædificare Eccleſiam aliquantulam pro oportunitate temporis, quæ ſufficiens foret populo, qui devaſtationem evaſerat. Reſtaurant Cellam D. Mauri & Eccleſiam.

In conſecratione autem novæ hujus Eccleſiæ veroſimile omnino eſt, populum Antverpienſem, memorem Apoſtolorum ſuorum, qui à duobus ſeculis Antverpiæ prædicaverant, grato animo voluiſſe, ut dedicaretur in honorem *SS. Amandi & Eligii*, quorum prior ante duo ferè ſecula eam ædificaverat & conſecraverat in honorem SS. Petri & Pauli. Ab eo autem tempore uſque in hodiernum diem *S. Amandus* & *Eligius* in dicta Eccleſia Burgi coluntur ut *Patroni*. Patroni hujus Eccl. SS. Amandus & Eligius.

Imperator LUDOVICUS PIUS Francorum Rex, do- 840.

Anno 840. Ludovicus Imp. moritur ejus pia opera.

domatis undique rebellibus, obiit 12. kal. Julii anno 840. Princeps hic anno 816. confirmat Abbatiæ Blandinienſi juxtà Gandavum immunitatem ei à patre conceſſam. Miræi *Dipl. Belg. Lib. I. cap.* 10. Et Abbatiæ S. Bavonis ibidem anno 820. *Cod. don. pia. cap.* 14. Benefacit Eccleſiæ Cameracenſi anno 817. *Dipl. Belg. Tom. II. P. I. cap.* 7. Anno 819. benefacit Abbatiæ Maricolenſi. Miræi *Dipl. Belg. Lib. II. cap.* 7. Et anno 825. confirmat poſſeſſiones Eccleſiæ Ultrajectinæ. *Don. Belg. Lib. I. cap.* 10.

843. Regnum Francorum diviſum.

Lotharius Imp. Rex noſter.

Poſt obitum hujus Regis tres filii ejus diſceptârunt de Imperio, & tandem anno 843. regnum Francorum inter ſe diviſerunt in tres partes. LUDOVICO ceſſit pars orientalis ſeu ultrarhenana, qui inde dictus eſt Rex Germaniæ; CAROLO CALVO ceſſit pars occidentalis. LOTHARIO Imperatori natu maximo ceſſit pars media, quæ inde dicta fuit Lotharingia. Limites hujus Regni habemus utcumque deſcriptos apud Miræum *Cod. don. pia. cap.* 21. Sub hoc LOTHARII regno manſit Antverpia. In dicta tamen deſcriptione ſpecificè non nominatur Antverpia; ſed veroſimiliter comprænditur ſub his verbis: *In Brachbanto Comitatus IV.* Antverpiam enim Comitatum fuiſſe dicetur infrà ad initium ſeculi XI., ubi agetur de primo poſt *Rauchingum* noto Antverpienſium Principe feudatario.

855. Fit monachus & moritur.

Lotharius II. Rex.

LOTHARIUS hic in fine vitæ regnum ſuum diviſit inter tres filios. LUDOVICO, qui & Imperator fuit poſt patrem, aſſignavit Italiam, CAROLO Provinciæ regnum & LOTHARIO II. regnum, quod ab ipſo Lotharingiæ nomen retinuit, ſub quo & Antverpia manſit. Rebus ſic diſpoſitis LOTHARIUS Imperator ſeculum reliquit, & in Pruniacenſi monaſterio in religionis profeſſione obiit 3. kal. Octobris anno 855. Princeps hic anno 844. confirmat Eccleſiæ B. Mariæ Aquiſgrani terras in Vilvorde & alias. Miræi *Don. Belg. L. I. cap.* 6.

Suc-

Succeſſit itaque in his regionibus patri LOTHARIUS II. Lotharingiæ Rex, obiitque 6. Idus Auguſti anno 869. Princeps hic anno 858. benefacit Eccleſiæ Cathedrali Ultrajectinæ. Miræi *Don. Belg. Lib. II. cap.* 12.

Anno 869. Moritur.

Poſt obitum *Lotharii* Regis, duo avunculi ejus CAROLUS CALVUS Franciæ & LUDOVICUS Germaniæ Reges, qui anteà cum patre ejus *Lothario* Imp. regnum Francorum diviſerant, regnum Lotharingiæ inter ſe dividunt juxtà formam deſcriptam apud Miræum *Cod. don. pia. cap.* 21.

Ceſſerunt itaque regiones noſtræ Ciſmoſanæ anno 870. CAROLO CALVO Francorum Regi, qui anno 875. factus eſt Imperator.

870. Carolus calvus Rex.

Hoc anno 870., ut ſuprà dixi, elevata eſt & ſanctis adſcripta *S. Walburgis.* Hanc elevationem colebat olim Eccleſia Antverpienſis in proprio Breviario quotannis 12. Octobris cum tribus Lect. propriis. Cum per hanc elevationem S. Walburgis facta eſſet celebris in patria monachorum Epternacenſium, præſumere poſſumus, monachos illius monaſterii, qui Antverpiæ Cellam D. Mauri inhabitabant & Eccleſiam Burgi curabant, in illam eccleſiam hoc tempore induxiſſe cultum illius ſanctæ. Si autem non hoc tempore, ſaltem poſt ſex annos cœpit ibidem cultus ejus, de quo infrà.

Elevatur S. Walburgis, initium cultûs ejus Antv.

Diximus ſuprà monachos Epternacenſes reſtituiſſe Eccleſiam Antverpienſem devaſtatam per Nortmannos, ſed non diu poſt ſimilem ſortem illi ipſi ſubierunt. Vix enim quadraginta annis poſt Antverpienſem devaſtationem, ſimiliter devaſtatum fuit eorum monaſterium; è qua devaſtatione non ſurrexit niſi poſt ſeculum. Invaſor enim aliquis dictus *Carlomannus* monaſterium totaliter deſtruxit, monachos fugavit & Canonicos ſeculares ſubſtituit. Conſtant hæc ex diplomatibus OTHONIS I. & II. Imperatorum, quæ refert Miræus *Not. Eccl. Belg. cap.* 27. & 28.

873. Abbatia Epternacenſis devaſtatur.

In diplomatibus autem illis non indicatur, quo

Per Carlomannum.

 anno

Anno 873. anno id factum ſit aut quis fuerit ille *Carlomannus*. Veroſimilè autem eſt fuiſſe filium CAROLI CALVI Regis noſtri. Ille enim rebellans contrà patrem erutis oculis ad pœnitentiam carceri mancipatus eſt anno 873. in Abbatia Corbienſi ; unde induſtriâ duorum monachorum liberatus ductus eſt ad LUDOVICUM Germaniæ Regem avunculum ſuum. LUDOVICUS autem *Carlomanno* iſti ad ſuſtentationem aſſignavit Abbatiam Epternacenſem. Ita Flodoardus eodem hoc ſeculo natus *Hiſt. Remen. L.* 3. *c.* 28. Hic itaque *Carlomannus* occupans Abbatiam iſtam, indubiè contranitentibus monachis, vitæ monaſticæ normam & monaſterium ipſum deſtruxit, ac expulſis monachis ſeculares Canonicos ſubſtituit.

Perſonatus Eccl. Antv. devolvitur ad Epiſ. Hac autem occaſione ceſſante monaſterio Epternacenſi, indubiè etiam ceſſarunt monachi curam gerere Eccleſiæ Burgi Antverpiæ, & veroſimiliter eâdem occaſione Perſonatus illius Eccleſiæ devolutus eſt ad Epiſcopum Cameracenſem. Cum enim bona illius monaſterii jam eſſent ſub poteſtate *Carlomanni* certè CAROLUS CALVUS noluit, ut filius degener eâ poteſtate uteretur in bonis ſuis in regno ſuo, & conſequenter nihil juris haberet in Eccleſiam Antverpienſem & attinentias ejus. Et Epiſcopus certè noluit, ut Canonici, quibus ſic irregulariter obvenerant jura quondam collata monachis, eis uterentur in ſuâ diœceſi. Itaque Epiſcopus de conſenſu Regis Presbyteros ſeculares inſtituit in dicta Eccleſia, qui de cætero divina in ea peragerent. Et ſic perſeverarunt Epiſcopi in ea Presbyteros ſubſtituere uſque ad annum 1116., quo Epiſcopus Cameracenſis Perſonatum hujus eccleſiæ cum aliis pluribus tranſtulit in Capitulum Antverpienſe occaſione hæreſis Tanchelinianæ, ut infrà dicetur.

876. S. Walburgis aſſumpta in Patronam Regni. CAROLUS CALVUS Rex noſter hoc tempore pietate ductus S. WALBURGEM aſſumpſit in Patronam Regni & in palatio ſuo Attiniaci octavo lapide

à

à metropoli Remenſi Eccleſiam ædificavit in honorem ejuſdem Virginis, in qua adſervarentur honorificè ſacræ ejus Reliquiæ, quas nuper attulerat ex Germania. Conſtat id ex diplomate illius Regis deſuper confecto; quod refert Miræus *Dipl. Belg. Lib. I. cap.* 16. Anno 876.

In diplomate iſto, quod mutilum refertur, non indicatur annus quo datum ſit. Verùm cum *S. Walburgis* elevata ſit & ſanctis adſcripta anno 870. certè datum non eſt ante eum annum. Et cum CAROLUS in eo dicat, ſe corpus illius ſagaci induſtria attuliſſe ex partibus orientalium, id eſt ex Francia orientali ſeu Germania, & conſtet eum in Germania fuiſſe anno 876. dum mortuo eo anno fratre LUDOVICO Germaniæ Rege regnum ejus invaſit; credendum, illud datum eſſe anno 876. aut 877. quo CAROLUS obiit. Hoc itaque tempore Carolus *S. Walburgem*, (id eſt Corpus ſeu notabilem ejus partem) attulit ex Germania pro Tutamento regni ſui, & ſtatuit ædificare in honorem ejus Eccleſiam in palatio ſuo. Vide Henſchenium *Act. SS. tom. III. Febr. pag.* 518. *n.* 36. *& ſeqq.*

Inde cultus ejus celebris in Belgio.

Hæc Regis noſtri pietas ergà S. WALBURGEM cultum ejus in Belgio noſtro ciſmoſano brevì mirificè propagavit: & inde uſque in hodiernum diem in multis locis memoria ejus celebris eſt. Præſumendum etiam eſt, quod cum Sancta hæc jam aſſumpta eſſet in Patronam regni, populus ſequens pietatem Principis expetierit partem Reliquiarum per eum ex Germania allatarum; quòd Rex ad promovendum cultum ejus hoc benignè conceſſerit, & inde Reliquiæ ejus delatæ ſint ad varias Belgii noſtri Eccleſias. Aut præſumendum, quod, cum Rex in expeditione germanica exiſtens, pietate ductus ſecum ferret partem Corporis *S. Walburgis*, Principes, qui cum ipſo erant, eadem pietate ducti, expetierint ſinguli partem ejuſdem corporis reponendam & venerationi exponendam in aliqua Eccleſia dominii ſui. Sic enim refert

Anno 876. refert Le Roy *Not. March.* S. *R. J. pag.* 4., quod *Balduinus ferreus* Flandriæ Comes circà hoc tempus ex Germania attulerit Reliquias hujus Sanctæ eaſque honorificè repoſuerit in Eccleſia Furnis. Quidnì igitur etiam credamus Comitem Antverpienſem, ſic ex Germania attuliſſe & in Eccleſia Burgi Antverpienſis repoſuiſſe partem maxillæ ejuſdem Sanctæ, quæ uſque in hodiernum diem in ea honorificè adſervatur.

Et Antverpiæ. Hinc merito credimus cultum *S. Walburgis* Antverpiæ hoc tempore & hac occaſione cepiſſe. Cultus autem ejus hic celebris fuit, nam ante aſſumptum Breviarium Romanum Eccleſia Antverpienſis, ut ſuprà dixi, colebat eam quater in anno peculiari Officio: & aſſumpta eſt in Patronam illius Eccleſiæ, in qua repoſitæ ſunt ejus Reliquiæ, & tandem etiam facta eſt ejuſdem Eccleſiæ *Titularis*.

Eſt Patrona Eccl. in Burgo. Quomodo autem factum ſit, quod hæc ſancta præ cæteris Patronis illius Eccleſiæ facta ſit titularis, non conſtat. Colit Eccleſia illa quatuor Patronos *S. Amandum*, *S. Eligium*, *S. Walburgem* & *S. Catharinam*.

S. Eligius primarius Patronus. Inter illos autem *S. Eligius* fuit ſemper eſtque hodie primarius illius Eccleſiæ Patronus, quod ſatis patet ex Proceſſione annua, quæ ducta fuit uſque ad annum 1751., in qua circumferebatur Patronus Eccleſiæ, illa enim Proceſſio, licèt in ea ultrà ſtatuam S. Eligii etiam deferretur ſtatua S. Walburgis, non denominabatur tamen à S. Walburge ſed à S. Eligio, dicebaturque *Loykens-omme-gank*, & ipſa feſtivitas *Loykens-kermis.* Unde ſatis patet, quod *S. Eligius* habeatur & colatur ut primarius Patronus.

S. Walburgis Titularis. Interim Eccleſia denominatur à *S. Walburge*: quæ denominatio originem cœpiſſe poteſt ex eo quod cultus ejus ibidem prævaluerit; vel ex malè intellectâ voce *Burgi*; ut cum communiter diceretur *Eccleſia Burgi*, propter propinquitatem vocis,

&

& quia cultus ejus celebris erat, plures intellexerint ac dixerint *Eccleſia Walburgis* ; ſic & vernaculè, cum diceretur *Borgt-kerk*, plures intellexerint & dixerint *Walborg-kerk* : utrumque enim tam latinè quàm vernaculè dicitur uſque in hodiernum diem. Interim Eccleſiam illam titulum *S. Walburgis* tuliſſe initio ſeculi XII. conſtat ex ibidem dicendis. Anno 876.

Quantum ad alios hujus Eccleſiæ Patronos ; ſuprà ad annum 835. inſinuavi, quod S. Amandus & S. Eligius veroſimiliter tunc cœperint in ea coli ut Patroni. Quantum ad *S. Catharinam*, quandonam illa in iſta Eccleſia cœperit coli, aut aſſumpta ſit in Patronam, non ſcimus. Suprà vidimus Henſchenium cenſuiſſe *S. Catharinam* hujus Eccleſiæ Titularem fuiſſe ſeculo X., ſed dubium eſt num ſancta illa in Occidente tunc fuerit nota. Papebrochius autem *Annal. Mss. ad an.* 1249. titulum illum eo anno acceſſiſſe putat, quo Eccleſia illa renovata iterum conſecrata fuit, idque inquit occaſione dejectæ Capellæ ejus nomini dicatæ, quæ ſtetiſſet in loco, ubi nuper ædificata fuerat porta ſub ejus nomine, à qua mœnia, nunc platea vicina, nomen retinet *Catlyne-veſt*. Quandonam S. Catharina in ea cœperit coli ut Patrona.

Carolus calvus Rex Francorum & Imperator obiit pridie Nonas Octobris anno 877. Rex hic, ultrà pietatem quam exhibuit in promovendo cultu S. Walburgis, benefecit Epiſcopis Cameracenſibus anno 864. Miræi *Dipl. Belg. L. II. cap.* 10. Et monaſterio S. Bavonis Gandæ poſſeſſiones ſuas confirmavit anno 865. *Cod. don. pia. cap.* 19. Et anno 877. benefecit Dononienſi monaſterio prope Valencenas. *Dipl. Belg. L. II. cap.* 11. Eodem anno benefecit Eccleſiæ S. Gertrudis Nivellis. *Don. Belg. L. II. cap.* 14. Et alibi aliis Eccleſiis & monaſteriis benefecit. 877. Carolus calvus moritur. Ejus pia opera.

Patri in Regno & Imperio ſucceſſit LUDOVICUS BALBUS Imperator & Francorum Rex, obiitque 10. Aprilis anno 879. Reliquit tres filios qui poſt ipſum ſucceſſivè regnarunt. Ludovicus balbus Imp. Rex.

Natu

Anno 879. Ludovicus III. Rex. Natu maximus LUDOVICUS III. Rex Francorum ſucceſſit patri, qui cum anno 881. cecidiſſet Nortmannos ad Schaldim, obiit ſine liberis 4. Auguſti anno 882.

882. Carlomannus Rex. Huic ſucceſſit ſecundo genitus CARLOMANNUS anteà Rex Burgundiæ & Aquitaniæ, obiitque ſine liberis 6. Decembris anno 884.

884. Carolus ſimplex Rex. Huic ſucceſſit tertio genitus CAROLUS SIMPLEX ſub tutoribus etiam ambientibus regnum, coronatus Remis anno 893. ætatis ſuæ anno 14.

886. Nortmannorum devaſtationes. Tempore pueritiæ hujus Regis, rebus ſatis ſuperque turbatis, regnum Francorum devaſtant & deprædantur Nortmanni. Anno 886. juxtà Lovanium caſtra locant, unde & has regiones & ultramoſanas quæ ſub Rege Germaniæ erant, continuis infeſtationibus fatigant. Anno ſequenti
887. 887. ſequanam ingredientes Pariſios obſident; deinde Senonicam urbem tranſeuntes, uſque Viridunum & Tullum cuncta depopulantes, Lotharingiam ſuperiorem ſeu ultramoſanam, quæ Regi
889. Germaniæ parebat, ingrediuntur anno 889.

Anno ſequenti 890., cum ARNULPHUS Rex, qui in regnum Germaniæ ſucceſſerat CAROLO CRASSO Imperatori, in Bavariæ extremitatibus ageret contrà Sclavos, partem exercitus contrà eos miſit, & dato prælio inter Rhenum & Moſam terga verterunt Chriſtiani. Quod cum intellexiſſet ARNULPHUS Rex congregatis copiis Rhenum transmittit & eos inſequitur. Nortmanni autem Arnulphum timentes Moſam tranſgrediuntur & caſtra ponunt juxtà Lovanium. Arnulphus etiam Moſam tranſiens eos inſequitur & uſque ad internecionem
891. Cæduntur juxtà Lovanium. ferro cædit anno 891. ita ut ex innumerabili multitudine, quam quidam augent ad centum millia, vix reſiduus eſſet, qui nuntium reportaret.

Nota CAROLUS CRASSUS Imperator, & ARNULPHUS ſucceſſor ejus in regno Germaniæ, quædam Diplomata dederunt Eccleſiis in Belgio noſtro ciſmoſano: illa [illegible] militer dederunt tam-

quam

quam tutores *Caroli ſimplicis* Regis noſtri, & bella pro ipſo gerentes in his regionibus. Anno 900.

Origo Eccleſiæ S. Michaëlis.

Gratis ſuprà ſuppoſuimus Eccleſiam in Burgo fuiſſe primitivam & unicam parochialem in diſtrictu Antverpienſi, quia notitiam originis hujus Eccleſiæ habebamus, & originem Eccleſiæ S. Michaëlis aut alterius in hoc diſtrictu aſſequi non poſſimus. Et cum conſtet Eccleſiam S. Michaëlis dein fuiſſe Parochialem & principalem, in dicto ſuppoſito progrediendo videtur origo ejus referendus ad hæc tempora.

Itaque cum Eccleſia in Burgo, poſt primam Nortmannicam devaſtationem reſtaurata vel reædificata per Monachos Epternacenſes, parva nimis eſſet populo, qui indies multiplicabatur, aut certè per jam dictam ſecundam irruptionem multum paſſa (quis enim dubitat, quin Antverpia ſenſerit furorem illius indomitæ multitudinis) notabili reſtauratione opus haberet: ſatiùs judicatum eſt novam Eccleſiam ædificare in loco magis elato, in quo non pateretur ab æſtu maris, ſicut patiebatur Eccleſia in Burgo. Sic itaque ædificata fuit Eccleſia S. Michaëlis, ad quam è Burgo rectà ibatur per arenarium vulgò *het Zant* vel ſi redundarent aquæ per aggerem dictum hodie *de Hoogſtraet*. Quædam Chronica ædificationem hujus Eccleſiæ adſcribunt huic Anno 900.

Fit Parochialis.

Ad hanc Eccleſiam tranſlata fuit è Burgo cura Paſtoralis, fuitque unica parochialis in diſtrictu Antverpienſi uſque ad annum 1124. quo cum Capitulo collegiali ejuſdem Eccleſiæ cura. Paſtoralis tranſlata fuit ad Eccleſiam B. Mariæ, quæ nunc eſt cathedralis. Quantum autem ad Capellam B. Martini quæ in dicto loco ædificata fuiſſet per S. Amandum, nihil certi habemus.

910. Vetus teſtimonium ſanctitatis S. Rumoldi.

Epiſcopus Leodienſis anno 910. obtinet à CAROLO Rege noſtro Abbatias Haſterienſem ad Moſam & S. Rumoldi Mechlinienſem, per diploma, quod refertur *Dipl. Belg. tom. II. p. I. cap.* 2.

Anno 910. In hoc autem diplomate notandum, quod Mechlinienſium *Rumoldus* intituletur *ſanctus* & *martyr*, idque parum ultrà ſeculum poſt ejus martyrium; & indicetur, jam ante eum annum extiſſe Abbatiam illam nomini ejus tamquam *ſancti* dicatam. Vide Solerium *Act. S. Rumoldi pag.* 19. *n.* 83. & *ſeq:*

929. Carolus ſimplex moritur. CAROLUS SIMPLEX Francorum Rex obiit 7. Octobris anno 929; cum per annos ſex fere continuò per factioſos in captivitate detentus fuiſſet. Rex hic circà annum 916. imperio ſuo ſubjecit Lotharingiam ſuperiorem ſeu ultramoſanam, quæ jam ab anno 870. paruerat Regibus Germaniæ ſeu Franciæ orientalis.

Ejus pia opera. Princeps hic anno 894. benefacit Epiſcopis Leodienſibus. Miræi *Dipl. Belg. L. II. cap.* 13. Anno 899. confirmat Abbatiæ S. Amandi antiquas ſuas poſſeſſiones. *Dipl. Belg. tom. III. p. II. cap.* 13. Anno 909. benefacit Eccleſiæ Cameracenſi. Ibid. *tom. II. p. II. cap.* 14. Anno 915. benefacit Canonicis Leodienſibus. Miræi *Dipl. Belg. L. II. cap.* 18. Anno 921. benefacit Abbatiæ Maricolenſi in Hannonia. *Cod. don. pia. cap.* 27. & 28. Et eodem anno Abbatiam illam & Criſpinienſem ſubjicit Epiſcopis Cameracenſibus. *Dipl. Belg. tom. IV. p. II. cap.* 3.

936. Ludovicus transmarinus Rex. LUDOVICUS filius unicus *Caroli ſimplicis*, turbatis in Francia rebus, inſidiantes ſibi fugiens cum matre deceſſit in Angliam ad Regem Avunculum, à quo ſollicitè educatus fuit. Hinc dictus fuit TRANSMARINUS. Inde autem revocatus fuit anno 936. ut regnum patris adiret; & receptus per Principes Lauduni coronatus eſt Francorum Rex. Obiit autem anno 954. Princeps hic anno 950. confirmat monaſterio Blandinienſi juxtà Gandavum ſuas poſſeſſiones. Miræi *Dipl. Belg. Lib. II. cap.* 25. Sub hoc Rege fundatum eſt Gemblacenſe cœnobium.

954. Lotharius III. Rex. Patri ſucceſſit LOTHARIUS III. conſecratus Francorum

eorum Rex anno ætatis 13. Rexit autem in his regionibus annis viginti tribus. Anno 971.

Interim *Sigifridus* Comes Luxemburgenſis deſiderans reſtitutionem monaſterii Willibrordiani apud Epternacenſes, è quo jam ferè à ſeculo exulabat vita monaſtica ſubſtitutis in locum monachorum Canonicis ſecularibus, accedit Othonem I. Imperatorem & Germaniæ Regem, qui dominabatur in parte Lotharingiæ ſuperioris, ſupplicans, quatenùs ſuprema auctoritate id mandare vellet. Ad preces autem illius fecit hoc Otho anno 971. per diploma datum Magdeburgi, quod refert Miræus *Not. Eccl. Belg. cap.* 27. In eo autem mandat ut in dicto Monaſterio monaſtica vita innovetur; & primum Abbatem ei præficit Ven. Virum *Ravengerum*. Monachi autem ſic reſtituti cœperunt requirere priſtina jura & bona monaſterii ſui. Sed cum Otho Imperator in his regionibus non dominaretur, nihil efficere potuerunt pro reſtitutione Eccleſiæ Antverpienſis in Burgo, Cellæ D. Mauri & attinentium earum.

Monachi in Epternacenſi monaſterio reſtituuntur.

An redierint Antverpiam.

Cum autem Otho II. ſucceſſiſſet patri in Imperio & Germaniæ Regno, accedit eum novus Abbas Epternacenſis *Ravengerus* ſupplicans quatenus diploma patris, quo monaſterium reſtituerat in priſtinum ſtatum, confirmare vellet, & monaſterium ipſum cum bonis in protectionem ſumeret. Fecit hoc Otho ad preces ejus per diploma datum Aquiſgrani anno 980. quod refert Miræus ibidem *cap.* 28. Sed cum Otho hic necdum pacificam harum regionum poſſeſſionem haberet, nihil monachi Epternacenſes efficere potuerunt pro reſtitutione Eccleſiæ Antverpienſis.

Otho II. Imperator & Germaniæ Rex, qui jam ferè totam Lotharingiam ſibi ſubjugârat, illam regno ſuo confirmare volens, eam anno 977. in feudum tradit Carolo fratri Regis noſtri Lotharii penultimi Regis Francorum ſecundæ ſtirpis dictæ *Carlovingiorum*, cui ſucceſſit anno 987. 977.

Carolus Lotharingiæ Dux.

tertia

Anno 977. tertia ſtirps dicta *Capetiorum*. Hic itaque CAROLUS Dux Lotharingiam ſic ſibi oblatam acceptavit & homagium præſtitit Imperatori, id indignè ferentibus Franciæ principibus, in tantum ut poſt obitum LOTHARII Regis & LUDOVICI ſucceſſoris, ipſo excluſo regnum Francorum tranſtulerint in HUGONEM CAPETIUM.

980. Lotharius cedit has regiones Othoni II. Imp.

LOTHARIUS autem anno ſequenti Lotharingiam armis recipere tentavit. Sed anno 980. conventione cum OTHONE factâ Lotharingiam abjuravit, ſicque ab hoc tempore Antverpia ſubjecta manſit Germaniæ Regibus.

Quales autem limites habuerit Lotharingia, quam LOTHARIUS hic cedit OTHONI aut quam CAROLUS accepit in feudum, præciſè non ſcitur. Ex CAROLO interim per *Gerbergam* filiam prognati ſunt Brabantiæ Duces, qui deinceps præfuerunt.

Lotharii pia opera.

LOTHARIUS Rex, qui tantùm uſque ad annum 977. has regiones rexit, confirmavit anno 954. Gandavenſe S. Bavonis monaſterium. Miræi *Cod. don. pia. cap.* 33. & varia ejuſdem prædia confirmat anno 967. *ibid. cap.* 36. Anno 960. confirmat donationem factam monaſterio Blandinienſi. *Dipl. Belg. tom. II. p. II. cap.* 18. Anno 976. benefacit Abbatiæ Marchianenſi Miræi *Dipl. Belg. Lib. I. cap.* 21. Obiit autem anno 986.

Otho II. Imp. Rex noſter.

OTHO II. itaque Imperator & Germaniæ Rex ſucceſſit Regi LOTHARIO in dominio & regimine harum regionum anno 980. &, cum tribus annis Lotharingiæ præfuiſſet, obiit 8. Decembris anno 983.

Moritur Otho II. ejus pia opera.

Princeps hic anno 973. confirmat privilegia Abbatiæ Lobienſis. *Dipl. Belg. tom. III. p. II. cap.* 16. Anno 974. reſtituit monachis S. Bavonis Gandavi prædia ablata. Miræi *Cod. don. pia. cap.* 38. & poſſeſſiones ejus confirmat anno 976. *Dip. Belg. L. I. cap.* 14. Anno 980. confirmat poſſeſſiones Eccleſiæ Leodienſis. *Cod. don. pia. cap.* 39.

Ut

Ut autem dictæ novæ acquiſitionis memoria conſervaretur, Imperator hic aut filius ejus æquivocus cœpit conſtruere ad Schaldim juxtà Antverpiam versus meridiem turrim excelſam, tamquam limitem ſeu marcham Imperii ſeu dominii ſui; quæ turris dein per dilatationes civitatis eidem incorporata fuit & dicta *Croneburgica*, à corona imperatoria ſummitati ejus impoſita. Cœperunt, inquam, eam extruere, & perfecit eam Godefridus Barbatus, & tandem Corona iſta impoſita fuit anno 1145. tempore Godefridi III., ut notatum inveniebatur in ipſa coronâ, quando depoſita fuit anno 1565., ut infrà ad iſtum annum latiùs dicetur. Anno 980. Extructa turris dicta dein marcha Imperii.

Patri ſucceſſit OTHO III. Germaniæ Rex. Coronatus eſt deinceps Imperator Romæ per GREGORIUM PP. V., qui, cum plures nuper prætendiſſent titulum Imperatoris, conſtituiſſe fertur anno 996., quod Imperator deinceps eligeretur per certos Germaniæ Principes & Prælatos. Hinc Imperium Principibus Germaniæ affirmatum eſt. 983. Otho III. Imp. Rex noſter.

Monachi Epternacenſes non ceſſabant requirere priſtina jura & bona, à monaſterio ſuo ablata tempore, quo amotis monachis in eo reſidebant Canonici ſeculares. Hactenùs autem nihil effecerant in his partibus. Jam autem cum Rex Germaniæ, ſub cujus regno erat monaſterium Epternacenſe, nuper pacificam poſſeſſionem harum regionum adiiſſet, RAVANGERUS eorum Abbas, mediante SIGIFRIDO Comite Luxemburgenſi, qui nuper reſtitutionem monaſterii in priſtinum ſtatum ab Imperatore obtinuerat, ab OTHONE III. obtinuit Diploma, quo mandatur, ut omnes Eccleſiæ & bona, quæ quondam ſpectaverant ad illud monaſterium, eidem reſtituantur ſine contradictione. Diploma illud datum eſt Metis idib. Maij anno 993. & refertur apud Miræum *Not. Eccl. Belg. cap.* 31. unde illud hic ſubjungo. 993. Monachi Epternacenſes Antverpiam redeunt.

„ OTTO divina favente clementia Rex . . .

Anno 1008. innoteſcit Antverpiæ Princeps ſubalternus ſeu feudatarius, nempè Gozilo, idque ſub titulo *Comitis Antverpienſis*. Innoteſcit autem nobis per diploma *S. Henrici* Imp. Regis noſtri, quod exhibet Miræus *Cod. don. pia. cap.* 43. & Le Loy *Not. March.* S. R. J. *lib. I. cap.* 6. : in eo enim legitur : *in Comitatu verò Gozilonis Comitis, qui* ANTWERF *dicitur.*

Gozilo Comes Antverpienſis.

Origo tituli Marchionatus S. R. J.

Notandum hìc, quod *Antverpia* vocetur *Comitatus*, ſicut & in epiſtola ſcripta circà annum 1030. relata apud Miræum *Don. Belg. lib. I. cap.* 19. Hinc colligere datur, alium titulum non tuliſſe Antverpiam præcedentibus ſeculis, & conſequenter originem tituli *Marchionatûs* altiùs repeti non debere. Interim non diu poſt hæc cœpit Antverpia dici *Marcha Imperii* ſeu *Marchionatus*. Idque veroſimiliter quia Schaldis ſeparabat feuda Imperii à feudis regni Francorum, quodque, ut ſuprà dictum eſt, Imperatores ad Schaldim jam cœpiſſent erigere excelſam turrim, quæ eſſet Marcha ſeu limes Imperii ſui.

Quando autem regiones ſeu civitates erant limites regni alicujus, ſatis communiter dictæ ſunt *Marcha* ſeu *Marchionatus* idque tam in Germania quàm in his regionibus. Inde etiam ipſa Flandria dicta eſt *Marcha* ſeu limes *regni Galliæ* : ſic enim de Balduino Flandriæ Comite apud Miræum *Cod. don. pia. cap.* 44. legimus : *ſignum Balduini Marchionis Flandriæ.* Et de Carolo bono ibidem cap. 75. : *Karolo Marchionatum adminiſtrante in Flandria.* Et apud Cont. Chron. Sigiberti ad an. 1125. : *Caroli incliti Marchionis Flandriæ.* Sic Namurcum dictum eſt Marchionatus apud Miræum *Dipl. Belg. lib. I. cap.* 75. Sic & alia plura loca, dum limites regnorum erant, titulum *Marchionatus* tulerunt. Verùm pleraque, dum limites eſſe deſierunt, titulum illum amiſerunt. Quædam tamen loca tam in Germania quàm hìc eum retinuerunt, inter quæ eſt Antverpia, quæ eum

reti-

retinuit uſque in hodiernum diem, dictaque eſt MARCHIONATUS adjecto *ſacri Romani Imperii*, apparenter quia Principes noſtri Reges Germaniæ ſimul erant Romanorum Imperatores. Et ſic noſtri Principes ſub iſto titulo Antverpiam inſcripſerunt, hodieque inter titulos ſuos inſcribunt; & nominant ſe, nominanturque *Marchiones ſacri romani Imperii*. Anno 1008.

Ab hoc *Gozilone* Comite Antverpienſi continuatam ſeriem Principum Antverpiæ dedit Le Roy *Not. March. lib. I. cap. 6.* ſub titulo Marchionum ſacri Romani Imperii: ſed num æqua ſit hæc ſeries dubium ingerit Cuperus *Act. SS. tom. IV. Julii pag.* 295. *not.* 1., dicens Le Roy *catalogum Marchionum S. R. J. texuiſſe utcumque*. Interim, donec exactior producatur, in ſequentibus ſequemur ſeriem, quam Le Roy exhibet. Principes quibus Antverpia paruit.

Itaque GOZILO cognomento MAGNUS filius *Godefridi* Comitis Virdunenſis comitatum Antverpienſem poſſidebat anno 1008. Anno autem 1023. defuncto fratre *Godefrido* factus eſt Dux Lotharingiæ inferioris. Et dein mortuo ſine filiis *Frederico* Moſellanorum Duce, moſellanam ſeu ſuperiorem quoque Lotharingiam à Conrado II. Imp. impetravit anno 1034. Ita Miræus *Cod. don. pia. cap.* 78. *in not.* & *Not. Eccl. Belg. cap.* 82. *in notis*. 1023. Gozilo fit Dux Lotharingiæ.

Obiit autem GOZILO anno 1044. vel ſequenti. Liberos reliquit *Godefridum* barbatum ſeniorem, *Gothelonem* ignavum, *Fredericum* & *Odam* Baldrico Comiti Lovanienſi nuptam. Addit Le Roy *Regelindem* Alberto II. Namurcenſi Comiti nuptam. 1044. Moritur.

Dictus FREDERICUS filius Comitis noſtri eligens ſtatum eccleſiaſticum factus eſt Leodienſis Eccleſiæ Archidiaconus. Dein Cancellarium agens Eccleſiæ romanæ miſſus eſt à LEONE PP. IX. cum aliis Conſtantinopolim ad Conſtantinum monomachum Imperatorem. Inde redux factus eſt monachus Caſſinenſis & brevi ejuſdem monaſterii Abbas & diaconus Cardinalis. Defuncto autem Filius ejus Stephanus PP. X.

Anno 1044. VICTORE PP. II. anno 1057. ipſe tunc Romæ exiſtens uno omnium voto electus eſt Pontifex 2. Auguſti, dictuſque STEPHANUS PP. X. Pontifex hic, licet infirmus corpore, aſſiduo tamen ſtudio pro Eccleſiæ tranquillo ſtatu laborans, decrevit Legationem in orientem ad Eccleſiam Conſtantinopolitanam apoſtolicæ communioni ſociandam; ſed quo minus ea ſuum effectum conſequeretur, ejuſdem Pontificis obitus interceſſit Florentiæ die 29. Martii 1058. Ad ejus vero ſacrum corpus ibidem ſepultum plurima ſigna operatus eſt Deus. Quantus benefactor fuerit hic Pontifex Eccleſiæ Namurcenſis, vide in enarratione originis ejuſdem Eccleſiæ. *Dipl. Belg. tom. IV. p. IV. cap.* 1.

Gothilo ignavus Marchio. *Goziloni* magno filius GOTHILO IGNAVUS in Marca Antverpienſi & in Ducatu Lotharingiæ inferioris ſucceſſit juxtà *Hermannum contractum* contemporaneum inquit Miræus. Hic Princeps in tantum pietatem cordi habuit, ut maluerit Deo in monaſterio ſervire, quàm in mundo dominari: quare Augiæ majoris cœnobita factus ibidem obiit anno 1054. ut notat Le Roy.

1046. Fredericus Marchio. *Gothiloni ignavo* ſucceſſit FREDERICUS in Marchionatu & Ducatu Lotharingiæ inferioris anno 1046. Fredericus erat frater Adelberonis Epiſcopi Metenſis & Henrici Bajoariæ Ducis. Principem hunc intrà Antverpiam anno 1055. obſeſſum fuiſſe per Godefridum Barbatum ſeniorem & Balduinum Flandriæ Comitem in Chronico ſuo teſtatur Sigebertus. Pietatem coluit, Advocatus erat, protector & benefactor monaſterii Stabulenſis, ut patet ex ejuſdem diplomatibus apud Miræum *Not. Eccl. Belg. cap.* 40. & 41., ex illis etiam conſtat, quod in dicto monaſterio elegerit ſepulturam; ubi, non diu poſt vitam finiens, ſepultus eſt.

1055. Godefridus barbatus ſenior Marchio. *Frederico* ſucceſſit GODEFRIDUS MAGNUS ſeu BARBATUS SENIOR frater Gothilonis ignavi &

Ste-

phani papæ, de quibus ſupra. Princeps hic fundavit Prioratum de Langliers ſub metropoli Trevirenſi, ut patet ex dipl. HENRICI Imp. hanc fundationem confirmantis *Dipl. Belg. Tom. IV. p. II. cap.* 12. Fundavit etiam Prioratum S. Petri in Bullonio, cujus fundationis confirmationem petivit & obtinuit ab ALEXANDRO PP. II. Miræi *Cod. don. pia. cap.* 66. Obiit anno 1070. conditur Virduni. Reliquit ex priori conjuge *Godefridum Gibboſum* & *Idam* Euſtachii II. Comitis Bolonienſis conjugem, Godefridi Bullonii matrem. Anno 1055.

GODEFRIDUS GIBBOSUS patri ſucceſſit in Ducatu Lotharingiæ inferioris & Marchionatu Antverpienſi, factuſque eſt Comes Hollandiæ. Anno 1076. à ſicario confoſſus obiit Antverpiæ & Virduni juxtà patrem eſt conditus. Uxorem duxerat MATHILDEM Bonifacii Tuſciæ marchionis & Beatricis filiam. 1070. Godefridus Gibboſus Marchio.

De hac ſua olim Principe & Marchioniſſa ſeu Comitiſſa Antverpia meritò gloriatur: fuit enim virilis animi mulier, Eccleſiæ ejuſque Capiti devotiſſima. Hæc mortuo Godefrido marito ægrè nupſit Duci Bajoariæ, inducta ab Urbano papa, ſed non niſi ſub conditione ſervandæ caſtitatis. Toto animo & omnibus viribus ſuſcepit defenſionem S. Sedis contrà *Henricum IV.* Imp. Sæpè viſa eſt in capite exercitûs ſe opponens huic Principi, qui, cum in *Conciliabulo* quodam *Guibertum* Cancellarium ſuum curaſſet eligi Antipapam ſub nomine Clementis III., ſchiſma in Eccleſia diu intertinuit. In eo autem MATHILDIS propter fortitudinem & prudentiam magnum nomen conſecuta eſt. Deinde cum omnia bona ſua ſolemni donatione tradidiſſet Eccleſiæ Romanæ, Miræi *Don. Belg. l. I. cap.* 36. plena meritis obiit anno 1115. ætatis 76. 1076. Mathildis Marchioniſſa

Godefridus Gibboſus, cum ſine liberis eſſet, adoptaverat & hæredem ſcripſerat GODEFRIDUM filium ſororis ſuæ dictum BULLONIUM, dein primum Godefridus Bullonius. Marchio.

Anno 1076. Regem Jeroſolimitanum. Succeſſit hic ei in Marchionatu Antverpienſi, ubi fundavit Canonicorum Capitulum, quod hodie eſt Cathedrale. Factuſque eſt gloria Antverpienſium.

Pater ejus. GODEFRIDUS hic patrem habuit EUSTACHIUM II. Comitem Bolonienſem & Lenſenſem, Principem inter Belgii primarios, illuſtrem nativitate, merito & maximè prole; non tantùm armis ſed ſed & pietate conſpicuum. Fundavit enim Capellenſe S. Mariæ monaſterium in vico Marck diœceſis Bolonienſis, ut Iperius in *Chron. Bertiniano* & Mejerus teſtantur. Anno vero 1070. cum conjuge variis prædiis & privilegiis dotavit Lenſenſe in Arthefia Canonicorum collegium. Miræi *Dipl. Belg. lib. I. cap.* 38.

Mater ejus. Matrem habuit IDAM Godefridi barbati filiam, ſororem Godefridi Gibboſi, quæ non tantùm pietate ſed & ſanctitate celebris eſt. Anno 1096. Abbatiæ Affligemienſi nuper erectæ, confert Ecleſiam & decimas Genappæ & quaſdam partes terræ. Miræi *Cod. don. pia. cap.* 67. Anno 1098. benefacit monaſterio S. Bertini pro incolumitate filiorum ſuorum, qui erant in bello ſacro. Ibid. *cap.* 69. Dotavit etiam Nivellenſem Eccleſiam, ut patet ex diplomate Lotharii Imp. dato anno 1136. apud Miræum *Don. Belg. lib. I. cap.* 57. Mortuo marito ſanctam vitam duxit, donec eam cum immortali commutavit 13. Aprilis anni 1113. Corpus ejus repoſitum eſt Atrebati in Abbatia S. Vedaſti. Vita ejus apud Bollandum refertur. Per hos deſcendebat Godefridus ex Regibus Francorum ſecundæ ſtirpis Carlovingiorum & ex Regibus Longobardorum.

Fratres. Fratres habuit *Balduinum* ſucceſſorem in Regno Jeroſolimitano & *Euſtachium*, qui ſucceſſit patri in Comitatibus Bolonienſi & Lenſenſi. Sororem *Praxedem Adelaïdem*, quæ nupſit Henrico IV. Imperatori.

Godefridi Bullonii vita. Talium parentum GODEFRIDUS BULLONIUS Mar-

Marchio noſter erat filius primogenitus aut ſecundùm aliquos ſecundogenitus, natus Boloniæ ad mare aut in Baſeo prope Genappam. Anno 1076.

Cum Providentia divina eum deſtinaret ad magna, natus eſt cum omnibus qualitatibus tum animæ tum corporis requiſitis ad omnigenas virtutes tum Chriſtianas, tum militares, tum civiles, quæ excultæ per nobiles & pios parentes eum effecerunt virum undequaque completum & excellentem. Linguæ Latina, Francica & Teutonica ipſi familiares erant. In Eccleſiis aſſiduus; in illis nil repreſentatum videbat, quin ſignificatum inquireret. *Hiſt. Litt. de la France tom. VIII. pag. 598.*

Talis erat Godefridus, dum avunculus ejus Godefridus Gibboſus moriebatur anno 1076, cui ſucceſſit in Ducatu BULLONIENSI, unde nomen aſſumpſit & æternum fecit. Debuiſſet etiam ſuccedere in aliis dominiis avunculi, qui eum ſibi adoptaverat & hæredem ſcripſerat; ſed Henricus Imp., quia ſucceſſio legitima deficiebat, reputans feuda ſibi devoluta eſſe, Ducatum Lotharingiæ filio ſuo Conrado dedit, Godefrido autem noſtro Marchionatum Antverpienſem. Deinceps tamen Conradum degenerem privavit dicto Ducatu, eumque reſtituit Godefrido, cui de jure debebatur, qui & per ſervitium Henrico in bello præſtitum eum meruerat. Fit Dux Bullonii & Marchio. Dux Lotharingiæ.

E primis ejus heroïcis actionibus fuit ſingulare certamen, quod, juxtà nimis communem potiſſimè inter Nobiles uſum ævi, ſuſtinere debuit occaſione litis de poſſeſſione terræ cujuſdam notabilis, ſuſtinuitque generosè coram Imperatore & univerſa aula: proſtrato enim competitori vitam donavit, exigens ſolùm amicabilem compoſitionem. Actio ejus heroïca.

Poſt hæc anno 1080. fideliter & utiliter ſervivit Henrico in bello Saxonico. Dato prælio vincebant Saxones, ſed Godefridus trucidato propriâ manu Rodolpho Rege ceptam eorum victoriam inutilem reddidit. 1080. Occidit Rodolphum Regem.

Anno 1083. Romam primus ingreſſus ad deditionem cogit. Anno 1083. HENRICUS Imp. infenſus GREGORIO PP. VII. obſidebat Romam, introducturus *Guibertum* Cancellarium ſuum, quem in conciliabulo quodam curaverat eligi Antipapam ſub nomine Clementis III., & ab eo recepturus coronam Imperialem. Cum autem multum temporis in hac obſidione impendiſſet, Godefridus noſter viam detexit & primus urbem ingreſſus portas obſidentibus aperuit, quo Henricus intentum conſecutus eſt.

Bellat contra Imperatorem. Interim cum Henricus Adelaidem conjugem ſororem Godefridi injurioſè tractaſſet, credidit Godefridus deſuper exigendam eſſe juſtitiam. Ideoque bellum Henrico indixit, quod ita feliciter egit, ut cæſo exercitu Imperatorem fugaverit.

Contra Epiſ. Virodunenſem. Occaſione belli hujus Theodoricus Epiſ. Virodunenſis tentabat Comitatum Virodunenſem, qui dependebat à Ducatu Bullonienſi, independentem reddere. Sed Godefridus eum à propoſito armis cohibuit donec publicato bello ſacro arma ſua unicè in infideles vertere ſtatuit.

1094. Præparat ſe ad bellum ſacrum. Cum enim inciperet agi de liberanda paleſtina è poteſtate infidelium, inflammatus eſt zelus Godefridi, & nativa pietas, quam & à matre didicerat, novum vigorem obtinuit; ſtatuitque ſe totum huic operi dare, & non niſi pietatis imposterum opera exercere, ſperans miſericordiam obtinere, ſi quid in præcedentibus actionibus deliquiſſet.

Piæ ejus dotationes. Antequam opus hoc aggrederetur, auxilium divinum promereri conatus eſt benefaciendo piis locis & promovendo cultum divinum; ut & quibus benefaciebat, pietatis officia exercerent eo tempore, quo ipſe in bello exiſtens ab eis impediretur. In ea intentione anno 1094. Prioratui S. Petri Bullonii contulit in eleëmoſynam Eccleſiam de Baſejo in Gallobrabantia. Miræi *Cod. don. pia. cap. 66.* Et anno 1096. Abbatiæ Affligemienſi recenter erectæ donavit quinque manſos

1096.

terræ,

terræ. Ibid. *cap.* 67. Et eodem anno dotat Eccleſiam S. Dagoberti in Caſtello ſathanaco. Litteræ deſuper confectæ referuntur à Miræo *Don. Belg. lib. I. cap.* 32. In illis autem Litteris dictam intenſionem ſuam clarè indicat Godefridus; ſic enim præfatur: „In nomine ſanctæ & individuæ „Trinitatis GODEFRIDUS Dei gratiâ & miſericor„diâ Dux & Marchio, quoniam quidem nego„tiis ſecularibus ſatis ſuperque detenti, divinis „prout neceſſe eſt intendere non valemus, & „per hoc temporalia emolumenta ſpectantes, „animarum ſtatum, quod nobis valde formida„bile eſt, negligere non timemus, opere pretium „eſt, nobis ſaltem Deo regulariter ſervientium „utilitatibus providere: quatenùs ipſis pro nobis „orantibus mercedis eorum apud Deum in ali„quo participes valeamus exiſtere..." Anno 1096.

Eodem intuitu & eodem hoc tempore fundavit GODEFRIDUS in Metropoli Marchionatûs ſui Antverpiæ Capitulum Canonicorum, quod hodie eſt Cathedrale. Fundavit autem illud in Eccleſia S. Michaëlis, quæ tunc erat principalis & unica parochialis in diſtrictu Antverpienſi; & nunc eſt Eccleſia Abbatiæ Præmonſtratenſium ſub titulo ejuſdem Archangeli. Fundat Capitulum Antverpienſe.

Godefridus fundationem hanc fecit inductus „hortatu fidelium Virorum tam Clericorum quàm „laïcorum & præcipuè inſtinctu divini amoris" ſic dicit Godefridus barbatus mediatus ejus ſucceſſor in Marchionatu in Epiſtola ad Senatum Antverpienſem infrà referendâ ad an 1120. Clerus autem & populus ſic indubiè induxerunt Godefridum ad faciendam hanc fundationem, ut Marchionatus, ſicut in civilibus, ſic & in eccleſiaſticis & cultu divino ſplendorem haberet. Inductus à Clero & populo.

Diploma Godefridi ſuper hac fundatione confectum ampliùs non exſtat, aut ſaltem hactenùs latet. Conſtat interim, quod dederit duos manipulos decimæ ad Antverpiam ejuſque ambitum ſpec- Confert illi Decimas in ambitu Antverpiæ.

Anno 1096. ſpectantes. Habemus hoc ex dicta Godefridi barbati epiſtola, in qua hæc deſuper leguntur. „ Decimam duorum manipulorum Eccleſiæ beati „ Archangeli Michaelis, quam Dñus & prædeceſſor meus beatæ memoriæ Dux GODEFRIDUS „ & poſteà Rex Jheroſolimitanorum ab Imperatore liberè in feudo tenuit, ... præfatæ Eccleſiæ ad uſus Canonicorum inibi ſervientium „ contulit." Idem aſſerit Burchardus in Diplomate ſuo dato anno 1124. quod infrà dabitur: in eo legitur. „ Præfatus Dux (*Godefridus barbatus*) „ duas partes manipulorum decimæ, quæ ad „ Antwerpiam & ejus ambitum pertinent, quas à „ prædeceſſore ſuo illuſtris memoriæ GODEFRIDO „ Duce & poſteà Jheroſolimitano Rege Sti Micahelis Eccleſiæ traditas minùs juſtè ſubtraxerat, „ eidem Eccleſiæ recognovit."

Decimæ à Santvliet uſque Olmeremuthen. Satis itaque conſtat, quod Godefridus Capitulo contulerit Decimas ad Antverpiam & ejus ambitum ſeu ſuburbium ſpectantes. Suſpicari etiam poſſumus, quod ex ejus dono etiam poſſideat decimas à *Santvliet* uſque *Olmeremuthen*: ſaltem videtur conſtare, quod Capitulum illas hoc tempore poſſederit. Habemus hoc ex Diplomate FREDERICI Imp. de anno 1157. quod refert Miræus *Dipl. Belg. lib. I. cap.* 63. & infrà ad copiam authenticam collatum dabitur. In eo enim Fredericus aſſerit, quod Imperator hoc tempore regnans eas dederit Capitulo; dicens „ Noverit ... qualiter *Rainerus* Eccleſiæ S. „ Mariæ ... in Antwerpia Præpoſitus, præſentiam „ majeſtatis noſtræ adiit, porrigens nobis privilegia proavi noſtri... HENRICI Romanorum Imperatoris quarti ... Pietatis veſtigia proſequentes „ omnem decimam, quam proavus noſter ſupradictæ Eccleſiæ & fratribus inibi Deo ſervientibus ... contulit & evidentibus terminis deſignavit „ à termino *Santflieten* uſque ad terminum *Olmeremuthen*, ... Nos Imperiali noſtrâ auctoritate „ ſupradictæ Eccleſiæ damus & confirmamus..."

Hen-

Henricus Imp. IV., qui aliquando ſcribitur III., quem Fredericus hic dicit decimas illas Capitulo conceſſiſſe, erat is, qui hoc tempore regnabat & obiit anno 1106. Ille enim erat proavus Frederici, non autem certè ſucceſſor ejus, qui regnabat anno 1119., quia is ſine liberis obiit. Anno 1096.

Ex his itaque habemus, Capitulum Antverpienſe poſſediſſe hoc tempore decimas à *Santvliet* uſque *Olmeremuthen*. Et inde præſumere datur, quod eas etiam poſſideat ex dono primi ſui fundatoris GODEFRIDI BULLONII. Præſumptionem auget, quod decima duorum manipulorum ad Antverpiam & ejus ambitum ſpectans, & decimæ à Santvliet uſque Olmeremuthen videantur eſſe unum & idem: id enim videtur colligi poſſe ex eo, quod, cum *Godefridus barbatus* in ſuprà citata Epiſtola dicat ſe Capitulo reſtituiſſe (*circà annum* 1116.) ablatas decimas duorum manipulorum ad Antverpiam & ejus ambitum ſpectantes, dicat ſe ſuper hac reſtitutione petiviſſe & obtinuiſſe confirmationem Imperatoris; non habeamus alias illius Imperatoris Litteras, niſi datas anno 1119., in quibus Imperator non confirmat Capitulo alias quàm decimas à Santvliet uſque Olmeremuthen, nullâ factâ mentione de decimis ad Antverpiam & ejus ambitum ſpectantibus. Deinde tranſlato Capitulo S. Michaëlis ad B. Mariæ LOTHARIUS III. Imp. anno 1133. decimas à Santvliet uſque ad Olmeremuthen, Capitulo quondam datas cum reſpectu ad Eccleſiam S. Michaëlis, eidem confirmat cum reſpectu ad Eccleſiam B. Mariæ: & LIETARDUS Ep., qui huic confirmationi interfuit & cujus nomen in diplomate Imperatoris tamquam teſtis ſubſcriptum eſt, anno 1135. Capitulo eodem modo confirmat duas partes manipulorum Decimæ ad Antverpiam & univerſum ejus parochiæ ambitum pertinentes, dicens ſe confirmare id, quod Lotharius ſuâ Chartâ roboraverat. Ex his inquam, conjicere An ſint datæ à Godefrido Bullonio.

poſſe-

Anno 1096. poſſemus, quod decima à Santvliet uſque Olmeremuthen, & decimæ ad Antverpiam & ejus ambitum pertinentes ſint unum & idem donum GODEFRIDI: ſed vix concipitur, quomodo in Ambitu Antverpiæ poſſet comprehendi proceſſus unicus inter ſeptentrionem & Occidentem extenſus ad diſtantiam trium leucarum ab Antverpia, nempè ad Santvliet. Quantum autem ad donationem Imperatoris HENRICI IV. credendum eſt eum illas dediſſe ut dominus directus, ſicut eaſdem dedit anno 1119. Henricus V. Imp. per Litteras ad illum annum referendas.

Terminus Santvliet.

FREDERICUS Imp. in ſupra citatis verbis dicit, quod HENRICUS IV. Imp. deſignaverit decimas has evidentibus terminis à *Santſlieten* uſque *Olmeremuthen*. Termini autem illi hodie non ſunt evidentes. Terminus *Santflieten* notus eſt, diciturque hodie *Santvliet*, eſtque vicus inter Antverpiam & Bergas ad zomam tertio lapide ab Antverpia, qui anno 1628. factus eſt ſpectabile munimentum juſſu Philippi IV. Hiſpaniarum Regis, deinceps anno 1705. iterum deſtructum & non reſtitutum.

Olmeremuten

Quantum ad terminum *Olmeremuthen* putat Miræus eſſe *Orderen*; ſed videmus, quod vicus iſte illo tempore fuerit cognitus ſub hoc ſuo nomine: in Litteris enim Burchardi Ep. Cam., inſertis in ejus Diplomate anni 1124. infrà referendo, datis circà annum 1116. vel citiùs vocatur *Ortheren*, & ſic in variis ſubſequentibus. Non eſt autem veroſimile eundem vicum eodem tempore tuliſſe tam diſſimilia nomina.

Eſt autem locus juxtà ſuburbium Antverpienſe in terminis Merxem versùs Auſtruweel dictus *Olmerendeyk* vel *Olmendeyk*, quod nomen adhuc hodie notum eſt. Quidni dicamus hunc locum fuiſſe terminum hujus decimæ dictum *Olmeremuthen*; attento quod Capitulum poſſideat decimas à Santvliet uſque ad hunc locum; & non pateat, quod ullius intermedii loci decimas acquiſierit poſte-

poſteriori tempore. Si hoc verum ſit, decimæ à Santvliet uſque Olmeremuthen diſtinctæ ſunt à decimis ad Antverpiam & ejus ambitum pertinentes. Si autem ſupponatur eſſe eaſdem, debebit terminus *Olmeremuthen* quæri in oppoſita parte versùs meridiem reſpectu Civitatis. Anno 1096.

Dicit inſuper FREDERICUS loco citato, quod HENRICUS IV. Imp. decimas à Santvliet uſque Olmeremuthen ſic diſtinxerit, ut Præpoſitus Capituli haberet quartam partam ejuſdem, & reliquas fratres ſeu Canonici in uſus ſuos acciperent. Diviſio illius Decimæ.

An autem *Godefridus Bullonius* præter hæc alia bona huic Capitulo contulerit non liquet. Interim eâ ratione ſemper habitus fuit primus CAPITULI Antverpienſis FUNDATOR. Baro le Roy *Not. March pag.* 29. dicit id conſtare ex teſtimonio *Anſelmi Gemblacenſis*, qui obiit non, ut ipſe ſcribit, anno 1124., ſed anno 1136. adeoque contemporaneus fuit: in cujus Chronico hæc leguntur. *Canonici Andoverpenſes à Godefrido Bullonio Duce Lotharingiæ, Marchione Andoverpenſi fundati &c.* Verùm hæc quidem leguntur in Chronico Anſelmi vulgato per Autb. Miræum, ſed exprimuntur caracteribus minoribus. Jam autem Miræus in præfatione ad iſtud Chronicum dicit, quod illa quæ minoribus caracteribus exprimuntur *aut Gemblacenſi in Codice domeſtico*, quem antiquiſſimum cenſet, *non reperiri*, *aut ſi qua erant*, *recenti manu eſſe agglutinata.* Hinc teſtimonium iſtud amittit ſuam vim. Traditio Godefridum recognoſcit hujus Capituli Fundatorem.

Interim conſtans traditio Capituli Antverpienſis agnoſcit Godefridum Bullonium ſuum fundatorem, quod indicatur inprimis in Litteris Capituli datis anno 1410., infrà ad illum annum referendis, in quibus Canonici dicunt „ Tradiderunt quippe „ ſeniores noſtri, quod olim regnante in Terra „ ſancta felicis recordationis illuſtriſſimo chriſtia- „ niſſimoque Principe FUNDATOREQUE *noſtro Go-* „ *defrido de Buillon* Hieroſolijmitanorum Rege &c.".

Deinde

Anno 1096. Deinde viſitur in Eccleſia cathedrali feneſtra, in qua repreſentatur Godefridus Bullonius cum hac epigraphe:

GODE. BULLONIUS ANNO MXCVI. CANONICOS ANTVER. INSTITUIT ET EQUITES XII. CREAVIT.

Quam feneſtram *L. Beyerlinck*, *Aub. Miræus*, *F. van de Zype* & *F. Dingens Canonici Antverpienſes anno MDCXVI. poni curârunt*, prout inibi infrà effigies illorum legitur. Sunt autem Viri illi omnes ſcriptis clariſſimi & in hiſtoricis fuerunt verſatiſſimi. Hinc ſatis patet, quod conſtans Capituli traditio hunc GODEFRIDUM recognoſcat fundatorem.

An Capitulum anteà extiterit. Dubitant interim aliqui, num hæc GODEFRIDI dotatio originem dederit Capitulo Antverpienſi, quia dicta dotatio facta eſt *Eccleſiæ S. Michaëlis in uſus Canonicorum inibi ſervientium.* per quæ verba videtur indicari, Canonicos ſubſtitiſſe, dum dotatio fiebat. Et certè dubitandum non eſt, quin anteà in Eccleſia S. Michaëlis fuerit Clerus, per quem divina peragebantur; cum, ut ſuprà vidimus, jam à tempore S. Willibrordi Eccleſia Antverpienſis habuerit Clerum. Clerus autem iſte indubiè habebat bona pro ſuſtentatione, & illa fortè ſunt alodialia iſta bona, ſervi & ancillæ, quæ Capitulum poſt paucos annos poſſediſſe conſtat. Fieri etiam poteſt, quod Clerici iſti dicti fuerint Canonici. Sed licèt hæc verà eſſent, meritò interim GODEFRIDUS reputatur Capituli Fundator propter ampliſſimam dotationem, quæ fundationi æquiparanda eſt, & per quam Capitulum novum ſplendorem obtinuit.

Cum autem tam certò conſtet de hac fundatione ſeu opulenta dotatione, mirum, quod Benedictini S. Mauri, qui nuper in *Hiſt. Litt. de la France tom. VIII.* vitam Godefridi Bullonii ampliorem, quàm

quàm anteà data fuerat, dederunt, nullam illius mentionem fecerint: actio enim eſt Principi illi perquam glorioſa. Anno 1096.

Quantum ad primævum Canonicorum in hoc Capitulo numerum, conſtat fuiſſe Præpoſitum cum duodecim Canonicis præbendatis: ſed numerus hic ſucceſſu temporis varias ſubiit mutationes. Anno ſiquidem 1124. Canonici numerum ſuum terminarunt in octo. Anno 1148. iterum duodecim fuiſſe videntur. Anno 1201. acceſſione unius præbendæ videntur fuiſſe tredecim. Per decretum anni 1240. undecim præbendæ ſectæ ſunt, & pro ſingulo moriente canonico ſubſtituti duo. Anno 1272. annihilatâ Præpoſiturâ erant Decanus & viginti duo Canonici. Tandem anno 1639. erant, ut nunc ſunt, Decanus cum viginti tribus Canonicis. Singulæ mutationes exhibebuntur infrà ad annos, quibus acciderunt. Collatio autem præbendarum fuit & eſt penès ipſum Capitulum, quod aliquando illas contulit per vota, nunc verò per turnarios. Primævus Canonicorū numerus. Collatio præbendarum.

Cæterùm Canonici Antverpienſes, ut Romæ Canonici S. Petri in Vaticano, pileis quotidie utuntur violaceis, qui color eſt Eccleſiæ romanæ. Olim & veſtes ejuſdem coloris geſtarunt, quod veteres picturæ docent, inquit Miræus *Cod. don. pia. cap. 77. in notis.* Veſtitus Canonicorum.

Interim Abbatia Affligemienſis fundari cœperat anno 1086. Vix autem fundata erat, quin Abbatiæ variæ ejuſdem Ordinis longiùs diſſitæ, quæ in his partibus Cellas habebant à ſe dependentes, eas tranſcriberent huic Abbatiæ recenter erectæ. (Cellæ dicebantur minores conventus ſeu Prioratus ab Abbatiis dependentes.) Primus enim Affligemienſis Abbas plures ſimiles Cellas regendas ſuſcepit; Cellam *S. Andreæ* prope Brugas, Cellam in *Bornhem* & Cellam *Fraxinam*, ut refertur apud Sanderum *Chor. Abb. Afflig. cap.* 1. Hinc veroſimile omninò eſt, circà hoc tempus ab eodem Abbate ſuſceptam fuiſſe Cellam D. Mauri Cella D. Mauri tranſcribitur Affligemienſibus.

 ſitam

Anno 1096. ſitam in Burgo Antverpienſi, quæ ab anno 726. fuerat ſub cura Epternacenſium, qui eam tamquam longè nimis diſſitam tranſcripſerint illi Abbatiæ. Hujus monachi eam inhabitarunt uſque ad annum 1290., ut infrà dicetur; unde Cella hæc deinceps dici cœpit *t'Hof van Affligem*. Meritò autem præſumimus transſcriptionem hanc factam fuiſſe inducente GODEFRIDO BULLONIO marchione noſtro, qui cum tota familia profectum Abbatiæ Affligemienſis cordi habebat: vidimus enim ſuprà tam ipſum, quàm matrem ejus ei dona contuliſſe.

Godefridus Bullonius ſumit crucem belli ſacri.

Cum per jam dicta & alia pietatis opera ſe præparaſſet GODEFRIDUS; dum hoc anno publicabatur bellum ſacrum ad liberandam Paleſtinam è poteſtate Saracenorum, inter primos crucem ſumpſit, quod ſignum voti erat. Agitabatur autem Godefridus lentâ febri à tempore obſidionis romanæ; ſed facto voto ſtatim cœpit convaleſcere, & indies magis magiſque reficiebatur; unde & continuò in eo augebatur deſiderium belli ſacri.

Vendit Ducatum Bullonienſem.

Verùm ut liberiùs eo tenderet Godefridus, & ultrà divinum auxilium media etiam humana conquireret, pacem init cum Epiſcopo Virodunenſi; cedit ei Comitatum civitatis epiſcopalis, aliaque loca Eccleſiæ illius confert. Epiſcopus autem & Clerus in recompenſationem tanti doni contulerant ei immenſas ſummas, quas in ſacrum iter impendit Godefridus: ſed cum ſummæ hæ non ſufficerent, alienavit etiam Ducatum Bullonienſem, quem vendidit Epiſcopo Leodienſi pro tribus marcis auri & trecentis marcis argenti.

Quod aliqui in dubium revocant.

Hanc venditionem Ducatûs Bullonienſis, communiter ab hiſtoricis relatam, in dubium revocat Auctor *Dict. hiſt. edit. Par. an. 1759. verbo Godefroi*, ubi aſſeritur Godefridum tantùm fuiſſe adminiſtratorem non proprietarium Bullonii, quod erat dos matris, quæ ei ſupervixit. Inſuper quia

Aucto-

Auctores variant in pretio, & nullus hactenus protulerit litteras venditionem concernentes. Anno 1096.

Diſcedit in Paleſtinam.

Poſt has præparationes Godefridus, magis fidens auxilio divino quàm propriis viribus, deceſſit in autumno anni 1096. cum duobus fratribus *Euſtachio* & *Baldwino*, ducens exercitum Cruce ſignatorum plus quàm ducentorum millium tum Friſonum, Saxonum, Germanorum, Lotharingorum ſeu Belgarum, tum Gallorum; ſecum etiam duxit numerum monachorum, qui diu noctuque in caſtris divina peragerent.

Fit Dux exercitûs non nomine ſed omine.

Iter inſtituit per Hungariam, ubi honorificè à Rege exceptus exercitum duxit versùs Conſtantinopolim. Ibidem autem terminato diſſidio cum perfido Imperatore Alexiò, coadunatiſque cruce ſignatorum copiis, Godefridus etſi non nomine, omine tamen factus eſt Dux univerſi exercitûs Chriſtianorum, ut aſſerit *Will. Tyr. l.* 4. *n.* 22. de eo dicens, *totius exercitus quaſi ſingularis erat columna.* Nec melior aſſumi poterat, cùm in eo elucerent omnes virtutes Chriſtianæ, militares & civiles.

Heroïcæ ejus actiones.

Obſidiò civitatis Nicenæ initium fuit belli ſacri; 1097. Godefridus cum Comite Flandriæ primus eam oppugnavit, & non parum contribuit ad ejus deditionem factam 3. Junii 1097. Progreſſus exercitus Chriſtianorum obſidionem cœpit Antiochiæ, in qua multùm claruit Godefridus noſter. Cum appropinquaret civitati prima heroïcæ actioni occaſio ſe obtulit; cum duodecim ſolùm è ſuis obviam habuit catervam centum quinquaginta turcarum: trepidaſſent alii, intrepidus Godefridus eos aggreditur; cædit triginta, triginta alios captivos ducit, reliqui in fugam acti perierunt in paludinoſis & in adjacente fluvio.

Extraordinaria fortitudo.

Non mirum hoc videbitur, ſi conſideremus quædam fortitudinis ejus acta, relata per contemporaneos: ſcilicet quod, cum tempore obſidionis in ponte Antiocheno obvium habuiſſet

Anno 1097. equitem turcam, ejus corpus unico gladii ictu ſic diviſerit, ut ſuperior pars in terram decideret, alteram auferret equus. Aliâ occaſione corpus alterius turcæ unico ictu ſic in duas partes à capite ſcidit, ut etiam equi ſpinam dorſi læſerit. Quodam die, dum cum aliis Principibus venationi inſiſteret, ſeparatus ab illis in quadam ſylva obvium habuit urſum horrendæ magnitudinis devoraturum hominem ligna colligentem: Godefridus compatiens accurrit liberaturus hominem, urſus relictâ prædâ furorem vertit in Godefridum, cui periculum augebatur dum, læſo mortaliter equo, pedes pugnare cogebatur: intrepidus Godefridus ſiniſtrâ arripit urſum & dexterâ gladium in ventrem agit, ſicque eum trucidat. Ipſe tamen ex hac pugna vulnera tulit, quæ eum duxerunt uſque ad portas mortis. Willelmus Tyrienſis memorabile hoc factum conſervavit. Refert illud etiam Guillielmus Malmesb., tamquam qui id didiciſſet ab oculato teſte, at non urſum ſed leonem fuiſſe dicit.

1098. *Chriſtiani animati per Godefridum obtinent Antiochiam.* Cum obſidio Antiochena per ſex menſes duraſſet, chriſtiani animo fracti, excitati per Godefridum reſumptis viribus victoriam retulerunt, & civitatem expugnârunt 3. Junii 1098. Paucis diebus poſt captam urbem, novum periculum chriſtianos terruit, ita ut viciſſim ab inimicis obſeſſi fugam meditarentur. Godefridus, qui ſub protectione divina intrepidus erat, eloquentiâ ſuâ conabatur retinere timidos. Unicus Comes receſſit, reliqui excitati & reanimati per inventionem ſacræ Lanceæ inimicos fugârunt vigeſimaquintâ ejuſdem menſis, & ſpolia è caſtris retulerunt.

1099. *Jeruſalem primus ingreditur.* Diſpoſitis rebus Antiochiæ, chriſtianorum exercitus proceſſit versùs Jeruſalem, quo pervenit 7. Junii 1099. ita imminutus, ut ſolùm ſupereſſent viginti aut duodecim millia peditum, & ad ſummum mille quingenti equites; cum in civitate dicerentur eſſe quadraginta millia armati. Godefridus locum

locum maximè munitum expugnans viam aperuit, quâ primus ingreſſus eſt urbem, quæ capta fuit 15. Julii ejuſdem anni. Anno 1099.

Fugatis infidelibus, & victoribus prædam quærentibus, pius Godefridus pietatem exequi ſatagens, indutus laneâ veſte exiens cum tribus domeſticis urbem circumit, & devotè viſitat S. Sepulchrum, ibique gratias agit Deo de adimpleto voto.

Pietas ejus in hac victoria.

Octavo poſt ſuperatam Jeruſalem die congregati ſunt Principes ad eligendum Regem; elegerunt autem unanimiter GODEFRIDUM BULLONIUM contranitentem: conſenſit tamen deinceps, ſed regium diadema geſtare noluit, dicens ſibi non convenire geſtare coronam auream in loco, in quo Jeſus Chriſtus geſtaverat coronam ſpineam pro ſalute humani generis. Sic divina providentia ei pro Ducatu, quem pietatis causâ alienaverat, Regnum dedit.

Eligitur Rex Jeruſalem.

Regnum hoc parvum quidem erat, ſubſtitit tamen per annos octoginta octo. Civitates inde dependentes paucæ erant & diſſitæ. Pauco tempore, quo regnabat Godefridus, non tam dilatare regnum quàm conſervare, & utiles leges inſtituere cordi habebat. Occaſio tamen ſeſe obtulit, quæ naſcens hoc regnum formidabile reddebat vicinis. Sultanus Ægypti cum Rege Babyloniæ recepturus Jeroſolimam acceſſit cum exercitu quadringentorum millium peditum & centum millium equitum, Godefridus Rex, indictis precibus ad implorandum auxilium divinum, cum Principibus tendit ad inimicos, & licèt exercitus ejus tantùm contineret quinque millia equitum & quindecim millia peditum, aggreditur innumerabilem iſtam multitudinem, cædit centum millia, reliquos fugat & prædam refert quartâ auguſti, paucis diebus poſtquam electus eſſet in Regem. Poſt hæc Principes vicini pacem cum eo inierunt & tributarios ſe illi dederunt.

Victoria ejus de infidelibus.

Anno 1099. Poſt hanc victoriam plures Principes cruce ſignati domum redierunt. Godefridus autem intendebat bono regimini regni ſui. Et incipiens à pietate fundavit ac dotavit duo Canonicorum Capitula, alterum in Eccleſia S. Sepulchri, alterum in Eccleſia Templi; & monaſterium unum in Valle Joſaphat, in quo inſtituit Monachos; quos ex his regionibus ſecum duxerat, in via diu noctuque divina peragentes. Dein codicem legum ſubditis præſcripſit.

Ejus ibidem piæ fundationes.

1100. Godefridus non annum integrum regnavit; poſt morbum enim quinque ſeptimanarum refectus exeuntium Sacramentis obdormivit in Domino 18. Julii anno 1100. cum Marchionatui Antverpienſi præfuiſſet annis 24. Mors ejus luctuoſa fuit non tantùm chriſtianis, ſed etiam infidelibus. Sepultus fuit in Eccleſia S. Sepulchri. Nullus contemporaneus aut vetuſtus ſcriptor aſſignat annos ætatis ejus; inter recentiores unicus Maimburgius determinat ad quadraginta annos. Quod autem ſenex non fuerit patet ex eo, quod mater ejus vixerit uſque ad annum 1113.

Moritur.

Epitaphium. Plura Epitaphia tamquam ipſi poſita referuntur. Benedictini S. Mauri hoc putant authenticum.

Mirificum ſidus Dux hic recubat Godefridus,
Ægypti terror, Arabum fuga, Perſidis horror.
Rex licèt electus, Rex noluit intitulari,
Nec diademari, ſed ſub Chriſto famulari:
Cui erat cura Sion reddere ſua jura,
Catholiceque ſequi ſacra dogmata juris & æqui:
Totum ſchiſma ſeu" circa ſe juſque fovere. (" teri)
Sic & cum ſuperis potuit diadema mereri.
Militiæ ſpeculum, populo vigor, anchora Cleri.

Scripta ejus. Exſtant hujus Godefridi Regis *Codex conſuetudinum Regni Jeruſalem*, qui diu in Oriente in uſu fuit. *Epiſtola* ab eo ſcripta circà Conſtantinopolim menſe Majo anno 1097. *Epiſtola* ad Urbanum papam ſcripta 11. Septembris 1198. &

Epiſtola

Epiſtola ad Paſchalem papam de victoria relata ſuper infideles 4. Auguſti 1099. Inſuper eſt & alia *Epiſtola* ejus ad Rom. Pontificem de bello ſuo in Paleſtina, quam Valerius Andreas ſuo tempore Ms extitiſſe dicit apud Regulares Tungrenſes. Ita Benedictini S. Mauri *Hiſt. Litt. de la France Tom. VIII.* Anno 1100.

Molanus in Additionibus ad Martyrologium Uſuardi locum dat GODEFRIDO BULLONIO, præclara ipſius facinora & virtutes chriſtiano Principe dignas deſcribens. Aſt, inquit Sollerius *Act. SS. tom. IV. Julii fol.* 5. & 348., honores eccleſiaſticos ipſi legitimè delatos, ut ut eos meritum nonnulli velint, nobis hactenùs compertum non eſt: tametſi notaverit Bollandus, ad S. Waldetrudis Montibus poſt ſummum Altare depictam eſſe imaginem Regis coronati ſpinis cum epigraphe: B. GODEFRIDUS BULLONIUS.

An recenſendus inter Beatos.

Res Eccleſiaſticæ Antverpiæ plurimum paſſæ ſunt poſt obitum GODEFRIDI BULLONII, eminentis benefactoris & promotoris earumdem. Generis enim humani & omnis pietatis hoſtis ægrè ferens, per fundationem Capituli Canonicorum eccleſiam Antverpienſem novum ſplendorem obtinuiſſe, excitavit Principes & potentes, qui temporalia aggrederentur & auferrent; excitavit & angelum ſathanæ, qui pietatem deſtrueret & Clerum jam multiplicatum contemptibilem redderet.

Patitur Eccleſia Antverpienſis.

Mortuo ſiquidem Godefrido, in Ducatu Lotharingiæ & Marchionatu Antverpienſi per HENRICUM Imp. IV. ſuffectus eſt HENRICUS *Comes Limburgenſis* cognatus Godefridi, cui *Euſtachius I.* Comes Bolonienſis Godefridi avus per Gerbergam filiam erat abavus. Is autem ægrè ferens Marchionatum hunc in temporalibus imminutum eſſe per piam prædeceſſoris fundationem, & incitatus à variis pietatis hoſtibus, ſeu quorumdam ſuſurronum oblatratu, Decimam duorum manipulorum ad Antverpiam & ejus ambitum pertinentes 1101.

Henricus Limburgenſis Marchio.

Aufert decimas à Capitulo.

Anno 1101. nentes injuſtè à Capitulo ſurripuit. Nec potuit quâquam ratione induci, ut eam Eccleſiæ reſtitueret; ſed donec Marchionatum tenuit, decimam illam ſibi retinuit. Conſtat hoc ex Epiſtolâ ſucceſſoris ejus, infrà referendâ ad an. 1120.

1106. Godefridus Barbatus Marchio. Henricus hic anno 1106. ob rebellionem privatus eſt Marchionatu, & ei ſuffectus GODEFRIDUS BARBATUS *Comes Lovanienſis*. Hic autem cum Marchionatui præeſſet & dictam Decimam in poteſtate ſua inveniſſet, eam quibuſdam amicis ſuis habendam tradidit, ut ipſemet aſſerit in dicta epiſtola. Quare Canonici apud hunc, ſicut apud prædeceſſorem, non ceſsârunt exhibere querimonias de injuſtitia ſibi illata; ſed etiam apud hunc multis annis fruſtrà.

Hæreſis Tanchelini infecit Antverpienſes. Intereà, dum Capitulum hæc patiebatur in temporalibus, prodiit pejor hoſtis, qui omnem pietatem & ſtatum eccleſiaſticum deſtruere conabatur. Nempè hæreſiarcha *Tanchelinus* vir totus impius & petulans, qui ſacramentariam, adamiticam & alias hæreſes in Belgio diſſeminabat, notanter in diœceſi Ultrajectina, quæ protendebatur in Zelandiam & magnam Flandriæ partem. Hujus nequiſſimi hominis prædicatio tantum malum cauſabat, ut res divinæ contemptibiles fierent eo uſque, ut reputaretur ſanctior, cuicumque eſſet Eccleſia deſpectior. Hæreſiarcha autem hic etiam infecit Antverpienſes.

Quâ occaſione. Occaſionem, quâ faciliùs ſeduxerit Antverpienſes Impoſtor ille, indicat Auctor vitæ S. Norberti, quam Papebrochius refert *Tom. I. Junii* & quam probat in Gallia conſcriptam hoc ſeculo XII. dum adhuc vivebant, qui cum S. Norberto converſati fuerant. In ea hæc deſuper leguntur *Cap. XIII. n.* 79. „Erat ſiquidem & eſt „Antverpiæ locus Oppidum ampliſſimum & „populoſum, in quo unus erat tantùm ſacerdos, „qui curam totius populi ibidem commorantis

„habe-

„ habebat regere ; ſed præ nimia multitudine & „ frequenti negligentia non poterat ; nec credebatur ei, eo quod & ipſe quaſi in conjugio & „ copula carnali neptem ſuam in linea tertia manifeſtè ſociam ſui ſceleris fecerat. Ob hanc cauſam populus ille, quaſi grex ſine paſtore, in „ multis errorum vanitatibus deviavit : unde contigit ut hæreticus quidam &c. " Hanc ſeductionis aſſignat Auctor ille occaſionem, de quâ aliunde nihil habemus. Anno 1106.

In relatis verbis notandum, quod unicus ille Sacerdos curam habebat regere totius populi commorantis in Oppido Antverpienſi. Per hoc autem excluditur opinio illorum, qui putant Sacerdotem illum curam geſſiſſe populi uſque in Santvliet. Credendum potiùs eum ſolum curam geſſiſſe populi commorantis in Oppido & infrà limites ſuburbii, ſuper quo, poſt obtentum Perſonatum eccleſiæ Antverpienſis, ſe extendit juriſdictio Capituli. Quam latè extenſa Parochia Antverpienſis.

Notandum inſuper, quod Auctor dicat : *unus erat tantùm Sacerdos, quì curam totius populi habebat regere.* Quod in fine ejuſdem numeri repetit : *ſacerdotis, qui ſolus erat in eccleſia S. Michaëlis.* Hoc certè crudè accipiendum non eſt, quaſi Antverpiæ præter hunc Sacerdotem alii miniſtri non fuiſſent, qui populo verbum Dei prædicâſſent & alia divina peregiſſent : ſic tamen intelligit Bollandus in Præfatione ad tom. III. Febr. pag. xij. dicens : *Ejus* (hæreſis) *ſeminandæ illa fuit occaſio, quod cum unicus eſſet in urbe ſacerdos, iſque luxuriâ infamis, cives nec frequentabant Eccleſiæ ſacramenta, nec ullos audiebant de rebus divinis ſermones.* Non ſic, inquam, illud accipiendum eſt : ſuprà enim vidimus Antverpiæ Clerum ſubſidiarium fuiſſe tempore S. Willibrordi, id eſt initio ſeculi VIII. ; vidimus dein, ante paucos annos per Godefridum Bullonium fundatum fuiſſe in eccleſia S. Michaëlis Capitulum An unus tantum ſacerdos Antverpiæ. Erat Clerus numeroſus.

duo-

Anno 1106. duodecim Canonicorum cum Præpoſito, quam fundationem dictus Auctor vitæ erroneè refert factam poſt mortem Tanchelini, id eſt poſt annum 1115. Inſuper erant Antverpiæ hoc tempore Benedictini in Cella D. Mauri, qui divina peragebant in Capella S. Walburgis. Extabant etiam Capella *B. Mariæ*, ad quam Capitulum poſt paucos annos transmigravit, Capella *S. Petri* & Capella *S. Martini* in cemeterio S. Michaëlis. Extabant etiam fortè hoc tempore Capella *S. Georgii* & Capella *S. Willibrordi*; quarum origo hactenùs latet. In illis autem Capellis indubiè erant Capellani, qui divina peragebant. Quis igitur credet, quod unicus ſacerdos curam totius populi ſolus gereret, notanter ſi verum ſit, quod idem Auctor aſſerit, nempè quod Antverpia tunc eſſet *Oppidum ampliſſimum & populoſum*.

Sed unus Paſtor. Dicendum igitur, quod unicus quidem hoc tempore eſſet Sacerdos, qui curam ordinariam totius populi gereret, ſeu unus, ut nunc dicimus, Paſtor; qui tamen ſubſidiarios haberet ſubalternam curam gerentes. Idque clariùs explicat Burchardus Epiſ. Cam. in Litteris ſuis datis circà annum 1116. relatis in ejuſdem diplomate anni 1124., quod infrà dabitur, dicens: *Eccleſiam S. Michaelis, quæ eſt Antverpiæ hactenùs unius Perſonæ inveſtitione & parochialis Presbyteri ſervitio fuiſſe contentam.* Duos hìc nominat Burchardus, unum *Presbyterum parochialem*, quem nunc dicimus Plebanum ſeu Paſtorem; & alterum, qui inveſtitus erat *Perſonatu*, quæ dignitas eſt eminens ſuper paſtoralem cum jure ſubſtituendi Presbyteros parochiales.

Sicut hodie Liræ. Nec mirum videri debet, quod illo tempore Antverpiæ, licèt Oppidum eſſet populoſum, unus tantum eſſet Presbyter parochialis ſeu Paſtor: nam ſic poſt hæc res ſtetit per duo ſecula, ſcilicet uſque ad annum 1304., quo primùm duæ ſubalternæ Parochiæ erectæ ſunt, nempè *S. Georgii*

&

& S. *Willibrordi*, & adhuc tunc Eccleſiæ matrici reſervabatur fons baptiſmalis. Sic uſque in hodiernum diem Liræ unus tantùm parochialis Sacerdos curam habet populi totius civitatis & univerſi ſuburbii, quod latiùs patet quàm ſuburbium Antverpienſe. Unus, inquam, non autem ſolus, ſed per ſe & per ſubſidiarios populi curam gerit. Sic itaque res ſe habebat Antverpiæ, dum Tanchelinus populum ſeduxit, ut, ſicut Liræ tantùm unus eſt Sacerdos parochialis & Clerus tamen numeroſus, ſic & Antverpiæ fuerit numeroſus Clerus, licèt unus tantùm haberetur parochialis Sacerdos. Negligentia autem & infamis vita illius Sacerdotis ſeu Paſtoris poteſt causâſſe negligentiam in ſubſidiariis, & ſic occaſionem præbuiſſe ſeductioni. Anno 1106.

Nunc videndum quis & qualis fuerit impoſtor ille, quæ ejus doctrina, qui mores. Quis Tanchelinus.

Nomen illi TANKELMUS: ſic enim clarè ſcriptum legi in originali diplomate Burchardi Epiſcopi Cameracenſis dato anno 1124. quod infrà ad illum annum dabitur. Inde Abaïlardus gallus & contemporaneus gallico modo, quibus qu ſonat k, ſcripſit *Tanquelmus*. Sic & alii aliàs nomen hoc retorquerunt mutatis quibuſdam litteris, incuriâ fortè librariorum, ut *Tanchelmus*, *Tandemus*, *Tandericus*, *Landelinus*, *Tauchelinus*. Hodie communiter dicitur TANCHELINUS mutatis *k* in *ch* & *m* in *in*, quæ ſunt tranſmutationes obviæ. Nomen.

Verſabatur ut plurimum in diœceſi Ultrajectina & in ea cœpit venenum ſuum ſpargere: unde conjicere poſſumus eum inde fuiſſe oriundum. Diœceſis autem Ultrajectina hoc tempore protendebatur in Zelandiam & magnam Flandriæ partem. Patria.

Erat Laïcus miræ ſubtilitatis & multis diſertis Clericis in ſermone acutior; unde & ſeductio ejus faciliùs ſucceſſum habuit. Sed erat luxurioſus, ſuperbus & ſeditioſus. Laïcus.

Ea

Anno 1106. Doctrina.

Ea tantùm prædicabat, quæ populo placitura ſciebat. Decimas Eccleſiæ miniſtris dare prohibuit, quod facile volentibus perſuaſit: in eo autem hæreſiarchæ ſubſequentium ſeculorum eum imitati ſunt. Omnem Eccleſiæ hierarchiam evertens docebat miniſtros ejus nil differre à laïcis. Penès ſe & ſuos tantùm eſſe Eccleſiam aſſerebat. Ex meritis & ſanctitate miniſtrorum ſacramentis accedere virtutem; nihil eſſe, quod ſacerdotes in menſa Domini peragerent; & ſic populum dehortabatur à perceptione corporis & ſanguinis Domini; Chriſtum quoque dividebat. Obſcœna, ad quæ plebs facilè prolabitur, docebat exemplo, & aſſerebat Eccleſias Dei lupanaria eſſe reputanda.

Modus prædicandi & præſumptio.

Primò cœpit venenum ſpargere in maritimis locis inter rudes & infirmioris fidei, idque in tenebris & privatis conventiculis; & per mulierculas, quibus abutebatur, cœpit errores divulgare, & per eas ſenſim conjuges ſeduxit. Cum autem ſic plures pervertiſſet, cœpit publicè prædicare; & tandem in patentibus campis ſermonem facturus procedebat quaſi Rex ſtipatus ſatellitibus vexillum & gladium præferentibus; & cum populus eum audiret ut angelum Dei, eo uſque præſumptio ejus excrevit, ut ſe æque ac Chriſtum Deum diceret, & balnei ſui aquas credulo populo diſtribueret profuturas animæ & corpori. Tandem coram populo proferens ſtatuam B. Mariæ, ſacrilego modo ſe matrimonium cum eâ inire fingens, & utrimque truncum ponens, alterum pro viris alterum pro feminis, quo ad æmulationem inferrent ad celebrandas nuptias, immenſas ſummas collegit. Demùm cum omnia ſibi bene cedere cerneret, violentè cœpit procedere; & per tria ſequentium ſe millia in reſiſtentes ſibi cædibus ſeviebat. Unde intolerabilis factus, cum ubique pelleretur, pietatem mentitus & monachalem habitum indutus tendit Romam: unde reverſus Coloniæ cum duobus ſociis carceri mancipatus

eſt,

eſt, & inde elapſus à zeloſo percuſſus interiit. Patebunt hæc ex infrà referendis. Anno 1106.

Non abſimilem hæreſim dein circà annum 1146. excitavit in Brittannia quidam *Eunus*, qui convictus & condemnatus fuit in Synodo Remenſi 1148. ut refertur in *Chron. Sigeberti per Miræum pag.* 205. & 206. Et inde indubiè in Concilio Rotomagenſi an. 1147. cap. 15. ſtatutum eſt: „ ut nullus... qualibet occaſione ſumat populum „ docere, niſi perſona probata ab Epiſcopo, „ propter multimodos & deteſtandos errores, quos „ docent imperiti." Inſuper Epoſii in diœceſi Trevirenſi detecti fuerunt hæretici, qui ſimiles errores docebant in ſecretis conventiculis, qui difficulter eradicari potuerunt, ut refert *Dict. Hiſt. Amſt.* 1740. *verbo* Tanchelin.

Hæreſis ſimilis in Britannia & alibi.

Quatuor coævos indicat Papebrochius loco citato, qui de Tanchelino loquuntur: Clerum Ultrajectinum ſcribentem deſuper circà annum 1112. ad Epiſcopum Colonienſem; Abaïlardum, qui Pariſiis & circà agebat & obiit anno 1142.; Auctorem vitæ S. Norberti, qui putatur ſcripſiſſe Præmonſtrati circà annum 1160. & Robertum de Monte, qui agebat in Normandia & obiit anno 1186.

1112. Coævi agentes de Tanchelino.

Clerus itaque Ultrajectinus, cum intellexiſſet *Tanchelinum* cum duobus ſectatoribus, *Manaſſe* fabro ferrario & *Everwachero* presbytero apoſtatâ detentum eſſe per Epiſcopum Colonienſem, ſcribit ad eum Epiſtolam, in qua errores ejus & ſcelera, etiam ſectatorum ejus referuntur, rogantes nè qua ratione è manibus ejus elabantur, ſed pro merito puniantur. Epiſtolam illam integram ſubjungo, prout eam refert Papebrochius *Act. S. Norberti pag.* 845.

„ DOMINO ſuo & venerabili Patri FREDE„ RICO. Sanctæ Colonienſis Eccleſiæ Archiepiſ„ copo, humilis Trajectensis Ecclesia, ex „ ſincero affectu, devotiſſimas orationes, cum de„ bito ſubjectionis obſequio.

Clerus ultraj. ſcribit ad Ep. Colon. de Tanchelino.

„ 1. Gra-

Anno 1112.

„ 1. Gratias reverende pater ſanctitati veſtræ „ agimus, quia paternâ miſeratione vicem noſtram „ doluiſtis & antechriſti noſtri, perturbatoris & „ blaſphematoris Eccleſiæ Chriſti, curſum & „ impetum retardâſtis.

Ejus errores.

„ 2. Qui aperuit in cœlum os ſuum & contrà „ Sacramenta Eccleſiæ hæreſim ſuſcitare auſus eſt, „ jam olim ſanctorum Patrum ſententiis jugula- „ tam.

„ 3. Hic enim ſpiritu ſuperbiæ (quæ radix eſt „ omnis hæreſeos & apoſtaſiæ) intumeſcens nihil „ Papam, nihil Epiſcopos, nihil Archiepiſcopos, „ nihil Presbyteros aut Clericos aſſeruit.

„ 4. Columnaſque Eccleſiæ Dei concutiens, „ etiam fidei noſtræ petram, id eſt, Chriſtum „ dividere auſus eſt.

„ 5. Penès ſe & ſuos tantùm Eccleſiam eſſe „ contendebat. Eccleſiam, quam Chriſtus à Patre „ accepit gentes in hæreditatem ſuam, & poſſeſſio- „ nem ſuam terminos terræ, hic ad ſolos Tanchel- „ miſtas contrahere conatus eſt.

Modus quo divulgavit errores.

„ Jam verò, ſancte Pater, afflictionis noſtræ „ querelas ſuſcipite; & præcurſorem antichriſti, „ eodem ſchemate, eiſdem veſtigiis, quibus ille „ ſecuturus eſt, præcurrentem advertite.

„ 6. In maritimis primùm locis rudi populo „ & infirmioris fidei venenum perfidiæ ſuæ miſ- „ cuit.

„ 7. Et per matronas & mulierculas (quarum „ familiaritatibus & ſecretâ collocutione & privato „ accubitu libentiſſimè utebatur) errores ſuos pau- „ latim ſpargere cœpit: deinde per (has) conjuges „ etiam ipſos perfidiæ ſuæ laqueis irretivit.

„ Nec jam in tenebris vel cubiculis, ſed ſuper „ tecta prædicare incipiens, in patentibus campis „ latè circumfuſæ multitudini ſermocinabatur, & „ veluti Rex concionaturus ad populum, ſtipatus „ ſatellitibus vexillum & gladium præferentibus, „ velut cum inſignibus regalibus ſermonem facturus

„ pro-

„ procedere ſolebat. Audiebat illum populus ſe- Anno
„ ductus ſicut angelum Dei. 1112.

„ 9. Imo verè ipſe angelus ſathanæ declamabat, Errores.
„ Eccleſias Dei lupanaria eſſe reputanda.

„ 10. Nihil eſſe, quod ſacerdotum officio in
„ menſa dominica conficeretur; pollutiones non
„ Sacramenta nominanda.

„ 11. Ex meritis & ſanctitate miniſtrorum vir-
„ tutem Sacramentis accedere : cum ex verbis
„ S. Auguſtini : *Dominus Chriſtus traditorem ſuum* In Pſ. 10.
„ *(quem diabolum nominavit, qui ante traditionem*
„ *Domini nec loculis dominicis fidem potuit exhibere)*
„ *cum cæteris Apoſtolos ad prædicandum regnum*
„ *cælorum miſerit ; ut demonſtraret dona Dei*
„ *pervenire ad eos, qui cum fide accipiunt ;*
„ *etiamſi talis ſit, per quem accipiunt, qualis*
„ *Judas fuit.* Item Auguſtinus : *ſi in percipiendis* Ibidem.
„ *Sacramentis dantis & accipientis eſt meritum*
„ *conſiderandum ; ſit dantis Dei & accipientis*
„ *conſcientia mea. Hæc enim duo non mihi in-*
„ *certa ſunt ; bonitas illius & fides mea. Quid*
„ *te interponis, de quo certum nihil ſcire poſſum ?*
„ *ſine me dicere ; In Domino confido. Nam in te*
„ *ſi confido, unde confido, ſi nihil mali hâc nocte*
„ *feciſti ?*

„ 12. Contrà has & hujuſmodi ſententias ſacrile-
„ gus ille declamans dehortabatur populum à per-
„ ceptione ſacramenti Corporis & Sanguinis Domi-
„ ni ; prohibens etiam decimas Miniſtris Eccleſiæ
„ exhiberi ; quod facilè volentibus perſuaſit : quia
„ ea tantùm prædicabat, quæ vel novitate ſui vel
„ magnâ voluntate populi placitura ſciebat.

„ 13. Talibus nequitiæ ſucceſſibus miſero ho- Se Deum
„ mini tanta ſceleris acceſſit audacia, ut etiam dicit.
„ ſe Deum diceret ; aſſerens, quia, ſi Chriſtus
„ ideo Deus eſt, quia ſpiritum ſanctum habuiſſet ;
„ ſe non inferiùs nec diſſimiliùs Deum, quia ple-
„ nitudinem ſpiritûs ſancti accepiſſet. In qua præ-
„ ſumptione adeò illuſit, ut quidam in eo divini-

„ tatem

Anno 1112. „ tatem venerarentur, in tantum ut balnei ſui „ aquam potandam ſtultiſſimo populo pro bene„ dictione divideret, velut ſacratius & efficacius „ ſacramentum profuturum ſaluti corporis & „ animæ.

S. Mariam ſibi deſponſare fingit.

„ 14. Quodam etiam tempore, dum novum „ genus quæſtûs novâ adinventione machinare„ tur, quandam imaginem S. Mariæ (ſtupet ani„ mus dicere) in medium multitudinis juſſit afferri; „ & accedens, manumque imaginis manu contin„ gens, ſub typo illius S. Mariam ſibi deſponſa„ vit. Sacramentum & ſolennia illa deſpenſationis „ verba, ut vulgo fieri ſolet, univerſa ſacrilego ore „ proferens; en, inquit, dilectiſſimi, virginem Ma„ riam mihi deſponſavi: vos ſponſalia & ſumptus „ ad nuptias exhibete. Exponens duos loculos, „ unum à dextris, alium à ſiniſtris imaginis; huc, „ inquit, offerant viri, illuc mulieres: viderim „ nunc, utrius ſexûs major circà me & ſponſam „ meam ferveat caritas. Et ecce cum muneribus „ & oblationibus certatim ruit *inſaniſſimus* popu„ lus. Mulieres inaures & monilia jaciebant; & „ ſic non ſine immaniſſimo ſacrilegio infinitam „ contraxit pecuniam.

Scelera diſcipulorum ejus.

„ 15. Sed & faber ferrarius quidam, nomine „ *Manaſſes*, quem cum ſcelerato homine etiam „ à Vobis detentum audivimus, exemplo nequiſſi„ mi magiſtri fraternitatem quandam, quam „ *Gilda* vulgò appellant, inſtituerat; in qua „ duodecim viros in figura duodecim Apoſtolo„ rum, & unam tantùm feminam in figura B. „ Mariæ conſtituit: quæ, ut ferunt, per ſingulos „ illorum duodecim circumducebatur, & ad „ injuriam ſacro-ſanctæ Virginis nefariâ turpitu„ dine, quaſi ad confirmationem fraternitatis, „ ſingulis miſcebatur.

Gildæ nomen quibus detur.

GILDÆ nomine olim veniebant omnes Confraternitates tam piæ quam profanæ. Hinc in hac civitate omnes antiquæ Confraternitates piæ inſti-

inſtitutæ ſunt ſub nomine *Gildæ* ut infrà patebit. Hodie communiter nomen illud non datur niſi confraternitatibus profanis, præcipuè illis quæ ſe exercent in armis, & olim ſerviebant pro defenſione Regis & Patriæ, quod jam exolevit. Vide Van Eſpen *Juſ. eccl. P. II. tit.* 37. Anno 1112.

„ 16. Presbyter etiam quidam *Everwacherus* „ nomine, à ſacerdotali dignitate apoſtatans, ne„ fandi hominis magiſterio adhæſit: qui & illum „ Romam proſecutus, maritima loca, quartam „ ſcilicet partem Epiſcopatûs noſtri, Teruwa„ nenſi Epiſcopio Regni Franciæ, auctoritate „ Domini Papæ, atterminare conatus eſt: quem „ etiam à ſanctitate veſtrâ detentum audivimus „ & gaviſi ſumus. Idem Presbyter per omnia „ Tanchelmi aſſertor, decimas fratrum Eccleſiæ „ S. Petri invaſit; Presbyterum ipſorum armatâ „ manu ab altari & eccleſia ejecit. Scelera Everwacheri.

„ 17. Infinita ſunt, Domine, illorum ſcelera, „ quorum plurima pro epiſtolari brevitate ſup„ preſſimus. Hoc ad ſummam dixiſſe ſufficiat, „ res divinas in tantum veniſſe contemptum, ut „ reputetur ſanctior, cuicumque fuerit eccleſia „ deſpectior. Deſpectus Eccleſiarum.

„ 18. Quia igitur, ſancte Pater, divina miſe„ cordia Eccleſiam ſuam diutiùs periclitari non „ ſuſtinens, illos in manus veſtras tradidit; ro„ gamus & obſecramus in Domino, ne quâ „ ratione de manibus veſtris elabantur. Qui ſi „ elapſi fuerint, denuntiamus Vobis & ſine omni „ ambiguitate atteſtamur, futuram irrecuperabi„ lem Eccleſiæ noſtræ jacturam & infinitarum „ perniciem animarum. Verè, Domine, graviſſi„ mum caſum eccleſia noſtra ſuſtinebit, ſi quo„ modo evadere illos contigerit, quorum ſermo „ juxtà Apoſtolum, ut cancer ſerpit & ſimpli„ cium animos blandiendo perimit. Nunc quo„ que ob hoc ipſum Antichriſtus noſter mona„ chum mentitas extemplo (l. exemplo) capitis „ illius, Rogant, nè Epiſcopus eos dimittat.

Anno 1112. „ illius, cujus membrum factus eſt, in angelum
„ lucis ſe transfiguravit, ut eo ſecuriùs illuderet,
„ quo verſutiùs ſpeciem ſanctitatis ſimulatè ſump-
„ ſiſſet. Rogamus, Domine, ut juſtâ indig-
„ natione moveamini adversùs deteſtandos diſſi-
„ patores Eccleſiæ. Auguſtinus: *Quando vult*
„ *Deus concitare Poteſtates adversùs ſchiſmaticos,*
„ *adversùs hæreticos, adversùs diſſipatores Eccle-*
„ *ſiæ, adversùs exſufflatores Chriſti, non miren-*
„ *tur, quia Deus concitat, ut à Sara verberetur*
„ *Agar. Cognoſcat ſe Agar; ponat cervicem,*
„ *revertatur ad Dominam ſuam. Quid mirantur,*
„ *quia commoventur Poteſtates chriſtianæ adversùs*
„ *deteſtandos diſſipatores Eccleſiæ? Ergo non*
„ *moverentur? Et quomodo redderent rationem*
„ *de imperio ſuo? Pertinet hoc ad Reges chriſtia-*
„ *nos, ut temporibus ſuis pacatam velint matrem*
„ *ſuam Eccleſiam, unde ſpiritualiter nati ſunt.*
„ *Legimus Daniëlis viſiones & geſta prophetica;*
„ *tres pueri in igne laudaverunt Deum. Miratus*
„ *eſt Rex Nabuchodonoſor laudantes Deum pue-*
„ *ros & circà eos ignem innocentem: & cum*
„ *miratus eſſet ille, qui ſtatuam ſuam erexerat,*
„ *& ad eam adorandam omnes coegerat; tamen*
„ *laudibus puerorum commotus, ubi vidit ma-*
„ *jeſtatem Dei præſentis in igne, ait: & ego*
„ *ponam decretum omnibus tribubus & linguis*
„ *in omni terra; quicumque dixerint blaſphe-*
„ *miam in Deum Sidrach, Miſac & Abdenago*
„ *in interitum erunt & domus eorum in perdi-*
„ *tionem. Si Nabuchodonoſor laudavit & præ-*
„ *dicavit & gloriam dedit Deo, ut decretum*
„ *mitteret per regnum ſuum; quomodo Reges*
„ *chriſtiani non moveantur adversùs blaſphema-*
„ *tores Eccleſiæ Chriſti?* Hæc Auguſtinus. Proin-
„ de obſecramus in Domino, quatenùs de
„ his Sanctitas veſtra faciat, ut Eccleſiæ
„ noſtræ jam diu periclitanti ſubveniendo con-
„ ſulatis."

Tract. II. in Joan.

Notan-

Notandum, epiſtolam hanc per Clerum Ultrajectinum ſcriptam eſſe ad Epiſcopum Colonienſem, dum ille Tanchelinum cum duobus diſcipulis detinebat in carcere; adeoque ad informandum Epiſcopum circà eorum exceſſus, ut tantò accuratiùs eos retineret & pro merito puniret. Hinc Clerus Ultrajectenſis, licèt dicat, ſe plura ſupprimere pro brevitate, certè non omiſit graviora, quæ conducere potuiſſent ad dictum intentum. Anno 1112. Notanda.

Deinde omnia crimina Tanchelini & ſectatorum relata in hac epiſtola referuntur tamquam peracta in diœceſi Ultrajectina, quæ protendebatur in Zelandiam & magnam Flandriæ partem.

Notandum ſecundò, quod, quando hæc Epiſtola ſcripta eſt, ſeu quando Tanchelinus cum ſociis Coloniæ in carcere detinebatur, tunc Norbertus, qui dein Præmonſtratenſes fundavit, ageret in Aula Epiſcopi Colonienſis. Hinc præſumendum, quod Norbertus tunc noverit Tanchelinum ejuſque errores & ſcelera. Sed parum hæc tunc curabat Norbertus, cui mundana magis quàm eccleſiaſtica cordi erant; ut infrà dicetur. S. Norbertus agebat hoc tempore Coloniæ,

Notandum denique Tanchelinum prohibuiſſe exhibere decimas miniſtris eccleſiæ, non autem prohibuiſſe eas exhibere laicis; adeoque id prohibebat in odium eccleſiæ & eccleſiaſticorum, non autem in commodum aut levamen colonorum aut proprietariorum. Ipſis enim planè indifferens erat, num penderent decimas eccleſiaſticis, num laïcis. Decimæ redduntur odibiles.

Interim hæc Tanchelini doctrina in cauſâ fuit, quare Capitulum Antverpienſe hoc tempore tam multa paſſum ſit in decimis, quod infrà patebit. Ab eo tempore cœperunt decimæ odibiles reddi, non quia ſolvebantur, ſed quia jam inde tunc multæ percipiebantur ab eccleſiaſticis. Eccleſiaſtici ab eo tempore multas percipiebant decimas, quia Fundatores, dum eccleſias aut monaſteria erige- Quare.

Anno 1112. bant aut dotabant, conabantur eis procurare bona, quæ facilioris directionis erant; nè nempè eccleſiaſtici multum diſtraherentur aut impedirentur in functionibus ſuis. Tunc autem nulla bona facilioris directionis erant quàm decimæ: omnis enim labor conſiſtebat in eo, quod ſemel in anno ſuo tempore levarentur; cum alia quæcumque bona in directione multum laboris & diſtractionis exigerent. Hinc fundatores pro firmandis fundationibus ſuis decimas dabant, ſi habebant; ſi non habebant, conabantur acquirere, ut facilioris directionis bona procurarent eccleſiaſticis: & propter eandem rationem deinceps eccleſiaſtici decimas potiùs quàm alia bona emerunt. Inde eccleſiaſtici hodie multas poſſident decimas.

Etiam hodie. Interim decimæ hodieque ſunt odibiles, & coloni ſibi perſuaſum habent, ſe pro decimatoribus laborare, quin & ſe illis dare decimas: cum tamen nullus hodie propriè det decimas, nam decimatores tollunt quod ſuum eſt, non quod colonorum eſt. Tollunt, inquam, quod ſuum eſt vi juris, quod habent ex dono eorum, qui jus ad illas habebant, aut quod habent titulo emptionis. Et quod coloni non laborent pro decimatoribus nec illis dent decimas patet ex eo, quod dum colonus e. g. conducit agrum annuè quingentis florenis, deberet ut minus annuè dare quingentos quinquaginta, ſi fundus non deberet decimas; adeoque retinet in ſe annuè quinquaginta flo., qui ſunt valor decimarum: conſequenter non habet quod conqueratur de onere decimarum.

Similiter nec proprietarius gravatur per decimas: quia dum v. g. emit fundum decem millibus florenorum, daret ut minus undecim millia ſi fundus gravatus non eſſet onere decimarum; conſequenter retinet in ſe mille florenos pro onere illarum. Nullus enim emptor offert pretium pro agro,

agro, quin priùs conſideret omnia onera, quibus gravatus eſt, ſive relevii ſive cenſuum ſive decimarum &c., & deductis illis offert pretium, quanti ager ſibi valet. Conſequenter nec colonus nec proprietarius dant decimas, ſed ſolus dedit primus donator aut venditor. Nec habent quod conquerantur de onere iſto, quia tum in conductione tum in emptione deductum eſt illud onus, cujus valorem retinent in ſe: & decimatores tollunt quod ſuum eſt, non coloni aut proprietarii. Anno 1112.

Cæterum Hereſiarchæ Tanchelini errorem circà decimas poſt duo ſecula renovavit Joannes Wiclef & hunc ſecuti ſunt alii.

De Tanchelino ſcribit Abaïlardus.

Relata Tanchelini facinora tam turbulenta & impudentia latere non poterant extraneos. Hinc Abaïlardus contemporaneus Pariſiis agens de eo mentionem facit, dicitque: „Tanquelmus quidam laïcus nuper in Flandria... in tantam ſe „erexit dementiam, ut ſe Dei filium vocitari „atque decantari, & à ſeducto populo (ut dicitur) templum ſibi ædificari faceret." Per hoc autem aggravantur ea, quæ Clerus Ultrajectinus retulit ſuprà *n.* 13.

Item Auctor vitæ S. Norberti.

Auctor Vitæ S. Norberti relatæ *Act. SS.*, qui etiam ſcripſit in Gallia & ſeriùs, hæc de eo refert cap. 13. n. 79.: „Contigit ut hæreticus quidam „miræ ſuptilitatis & verſutiæ, ſeductor Tanchelinus nomine, ibi adveniens in eadem „gente ſuæ ſeductionis locum inveniret. Erat „omnium hominum ſceleratiſſimus & Dei & „omnium ſacramentorum ejus inimicus, & totius „religionis & chriſtianæ fidei contrarius; in tantum ut obſequium Epiſcoporum & ſacerdotum „nihil eſſe diceret; & ſacro-ſancti corporis & ſanguinis Domini noſtri Jeſu Chriſti perceptionem „ad ſalutem perpetuam prodeſſe denegaret (*vide* „*ſuprà n.* 12.) & populum illum in eundem „errorem induceret.

 „Cre-

Anno 1112. „Credebant ei & ſequebantur eum circiter „tria millia pugnatorum; nec erat Dux aut „Epiſcopus vel quilibet Princeps, qui auderet „ei reſiſtere vel occurrere; nec ante eum, niſi „ſectam ejus ſequeretur, apparere. Cum pretioſo „apparatu in veſtibus deauratis, triplici funi- „culo crinibus intortis & auriphrygii ligamine „triplicatis incedebat (*vide ſuprà n.* 8.) & „verbis perſuaſibilibus magniſque conviviorum „apparatibus benevolentiam eorum, ad ſedu- „cendum eos, exhauriebat. (*Vide ſuprà n.* „14.)

„Res mira & ſtupenda! balneum ſuum bibe- „bant & reliquiarum loco aſportantes recundebant. „(*Vide ſuprà n.* 13.)

„Et cum filias in matrum præſentia, ſpon- „ſaſque maritis videntibus corrumperet, opus „ſpirituale eſſe aſſerebat, in tantum ut infelicem „ſe diceret, quæ huic conjunctioni nefariæ miſ- „ceri non meruiſſet." (*Vide ſuprà n.* 7.) Hæc Auctor Vitæ S. Norberti.

Item Robertus de Monte. Robertus de Monte in *Cont. Chron. Sigeberti ad an.* 1124. eadem ferè refert quæ Vita: hoc autem ſpeciale habet, quod referat Tanchelinum fuiſſe „nimiæ ſuptilitatis, cum tamen eſſet lai- „cus, ſed multis etiam diſertis Clericis in ſer- „mone acutior" quodque per trium ſequentium ſe millia „in reſiſtentes ſibi cædibus ſæviebat." (*Vide ſuprà n.* 8.)

Graviora hæc *Tanchelini* crimina, relata per Auctores Gallos, qui feriùs ſcripſerunt, ignota certè fuerunt Clero Ultrajectino: ſi enim ea ſciviſſent, indubiè notaſſent in epiſtola ſua ad Epiſcopum Colonienſem; cum ea plurimùm ad propoſitum conduxiſſent. Adeoque dicendum foret, ea patrata fuiſſe poſt ſcriptam epiſtolam; conſequenter dum monachali habitu indutus pietatem mentiebatur & poſt detentionem ejus in carcere; id autem veroſimile non eſt, cum

tunc proſcriptus eſſet, & ubique quæreretur ad carceres. Fortè fama eundo crevit. Anno 1112.

An autem Tanchelinus hìc Antverpiæ ſic impudicum & ſeditioſum ſeſe exhibuerit, certis monumentis non docetur. Interim diplomata HILDOLPHI *Præpoſiti Capituli* Antverpienſis ac *Burchardi* Epiſc. Cam. data anno 1124. (infrà ad illum annum referenda) per quæ S. Norberto traditur Eccleſia S. Michaëlis & ratio advocationis ejus narratur, nihil deſuper indicant. In priori hæc tantum leguntur: *Cum in diebus noſtris quidam* Tanchelinus *nomine in partibus noſtris adveniſſet, & venenoſo ſermone à fide & à ſacramentis eccleſiæ plurimos avertiſſet.* In poſteriori verò: *Nam eos hæreſiarchæ* Tankelmi *venenoſus ſermo infecerat.* Hæc ſolùm dicunt illi, quorum maximè intererat, & qui præſentes fuerant, notanter Hildolphus Præpoſitus & Canonici, qui dicunt id factum *ſuis diebus*; unde hìc peracta ipſos latere non poterant. Hinc conjicere poſſemus Tanchelini hæreſim hìc non niſi occultè & fortè à longè inſinuatam fuiſſe: dicitur enim tantùm adveniſſe *in partibus noſtris.* Dicitur venenoſo ſermone Antverpienſes infeciſſe & plurimos avertiſſe *à fide & Eccleſiæ ſacramentis*, nullâ factâ mentione de nefandis moribus, per quos populus facillimè & pernitioſiſſimè ſeducitur & à quibus difficillimè reducitur. Et ſic credi poteſt Tanchelinum non niſi in Diœceſi Ultrajectina omnia iſta abſurda & tumultuoſa patraſſe, unde propterea proſcriptus fuerit, & dein ubicumque quæſitus ad carceres.

Quid Tanchelinus Antverpiæ fecerit.

Hoc itaque certum habemus, quod Antverpienſes per Tanchelinum infecti ſint & à fide & ſacramentis averſi: ad hoc autem occaſionem dediſſe poteſt negligentia ſacerdotis parochialis ſeu Paſtoris principalis.

Interim putat Papebrochius *Tanchelinum* Antverpienſes ſeduxiſſe intrà octo primos ſeculi hujus annos; & non credit eum Antverpiæ prædicâſſe

Et quo tempore.

Anno 1112. ultrà annum MCVIII. vel IX., cum in Vita S. Norberti nulla fiat mentio habitûs monaſtici ab eo aſſumpti. *Act. S. Norb. pag.* 846. *n.* 7. & 8. Miræus in *Chron. Belg.* non niſi ad an. MCXI. ejus mentionem facit dicens : „ Tan„chelinus hæreſim ſuam ſacramentariam apud „ Belgas ſpargit."

Evadit è carcere. Licèt autem Clerus Ultrajectenſis tam energicam ſcripſiſſet epiſtolam ad Epiſcopum Colonienſem, nè quâ ratione evaderet Tanchelinus, & ut cum duobus diſcipulis pro merito puniretur : invenit tamen verſipellis iſte modum evadendi; ſed non conſtat, an evaſerit ante receptam epiſtolam, an deinceps. Perſeveravit autem deinceps errores ſuos ſpargere ; ſed indubiè occultè, cum jam proſcriptus eſſet & ubique quæreretur ad carceres.

1113. Brugis pellitur. Anno decimo tertio agebat in parte Flandriæ, quæ ſuberat Epiſcopatui Ultrajectino; & Brugis detectus & ejectus eſt, ut refert Meyerus *Annal. Flandriæ*, qui hæc deſuper ſcribit : *Tanchelinus hæreticus habitu monaſtico falſo glorians damnatus anathemate ab ſacerdotio populoque Brugenſi urbe ejicitur.*

1114. S. Præputium Antverpiam allatum. Intereà dum Eccleſia Antverpienſis miſerè agitabatur per hæreſim Tanchelinianam, per quam ſacramentum Corporis Chriſti contemptui exponebatur, miſericors Deus, ad excitandum & firmandum civium animos in recta fide, procuravit eidem theſaurum ſacratiſſimum, partem nempè pelliculæ præciſæ de Corpore Chriſti in Circumciſione, conquiſitam in Paleſtina & approbatam per *Godefridi Bullonii* Marchionis noſtri & primi Regis Jeroſolymorum Capellanum, qui, (ut habet Teſtimonium Capituli Antv. anni 1410. infrà referendum) factus eſt Epiſcopus Jeroſolimitanus, aut (ut olim in Eccleſia B. M. metricè legebatur, quod metrum integrum refert Papebr. *Annal. Mss.*) Præſul *Bethel*, quod

Pape-

Papebrochius interpretatur *Bethlem.* Epiſcopatus autem Bethleem erectus eſt per *Balduinum* Regem fratrem *Godefridi Bullonii* anno 1110., & primus in eo Epiſcopus fuit *Aſchetinus* Cantor eccleſiæ Jeroſolimitanæ, ut conſtat ex diplomate Balduini deſuper confecto, quod refertur *Dipl. Belg. tom. III. p. II. cap.* 34.

Anno 1114.

Per Arnoldum Heerbrant.

Itaque dictus qualiſcumque loci Epiſcopus, priuſquam morte præveniretur, ſacratiſſimum illum theſaurum, ut rem tam ſacram indignis infidelibus ſubſtaheret, tradidit & Antverpiam deferendum commendavit Capellano ſuo D. *Arnoldo Heerbrant*, qui etiam erat Capellanus Capituli Antverpienſis. Is ſacrum Præputium attulit, ſed quo preciſè anno non liquet. Plura Chronica Mss. notant illud allatum an. 1112. Chron. Ms. citatum per Papeb. aſſerit, quod Rex Balduinus, fratris ſui mandatum impleturus, cuidam Capellano ſuo tradiderit eo anno ſacrum Præputium. Roſweydus autem *Hiſt. eccl. Belg.* Antverpiam allatum aſſerit anno 1114.

Receptum & repoſitum in Eccl. S. Michaëlis.

Allatum itaque ſacrum Præputium, gratanter atque ſolemniter à Clero & populo receptum, repoſitum eſt in collegiata & parochiali Eccleſia S. Michaëli ſacra, in qua hodie Præmonſtratenſes ſub eodem nomine.

Tanchelinistæ occultant Corpus Dñi.

Præſentia autem tanti pignoris & ſolemnitas, cum qua receptum erat, ſic animos Antverpienſium excitavit, ut credi poſſit, eos cepiſſe perquirere Tanchelinistas & quæſiviſſe ad pœnas eos, qui Corpus Domini contemptui habuerant: indeque illos Corpus Domini, (ut refertur in Vita S. Norberti,) occultaſſe in ciſtis & foraminibus, nè ſcilicet detegerentur & punirentur; eoſque illud demùm S. Norberto indulgentiam prædicanti retuliſſe venerationi reſtituendum.

Cultus S. Præputii.

Cæterum S. Præputium ab hoc tempore in hac civitate in ſumma veneratione fuit, uſque dum ſeculo XVI. per Iconomachos ſublatum eſt.

Anno 1114. Nec tunc quidem cultus ejus ceſſavit, ſed perſeveravit uſque in hodiernum diem: ampliſſima enim Capella cum eleganti marmoreo Altari ei dicata eſt in Cathedrali; confraternitas ſub titulo Circumciſionis inibi perſeverat inter primores tum Cleri tum Populi, ſicut & generalis Proceſſio quotannis in feſto SS. Trinitatis. De hoc autem ſacro Theſauro plura infrà ad an. 1410.

1115. Tanchelinus occiditur. Meyerus refert Tanchelinum occiſum fuiſſe anno decimo quinto hujus ſeculi, quod diſtinctiùs explicans Robertus de Monte loco ſupracitato dicit: *Poſt multos errores, multaſque cædes, dum navigaret, à quodam presbytero percuſſus in cerebro, occubuit.* Haræus *Annal. Duc. Brab.* ad an. 1139. addit: *factum id, cum pulſus tandem à Godefrido noſtro navigio fugit.* Sed non dicit, unde hoc habeat. Miræus in *Chron. Præmonſ. pag.* 31. tradit ex Archivis Lovanienſibus, quod Godefridus Dux Loth. & Comes Lovan. *Tanchelinum hæreticum, qui multo tempore regnaverat apud Antverpiam & Lovanium, de terris ſuis expulit.* Utinam autem ſcripti illius qualitatem indicaſſet Miræus. Interim in ſuo *Chron. Belg.* notat eum occiſum ad annum 1116. ſed nullus indicat in quo loco. Petrus Divæus *Annal. Oppidi Lov.* hæc dicit: Godefridus dux *Tanchelinum*, peſtiferi dogmatis auctorem, Chriſtum non eſſe in Euchariſtia aſſerentem, Brabanto pepulit; Andoverpos ac Lovanienſes potiſſimum infecerat. Cæterùm Brabanto ejectus, cum Hollandiam ſcaphâ peteret, interfectus eſt. Hæc Divæus & hæc meta fuit & præmium ſeductionis pernitioſi illius Impoſtoris.

1116. Hæreſis ejus perſeverat. Poſt mortem Tanchelini non ſtatim mortua fuit hæreſis ejus; ſed in animis ſeductorum perſeverarunt errores, qui indubiè per ſectatores ejus fovebantur & occultè divulgabantur. Hinc & Antverpia per plures adhuc annos infecta manſit.

Nocuerat ſtatui Eccleſiaſtico. Cæterùm hæreſis hæc non tantum Clero nocumen-

cumentum intulerat in poteſtate eccleſiaſtica, quæ infectis contemptui erat, ſed etiam in temporalibus. Docuerat enim impoſtor, decimas eccleſiaſticis exhiberi non debere: & inde indubiè initio huius ſeculi ſuſurrones aliqui inſtiterant apud HENRICUM, qui in Marchionatu ſucceſſerat GODEFRIDO BULLONIO, ut decimas, per eum Capitulo Antverpienſi collatas, ab eo auferret, quod & fecit; retinens eas in ſua poteſtate, donec Marchionatum tenuit. Poſt depoſitionem HENRICI in Marchionatu ſucceſſerat GODEFRIDUS BARBATUS Comes Lovanienſis. Hic, cum decimas illas in ſua poteſtate inveniſſet, eas ſibi etiam retinuerat & amicis ſuis habendas tradiderat: non docuerat enim verſipellis iſte, decimas ſolvendas non eſſe, ſed ſolvendas non eſſe eccleſiaſticis, quod ſciebat pluribus placere. GODEFRIDUS autem uſque in hæc tempora eas retinuerat, unde Capitulum plurimum patiebatur. Anno 1116.

Itaque ut reſtitueretur Clerus in priſtinum ſtatum, imò, ut, quo fuerat depreſſus, magìs ſublimaretur, cœptum eſt agi. Itum ad Principem *Godefridum Barbatum* Marchionem noſtrum; itum ad *Burchardum* Epiſcopum Cameracenſem. Ad Principem, apud quem Canonici hactenùs non ceſſaverant exhibere querelás de injuſtè detentis decimis, collaborante & petente Senatu, ut eas Capitulo reſtitueret. Princeps autem his precibus motus, rem hanc tandem remiſit ad Conciliarios ſuos, qui juſtitiam Capituli deſuper examinarent.

Agitur pro reſtitutione Cleri & cultûs divini.

Apud Principem pro reſtitutione Decimarum.

Ad Epiſcopum autem, ut Clerum deſpectui expoſitum relevaret, & concedendo Capitulo privilegia, eum venerationi reſtitueret, quo in ſtatu foret, ut hæreſim graſſantem funditùs eradicaret: ideoque ſupplicatum eſt, quatenùs eccleſiam S. Michaëlis omnimodâ libertate donans, ceſſaret nominare ad benefacia in omnibus locis, in

Apud Epiſc. ut Capitulum faciat ſui juris.

Anno 1116. in quibus decimas poſſidebat Capitulum, ſeu *Perſonatus* illorum locorum in Capitulum transferret, & ſic Eccleſiam Antverpienſem ſui juris faceret cum poteſtate ſubſtituendi Præpoſitos & Presbyteros parochiales. Epiſcopus his precibus motus, conſiderans neceſſitatem agendi cum auctoritate contrà infectos, conſideranſque diſtantiam oppidi Antverpienſis à ſua cathedra, rem hanc examinavit cum PERSONIS ſuis, id eſt, cum illis, qui perſonatum Antverpienſem & Perſonatus de *Lillo*, *Berendrecht*, *Orderen* &c. poſſidebant.

1117. Princeps reſtituit Decimas. Tandem Princeps, auditâ relatione Conciliariorum ſuorum, judicavit, prædictas decimas injuſtè à Capitulo ſublatas eſſe & juſto titulo illi competere: unde illas integrè reſtituit, volens per hoc ſatisfacere Deo & Senatui antverpienſi, qui unà cum Capitulo reſtitutionem petierat.

Epiſ. Eccl. ſui juris facit. Similiter Epiſcopus auditis prædictis *perſonis*, qui petitionem Capituli pro tempore & loco rationabilem judicabant; hortatu etiam & petitione GODEFRIDI inductus, Eccleſiam S. Michaëlis in favorem Capituli omnimodâ libertate donavit, transferens in illud *Perſonatus* prædictorum locorum, & prohibens omnem exactionem ex parte Epiſcopi, Archidiaconi & Decani chriſtianitatis, reſervatâ ſibi modica penſione in recognitionem hujus libertatis. Inſuper conceſſit, ut Canonici ſibi eligant Præpoſitum, ſic tamen, ut electus ab Epiſcopo recipiat curam animarum, & ſicut cæteri Præpoſiti obedientiam & ſubjectionem ei exhibeat. Conſtant hæc ex duobus diplomatibus, altero *Burchardi* dato an. 1124. & *Godefridi* dato paulo citiùs, quæ infrà ſuis locis dabuntur.

Quis prævenerit an Epiſ. an Princeps. Ex illis autem diplomatibus vix elici poteſt, quis prævenerit, an Epiſcopus Principem, an Princeps Epiſcopum. Epiſcopus enim videtur indi-

indicare, ſe prædictam libertatem Capitulo conceſſiſſe, antequam Princeps reſtitueret decimas, dicens: *Ut libertate à Nobis traditâ Canonici inibi ſubſtitui poſſent, præfatus Dux duas partes manipulorum decimæ... recognovit & conceſſit.* Princeps verò videtur indicare, ſe reſtituiſſe decimas, imò & procuraſſe Imperatoris confirmationem, antequam Epiſcopus libertatem prædictam conceſſiſſet, dicens: Decimas *Eccleſiæ recognovi & conceſſi... &... Imperialis teſtamenti ſubſcriptione... firmari impetravi. Super his autem tam idoneè & juſtè ordinatis, cum Epiſcopus Eccleſiam canonicæ libertati traderet, in pagina ſua libertatis ſub anathemate confirmavit.* Anno 1117.

Hinc credendum eſt, quod Epiſcopus & Princeps ſimul conſpiraverint ad relevandum Clerum Antverpienſem; & quod ſicut Princeps apud Epiſcopum inſtitit, ut Capitulo præfatam libertatem concederet, ſic Epiſcopus apud Principem inſtiterit, ut Capitulo reſtitueret prædictas decimas: ita ut & libertatis donatio & decimarum reſtitutio veroſimiliter communi conſilio & circa idem tempus factæ ſint. Litteræ deſuper confectæ tum Principis tum Epiſcopi hactenùs latent & inde incertitudo. Simul rem perfecerunt.

De reſtitutione autem decimarum conſtat ex Litteris GODEFRIDI ad ſenatum Antverpienſem ſcriptis circa an. 1120. & ad illum annum infrà referendis, in quibus hæc deſuper: „Cum multis „& crebertimis Canonicorum querimoniis con„cuterer, tandem conſilio accepto, cum tamen „à quibuſdam, ſicut aliquibus ex vobis patuit, „pro eâ (*decimâ*) mihi promitteretur pecunia, „Eccleſiæ recognovi & conceſſi, Deo & vobis „ſic exiſtimans ſatisfacere." Probatur reſtitutio decimarum.

Litteræ Epiſcopi etiam latent, ſed partem illarum inſeruit *Burchardus* in ſuo diplomate de an. 1124. ad illum annum infrà referendo, quæ ſic ſonat: „Cum in Eccleſiaſte ſcriptum ſit: Probatur conceſſio, libertatis.

„ſi

Anno 1117. „*ſi bene feceris, ſcito cui feceris, & erit gratia* „*in bonis tuis multa.* Nobis, qui in ſpecula „ poſiti ſumus, obnixiùs eſt perpendendum, nè „ erogationis noſtræ gratia illicitâ largitione irro„ getur. Igitur Eccleſiis, quibus præſumus in „ poſterum providentes *Perſonarum* noſtrorum „ conſilio, hortatu etiam & petitione GODEFRIDI „ glorioſi Lotharingiæ Ducis, Eccleſiam *S. Micahelis*, quæ eſt *Antwerpiæ*, hactenùs unius „ PERSONÆ inveſtitione & parrochialis Presbiteri „ ſervitio contentam cum appendiciis ſuis Ca„ pellâ ſcilicet *S. Waltburgis*, quæ eſt in eodem „ burgo, & Capella de *Linlo* & *Berendrecht* & „ *Ortheren*, & omnibus quæ infrà ambitum præ„ fatæ Parrochiæ continentur" (*Capellis ſcilicet minoris conditionis*, ut *Capella B. Mariæ*, *ad quam poſt paucos annos transmigravit Capitulum, Capellis S. Petri & S. Martini in cœmeterio S. Michaelis, & fortè Capellis S. Willibrordi & S. Georgii, quarum origo hactenùs latet &c.*) „ ad uſus Canonicorum in eadem ſervientium „ manumittimus. PERSONARUM quoque ſubſti„ tutiones & quaſlibet exactiones (ſoluto quotan„ nis in feſtivitate S. Lucæ Nobis & ſucceſſori„ bus noſtris S. Mariæ Cameracenſis Eccleſiæ „ Epiſcopis à præfata Eccleſia pro libertatis ſuæ „ memoria auri biſantio excluſo cætero pontifi„ cali debito) interdicimus: eo quidem tenore, „ ut Præpoſitus cum duodecim Canonicis ibidem „ in præſenti ſtatuatur." (*id eſt, ut loca ob diuturnam decimarum detentionem vacantia compleantur.*)

„ Nos verò Eccleſiæ noſtræ dignitatem cano„ nicè conſervantes decernimus, ut à Canonicis „ PRÆPOSITUS canonicè electus, nobiſque ſeu „ ſucceſſoribus noſtris præſentatus, curam ani„ marum de manu noſtra ſuſcipiat, & nobis „ more Præpoſitorum præfatæ Cameracenſis Ec„ cleſiæ debitam obedientiam impendat."

Poſt

Poſt hæc, cum GODEFRIDUS, dum jus Capituli circà retentas decimas examinabatur, comperiſſet eas fraudulenter & malitiosè per prædeceſſorem ablatas fuiſſe, timens fraudem & malitiam ſucceſſorum ſuorum, & pravorum cavillationes: nè, ſicut contrà Eccleſiam malè actum fuerat, ſimile quid fieret imposterum; adivit Imperatorem HENRICUM (qui in ſuo deſuper diplomate notatur IV. alibi V. ſicut prædeceſſor ejus dictus eſt nunc III. nunc IV.) Dominum directum, qui ex Italia reverſus agebat Trajecti; & petivit ab eo confirmationem hujus reſtitutionis. Acceſſit & HILDEWINUS Capituli Præpoſitus id ipſum obnixè petens & BURCHARDUS Epiſcopus Cameracenſis, qui diploma Imperatoris deſuper conceſſum ſubſignavit. Hoc autem tandem obtinuerunt anno ſeculi hujus decimo nono, mediante veroſimiliter MATHILDE Rom. Reginâ, quæ præſens fuit in hac conceſſione, ut indicatur in ipſo diplomate. Diploma illud ſubjungo ex copia ſeu tranſcripto authentico confecto anno 1490. per Abbatem S. Bernardi.

Anno 1118. Godefridus petit decimas confirmari Capitulo per Imperatorem.

„UNIVERSIS... Martinus Blyleven.. *Abbas.. S. Bernardi ſuprà ſcaldam... Commiſſarius ad infra ſcripta à RR. Dno* Franciſco.. *Cardinali.. Legato.. Infraſcriptas litteras viſitavimus & diligenter examinavimus... Tenor ſiquidem hujuſmodi Litterarum... ſequitur de verbo ad verbum & eſt talis.*

1119. Diploma ejus deſuper.

Ex Archivis Capituli.

„IN NOMINE ſanctæ & individuæ Trinitatis HENRICUS Dei gratiâ quartus Romanorum Imperator auguſtus.

„Dum utilitatibus ſanctæ Dei Eccleſiæ pio favore conſulimus, Anteceſſorum noſtrorum ſtatuta non ſolum confirmamus, verùm etiam augmentare curamus, idque ad profectum totius Imperii, à Deo nobis collati, congruere haut quaquam diffidimus. Dignum eſt etiam

„ut

Anno 1119.

„ ut celſitudo regalis Principum petitionibus eò „ libentius faveat, quo promptiùs eos in ſua „ perſeverare proſpicit fidelitate.

„ Omnibus igitur tam præſentibus quam futu„ ris notum eſſe volumus, Nos conſilio & peti„ tione fidelis noſtri GODEFRIDI videlicet Du„ cis & Marchionis conceſſiſſe Eccleſiæ ſancti „ Michaëlis archangeli, quæ eſt ſita in Burgo, „ quæ dicitur *Andverp*; omnem decimam, quæ „ continetur à terminis *Zantſliten* uſque *Olmere„ muthen*, ita ut quartam ejuſdem decimæ par„ tem Eccleſiæ Præpoſitus ſibi retineat & reliquas „ in uſus Fratrum conferat.

„ Hujus autem noſtræ traditionis teſtes ydoneos „ ſubſcripſimus, quorum nomina hæc ſunt

„ CUNRADUS Oſnaburgenſis Epiſcopus.

„ BURCHARDUS Cameracenſis Epiſcopus.

„ GERARDUS Merſemburgenſis Epiſcopus.

„ Alii quoque Principes

„ ARNOLFUS Comes de Loſ., TEODORICUS „ Comes, GERARDUS Comes, PAGANUS Comes, „ OTTO de Mares, WILHELMUS Comes, HER„ MANNUS Piſtis, STEPHANUS.

„ Hoc etiam MATHILDIS Romanorum Re„ gina ſuâ corroboravit præſentiâ. Hujus autem „ carthæ traditio facta eſt præſente ejùſdem „ Eccleſiæ Præpoſito HILDEWINO & obnixè „ petente.

„ Et ut hoc noſtræ auctoritatis præceptum per „ futura tempora firmum & inviolabilem obtineat „ vigorem, manu noſtrâ ſubterfirmavimus & „ ſigilli noſtri impreſſione juſſimus inſigniri.

„ Sic ſubſcriptum:

„ Signum Dni HENRICI quarti Romanorum „ Imperatorum invictiſſimi.

„ BRUNO Cancellarius recognovit.

„ Data undecimo kal. decembris anno Domi„ nicæ Incarnationis milleſimo centeſimo decimo „ nono, indictione duodecimâ, regnante HEN-

„ RICO

„ RICO quarto Rege Romanorum Impera- Anno
„ tore. 1119.

„ Actum eſt apud Trajectum in Chriſto feli-
„ citer Amen.

„ *In quorum... teſtimonium premiſſorum pre-
„ ſentes Litteras... exinde fieri... mandavimus...
„ Datum & actum Antverpiæ... in Eccleſia &
„ loco capitulari preſcriptis, ſub anno...* 1490...
„ *menſis Aug. die* 23."

Harum decimarum quarta aſſignatur hic Capituli Præpoſito. Id indubiè etiam factum fuerat per *Godefridum Bullonium*, dum in fine præcedentis ſeculi eas Capitulo contulerat, & per Imp. HENRICUM III., dum ceſſionem illam confirmaverat.

Quarta harum decimarum cedit Præpoſito.

1120.

Putaverat Capituli Præpoſitus hanc Imperatoris confirmationem ſufficiens medium fore contrà pravorum cavillationes, Capitulumque jam pacificam illarum decimarum aditurum poſſeſſionem: ſed ſupererant adhuc malignantes, qui nec confirmationem illam curabant. Aliqui nempè *Bernetus* & *Oldejus* mentiebantur, ſe eas à Principe in feudum accepiſſe; alii ſe eas ab illo emiſſe fabulabantur: hi autem titulis illis eas cedere nolebant. Inſuper alii aliàs Capituli bona etiam allodialia injuſtè impetebant, quod certè procedebat ex ſpiritu Tancheliniano. Iterum itaque neceſſe fuit adire Epiſcopum & Principem pro ulteriori remedio.

Difficultas in adeunda poſſeſſione.

Princeps malignantes illos ſæpiùs coram ſe citavit, ut rationes, ſi quas haberent, proferrent: ſed nullo comparente, prædictas decimas iterum Capitulo adjudicavit, prout ipſemet *Godefridus* ſcribit ad Senatum Antverpienſem in epiſtola mox ſubjungendâ.

Princeps citat & condemnat adverſarios.

Inſuper *Godefridus* & *Burchardus* Epiſcopus ſimul deliberarunt de ulteriori remedio. Epiſcopus ſtatuit Capitulum altiùs ſublimare, eique concedere ſpiritualem poteſtatem in pervaſores ſuos,

Epiſ. & Princeps agunt de remedio.

Anno 1120. ſuos, ad eos cohibendos per Cenſuras. Quod cum Princeps intellexiſſet, rogavit Epiſcopum, ut in Litteris deſuper conficiendis, reſtitutionem decimarum à ſe factam confirmaret ſub anathemate. Epiſcopus id fecit, ut patet ex dicta epiſtola *Godefridi* ad Senatum. Epiſcopus viciſſim rogavit Principem, quatenùs mandatum daret ad ſenatum Antverpienſem, ut Capitulum in omnibus contrà malefactores juvaret. Quod Princeps fecit per dictas Litteras.

Epiſc. Capitulo concedit jus infligendi cenſuras.

Diploma Epiſcopi deſuper confectum latet. Sed *Burchardus* in diplomate ſuo anni 1124. illius mentionem facit, & modicam illius partem refert. In eo *Burchardus*, cum reiteraſſet ſuprà relatum privilegium, per quod Capitulum ſui juris fecerat cum poteſtate eligendi & ſubſtituendi Præpoſitos & Presbyteros parochiales, eidem concedit eandem poteſtatem ligandi & ſolvendi, quam in pervaſores ſuos habebat Eccleſia Cameracenſis, id eſt, poteſtatem infligendi cenſuras eccleſiaſticas, ut vel ſic malevoli cohiberentur per pœnas ſpirituales. Et cum in præcedentibus Litteris Epiſcopus quidem expreſſiſſet, quod Præpoſitus à Capitulo electus à ſe & ſucceſſoribus curam animarum accipere deberet; ſed nihil indicaſſet quoad Presbyteros Parochiales à Capitulo ſubſtituendos, à quo curam animarum deberent accipere, ideo in his illud expreſſit. Et inſuper reſtitutionem decimarum à *Godefrido* factam juxtà petitionem ejus ſub anathemate confirmavit. Pauca, quæ *Burchardus* de his Litteris refert ſubjungo.

„ Ad hanc Canonicorum inſtitutionem perpe„ tuò muniendam, eandem ligandi atque ſolven„ di poteſtatem, quam mater noſtra Camera„ cenſis Eccleſia in pervaſores ſuos habet ſepe„ fate S. Micahelis eccleſie in malefactores ſuos „ concedimus. Et ut presbyteri parrochiales à „ Prepoſito & Canonicis ſubſtituti curam à

„ Nobis

„Nobis ſeu miniſtris noſtris recipiant, decer- Anno
„nimus." 1120.

Princeps ex ſua parte epiſtolam ſcripſit ad Senatum Antverpienſem, ei commendans, ut Canonicos juvet contrà malefactores & moleſtantes in poſſeſſione tam bonorum allodialium, quàm prædictarum decimarum. In illa autem Epiſtola Godefridus compendiosè enarrat omnia ſuprà relata circa has decimas. Eam ſubjungo ex Copia authentica confecta anno 1258. per NICOLAUM Epiſ. Cam.

Princeps mandat Senatui, ut protegat Capitulum.

„UNIVERSIS *preſentes Litteras inſpecturis* Ni-
„cholaus *Dei gratiâ Cameracenſis Epiſcopus ſalu-*
„*tem in Domino. Noveritis Nos Litteras Illuſtris*
„*Principis G. Dei gratiâ Lothoringie Ducis &*
„*Marchio. Felicis recordationis vidiſſe in hec verba:*

Litteræ ejus deſuper.

„G. Dei gratiâ Lothoringie Dux & Marchio
„B. Tribuno & omnibus Antwerpenſibus tam
„majoribus quàm minoribus gratiam & amiciciam
„ſuam.

Ex Archivis Capituli.

„Decimam duorum manipulorum Eccleſie
„beati archangeli Michaëlis, quam Dnus &
„predeceſſor meus beate memorie Dux G. &
„poſtea Rex Jheroſolomitanorum ab Imperatore
„liberè in feudo tenuit, hortatu fidelium viro-
„rum tam Clericorum quàm Laycorum, pre-
„cipuè inſtinctu divini amoris, prefate Eccleſie
„ad uſus Canonicorum inibi ſervientium con-
„tulit, quod etiam multis ex vobis notum eſt:

„Quo defuncto, cum Dux H. Ducatum ob-
„tineret, quorumdam ſuſurronum oblatratu eam-
„dem decimam ab Eccleſia injuſtè ſurripuit.

„Cum verò divinâ miſeratione Ducatui pre-
„eſſem & hanc in poteſtate mea inveniſſem,
„quibuſdam amicis meis habendam tradidi. Sed
„cum multis & creberrimis Canonicorum queri-
„moniis concuterer, tandem conſilio accepto,
„cum tamen magna à quibuſdam, ſicut aliqui-
„bus ex vobis patuit, pro ea mihi promitteretur

Anno 1120. „ pecunia, Ecclesie recognovi & conceſſi, Deo „ & vobis ſic exiſtimans ſatisfacere.

„ Ad hec omnia Succeſſorum meorum cum „ timerem fraudem & malitiam, nè, ſicut contrà „ Ecclesiam malè actum eſt, ſimile quid fieret, „ Dnum meum Imperatorem conveni, & omnium „ pravorum hominum cavillationem ſecludens „ imperialis teſtamenti ſubſcriptione & ſubſigna„tione firmari impetravi.

„ Super hiis autem tam ydoneè & tam juſtè „ ordinatis & confirmatis, cum Epiſcopus Eccle„ſiam canonico libertati traderet, rogatu meo in „ pagina ſue libertatis ſub anathemate confir„mavit.

„ Sed quia ſunt nonnulli ex vobis, qui pre„dictam decimam à me in feodo acceptam, „ quorum unus *Bernetus* & alter *Oldejus* eſt, „ mentiuntur, quidam verò qui à me emptam „ fabulantur, quibus omnibus diem derationa„tionis ſepiùs conſtitui; & cum ad preſentiam „ minimè venirent, liberorum virorum judicio „ Ecclesie conſervavi.

„ Precor igitur vos tam homines quàm ami„cos meos, B. Tribunum & fratres ejus, O. „ filium, *Tidonem*, *Wibodonem* & ceteros quoſ„que amicos meos, quatinùs Ecclesie contrà „ malefactores ſuos juſtitiam conſervetis, & tam „ in decima quam in allodio; in ſervis & an„chillis & ad omnem Canonicorum querimo„niam mei causâ fideliter juvetis. Valete.

„ *In cujus rei teſtimonium preſentes Litteras* „ *duximus ſigilli noſtri munimine roborandas.* „ *Datum feriâ ſecundâ poſt Dominicam, quâ* „ *cantatur*: Factus eſt. *Anno Dni MCCL.* „ *octavo.*"

Quo anno hæ Litteræ datæ ſint. Dies, & annus, quibus hæ *Godefridi* Litteræ datæ ſunt, in hac Copia omiſſi ſunt. Miræus eas referens *Cod. don. pia. cap.* 78. præfixit in titulo annum 1124. quaſi eo anno datæ eſſent. Sed

Sed cum ſint ſcriptæ occaſione ſupradictarum difficultatum, præſumendum eſt eas ſcriptas eſſe hoc anno vigeſimo aut vigeſimo primo. Anno 1120.

Poſt hæc non reperimus Capitulum quid paſſum eſſe à malignantibus iſtis. Undé credendum eſt, illud deinceps vigilantiâ & curâ Epiſcopi & Principis adiviſſe & manſiſſe in pacifica poſſeſſione tum decimarum tum reliquorum ſuorum bonorum. Et certè ſi in pacifica poſſeſſione non fuiſſet, non tam lautè fundaſſet & dotaſſet Abbatiam S. Michaëlis, prout videbimus illud poſt pauca feciſſe. Ceſſant difficultates.

Canonici à tempore, quo Eccleſia libertate donata fuerat, & ſibi tamquam Patronis cura populi incubuerat, vigilanter egerant contra graſſantem hæreſim Tanchelinianam; quod Clarè indicat *Burchardus* proprius Epiſcopus in diplomate ſuo anni 1124. dicens eos *multa circumſpectione vigiles dignèque perpendentes, quod eos quorum ſuſtentarentur carnalibus, ſaginare deberent ſpiritualibus.* Sed cum continuis hactenùs impetiti fuiſſent difficultatibus, ſatis patebat, ſpiritum tanchelinianum in plurium animis adhuc latere. 1121. Vigilantia Capituli contrà graſſantem hæreſim.

Volentes itaque adhibere omne medium, ad ſatisfaciendum curæ ſibi impoſitæ, & allaborare, ut graſſans hæreſis funditùs eradicaretur, recurrunt iterum ad Epiſcopum requirentes ejus conſilium. Recurrit ad Epiſcopum.

Habebat autem BURCHARDUS Epiſ. tunc temporis in diœceſi ſua zeloſiſſimum quemdam prædicatorem NORBERTUM nomine, virum ſpectabilis religionis, qui ibibi concionibus ſuis plurimum fructum retulerat. Conſulit itaque *Burchardus*, ut zeloſum hunc virum ad ſe vocent, confidens fore, ut ſicut alibi, ſic & Antverpiæ deſideratum fructum referret. Qui conſulit, ut advocent S. Norbertum.

Deputati hoc Epiſcopi conſilium retulerunt ad Capitulum, placuitque ſummè tum Canoni- 1122. Canonici vocant S. Norbertum.

 cis

Anno 1122. cis tum populo. Canonici itaque deputatos ſuos miſerunt ad NORBERTUM, qui eum rogarent & inducerent ad onus hoc acceptandum, & pio labore ſuo ageret ad hæreſim hìc funditùs extinguendam. Advocationem hanc ſic narrat Burchardus in diplomate ſuo anni 1124. *Clerici præfatæ Eccleſiæ S. Michaelis ſenſatâ circumſpectione vigiles, dignèque perpendentes, quod eos, quorum ſuſtentarentur carnalibus, ſaginare deberent ſpiritualibus... ad ſe fratrem* Norbertum *virum noſtris temporibus ſpectabilis religionis accerſiri curaverunt.* In Diplomate Hildolphi Præpoſiti Capituli ejuſdem anni hæc deſuper leguntur. *Ut hæreſis illa, quæ provinciam noſtram occupaverat, funditùs extingueretur, conſilio Domini* Burchardi *Epiſcopi & totius populi, & aſſenſu Capituli noſtri Dominum* Norbertum *virum noſtris temporibus ſpectabilis religionis accerſiri curavimus.*

Qualis infectio hoc tempore Antverpiæ. Notanda ſunt hæc verba: quia inde patet, infectionem populi Antverpienſis hoc tempore non fuiſſe tam univerſalem, quàm eam quidam exaggerando faciunt. Si enim *aſſenſu Capituli* & *conſilio totius populi* vocatus fuerit S. Norbertus, dici non poteſt, magnam fuiſſe infectionem, ſaltem inter honeſtiores.

S. Norberti vita fusè Refertur *Act. SS. ad VI. Junii.* Erat autem NORBERTUS oriundus ex Ducatu Clivienſi in circulo Weſtphaliæ, natus circà annum 1080. in civitate dicta *Santen* citrà Rhenum. Patrem habuit *Herbertum* Comitem Gennepienſem (quæ eſt civitas etiam Ducatûs Clivienſis propè Moſam) affinitate junctum Imperatoribus & aliis Germaniæ Principibus; Matrem *Hadewigam* ex familiâ Lotharingicâ.

Fit clericus. Peractis humanioribus Clericatui ſe dedit, & factus Subdiaconus, inter domeſticos *Frederici* Archiepiſcopi Colonienſis receptus eſt, dum trigeſimum circiter ætatis annum ageret. Veroſimiliter apud hunc morabatur Norbertus, dum Tanchelinum cum duobus diſcipulis detinebat in car-

carcere : undè ab hoc tempore ei nota erat perniciosa hujus hæreſiarchæ doctrina. Anno 1122.

Sed parum hæc curabat Norbertus, cui mundana magis quàm eccleſiaſtica vita placebat : quare etiam ulteriorem promotionem ad diaconatum & ſacerdotium ſæpiùs oblatam conſtanter recuſabat ; & aulam Achiepiſcopi relinquens aulam HENRICI V. Imperatoris adivit : ubi amorem & venerationem omnium ſibi conciliavit, non tam per nobilitatem ſuam & divitias, quàm per perſonales bonas qualitates. Ejus vita inordinata.

Epiſcopatus Cameracenſis tunc vacans eì offerebatur, at quia ſtatum eccleſiaſticum averſabatur, eum recuſavit. Hic Epiſcopatus dein datus eſt Burchardo, qui hoc tempore cum Norberto in aulâ Imperatoris morabatur.

Parùm autem aberat, quin proſperitas hæc Norbertum ad perniciem duceret : cum enìm mundus ei faveret, æternitatem non curabat ; ſed plenus ambitione & amore ſui, nullum oblectamentum ſibi negabat, & quidquid pravum deſiderium expoſceret, ſectabatur ; reputans ſomnia & fabulas, quæ mens de futurâ vitâ identidem ſuggerebat.

Sed Deus, quia Norbertum ad Apoſtolatum deſtinaverat, eum tamquam alterum Paulum ex abyſſo tenebrarum & impietatis conſimili modo revocavit : cum enim quodam die ſericis indutus veſtibus probè ornato inſidens equo per prata deambularet cum unicò ſe ſequente ſamulo, ſubitò ſuborta eſt tempeſtas in aëre, fulgura & tonitrua horribilia ; ſamulus clamat, ut redeant ; & ſtatim cadit fulgur antè pedes equi, comburens gramina & aperiens terram ad altitudinem hominis ; undè fœtor ſulphuris tamquam infernalis. Ejus converſio.

Jacebat ab unâ parte Norbertus proſtratus, ab alia parte equus & ſamulus perterritus. In eo ſtatu manſit tamquam mortuus ad horam.

Anno 1122. Dein tamquam è profundo ſomno evigilans, dicit in animo: *Domine, quid me vis facere?* & ſibimet reſpondens dicit: *Diverte à malo & fac bonum: inquire pacem & proſequere eam.*

Act. 9. 6. *Pſ. 33. 15.*

Redit igitur Norbertus firmiter ſtatuens converſionem: noluit tamen ſtatim exteriora mutare; ſed ſub pretioſis veſtibus cilicio indutus interiùs laborabat ad vincendas paſſiones & prava ſua deſideria.

Relinquit aulam.

Relinquit aulam & redit ad ſua: ubi & in Abbatia propè Coloniam commorabatur cum Abbate *Conone* (qui poſteà factus eſt Epiſcopus Ratiſponenſis) expectans tempus, quo intentum ſuum manifeſtaret. Et cum in rebus divinis parùm inſtructus eſſet, ſtatuit relinquere mundum & ulteriores Ordines ſuſcipere, reputans ſe vel ſic magis profecturum. Agebat tunc Norbertus trigeſimum tertium circiter ætatis annum, hoc eſt circa annum 1115.

Petit Ordines.

Adventante igitur ordinationis tempore adit *Fredericum* Archiepiſcopum Colonienſem, inter cujus domeſticos antè tres annos egerat, eum ſupplicans, ut cum aliis ordinaretur. Mirabatur Antiſtes, eum nunc spontè petere, quod ſæpiùs oblatum recuſaverat; & interim annuit petitioni. Addit Norbertus ſe deſiderare ſimul utrumque Ordinem, diaconatum & presbyteratum. Archiepiſcopus adhuc magis admirans, tam inſolitæ mutationis cauſam requirit, & urget eum taliter, ut proſtratus ad ejus pedes Norbertus, petitâ cum lacrimis & obtentâ peccatorum veniâ, intentum ſuum manifeſtaret.

Archiepiſcopus igitur, tum quia amabat Norbertum, tum quia perſuaſum habebat, quid divinæ inſpirationis eſſe in hâc inſolitâ mutatione, reputabat hoc caſu diſpenſandum eſſe in regulâ, quæ prohibet duos Ordines ſimul conferri.

Ordinatur.

Dum igitur tempus officii inſtat, & alii ordinandi

nandi induunt ornamenta Ordini ſuſcipiendo propria, accedit & Norbertus per medium multitudinis, quæ eum attentiùs intuebatur, quia notus erat. Dum ſacriſta ei offert ornamenta, extendit manum ad unum è domeſticis ſuis, à quo accipit tunicam pelliceam, quam juſſerat afferri: & depoſitis pretioſiſſimis, quibus induebatur, veſtibus, induit tunicam pelliceam, quæ ſecundùm uſum ævi & loci maximè contemptibilis erat. Et tunc demùm extendit manum ad Sacriſtam & acceptat ornamenta oblata.

Anno 1182.

Celebrat primam Miſſam.

Suſceptis Ordinibus redit ad monaſterium Sigebergenſe, ubi manſit ſex ſeptimanis, diſcens exercitium functionum & formans ſe in pietate. Tum redit ad ſua in civitate Santenſi: & quia ibidem Canonicus erat, Decanus & Capitulum rogant eum, ut pro Primitiis celebret miſſam conventualem. Acceptavit Norbertus, & poſt Evangelium habuit concionem, in quâ miro zelo loquebatur de vanitate mundi, de vitæ brevitate & de impoſſibilitate beatitudinis in hâc vitâ, carpens fòrtiter vitia, quæ noverat regnare inter Canonicos confratres ſuos; non tamen eos notans in particulari.

Poſterâ die, dum erant in Capitulo, accipit librum Regulæ, & convertens ſe ad Decanum, demonſtrat ei per verba ſancti Gregorii & ſancti Iſidori, obligationem eos revocandi ad rectam viam.

Incipit prædicare.

Canonici ſeniores audiebant Norbertum pacificè, conſiderantes veritatem dictorum ejus: ſed juniores obmurmurabant & contemnebant, externè tamen adhuc venerationem ſervantes. Poſterâ die in pleno Capitulo taxat eorum vitia in particulari, indicans ea cum circumſtantiis. Et cum hæc pluribus diebus continuaret, fiebat ipſis ità intolerabilis, ut contrà eum excitarent clericum undique contemptibilem, qui eum indignè tractabat, injuriis appetens & in faciem

ſpuens

Anno 1122. ſpuens. Abſtergit faciem Norbertus ſinè ullâ motione, imputans injurias has peccatis ſuis.

Tribus annis manet Norbertus in habitu iſto contemptibili, populo ubique in circumvicinia prædicans, & allaborans propriæ perfectioni. Et dum injuriâ afficitur ab eis, quibus conciones ejus moleſtæ erant, conſolationem quærit apud monachos Sigebergenſes, aut apud Canonicos regulares monaſterii dicti Cloſterrath, aut cum ſancto Eremitâ nomine Lidulpho.

Accuſatur, in Concilio Fritzar.

Anno milleſimo centeſimo decimo octavo congregatum erat Concilium in civitate Fritzarienſi, in quo præſidebat CONON Epiſcopus Paleſtrinæ Legatus GELASII Papæ. Epiſcopi & Abbates ibidem congregati eò citant Norbertum; & unanimiter coràm Legato eum accuſant, quòd ſine authoritate contrà eos declamaret, quòd indutus eſſet habitu extraordinario ſtatui ſuo non conveniente; cum non eſſet monachus & dominium bonorum ſuorum retineret. Reſpondet Norbertus, ſe poteſtatem prædicandi accepiſſe in ordinatione, & Apoſtolum Petrum docere, veſtimentorum cultum nos non reddere acceptos Deo.

Reſignat beneficia & diſcedit indè.

Videns igitur Norbertus cunctos ſibi contrariari, & veritatem, quam prædicabat rejici cum calumniis, tendit ad Archiepiſcopum Colonienſem Præſulem ſuum; & in manus ejus reſignat omnia, quæ poſſidebat, beneficia & eccleſiaſticos proventus. Deindè vendit domos, terras imò & mobilia ſua, & pretium diſtribuit pauperibus, nihil ſibi reſervans niſi decem marcas argenti, mulam & Altare portatile ad celebrandam miſſam: & ſtatuens peregrinari extrà patriam ſuam, ſolùm duos ſibi ſociat ſæculares. Sed cum perveniſſet ad civitatem Huïenſem ad Moſam, abalienavit etiam pauca, quæ reſervaverat, excepto Altari portatili; & nudis pedibus indè diſcedit cum duobus ſociis, laneâ tantùm indutus tunicâ & pallio.

Taliter

Taliter conſtitutus Norbertus pertranſit totam Galliam, & venit ad *Sancti Ægidii* civitatem Occitaniæ non longè diſtantem à mari mediterraneo; ubi invenit *Gelaſium* PP. II. qui propter ſchiſma Româ pulſus eò fugerat. Exponit Norbertus Pontifici intentum ſuum, & accuſans ſe præcipuè de eo, quòd ſimul eodem die recepiſſet Diaconatum & Presbyteratum, abſolutionem petit. Pontifex admirans ſapientiam ejus & ſpiritum Dei, qui in ipſo apparebat; non ſolùm concedit ei abſolutionem, ſed & vult eum apud ſe retinere. Supplicat interim Norbertus, nè Pontifex hoc à ſe obedientiæ ſignum exigat, exponens ei, quomodò in Aulis Principum & Epiſcoporum per diſtractiones eſſet depravatus; quod nec ſic ætati ſuæ nec pœnitentiæ, quam intendebat, conveniret remanere in Pontificiâ aulâ. Addit Norbertus, quod ſi Pontifex velit ipſi injungere vitam Canonicam, Monachalem aut Eremiticam, vel denique peregrinorum, ei in omnibus libentiſſimè obediret. Anno 1122. Vadit ad Gelaſium Papam.

Pontifex conſiderans conſtantiam ejus & zelum, & ſciens perſecutiones, quas paſſus fuerat ob prædicationes ſuas, concedit ei facultatem prædicandi verbum Dei, non ſolùm in locis, ubi antè prædicaverat, ſed & ubicumque vellet; idque ipſum ei præcipiens, & prohibens omnibus, qui anteà ſeſe oppoſuerant, nè averterent populum ab ejus inſtructionibus. Et nè quis hæc in dubium revocaret, juſſit ei deſuper expediri litteras ſeu Bullam pontificiam. Accipit poteſtatem prædicandi ubique.

Cum hâc poteſtate redit Norbertus, incedens ſemper nudis pedibus etiam in frigidiſſimâ hyemis temperie: ita ut nec frigus, nec fames, nec labor pium ejus fervorem ullatenùs imminuerent. Non manducabat niſi veſperi, & non niſi cibos quadrageſimales, exceptis diebus Dominicis. Vino aut piſcibus raro utebatur. Redit.

Dum peragrat Galliam, in viâ aggregat ſibi ter- Venit Valencenas.

Anno 1122. tertium ſocium ; & ſic cum tribus ſociis venit Valencenas ſabbatho ante Dominicam in Palmis, quæ erat 22. martii anni milleſimi centeſimi decimi noni. Poſterâ die habuit concionem ad populum ; & licèt gallicæ linguæ parum gnarus eſſet, audiebant eum cum tali ædificatione, ut urgerent eum ad ibidem remanendum aliquantulæ quietis ergò. Non acquieſcit Norbertus : ſed coëgit eum infirmitas ſociorum, qui ibidem moriebantur infrà octavam Reſurrectionis ; & omnes tres Valencenis ſepelivit.

Viſitat Burchardum Ep. Camer.

Intereà Burchardus Epiſcopus Cameracenſis venit Valencenas. Norbertus eum adit viſitandi causâ (noverat enim eum, quia ante quinque annos ſimul egerant in aula Imperatoris ; & Burchardus ad Epiſcopatum hunc non fuerat promotus, niſi poſtquam Norbertus dignitatem hanc recuſaſſet) acceſſum habet ad Epiſcopum mediante quodam ejus Clerico, cui nomen *Hugo*. Epiſcopus eum recognoſcens, plenus admiratione, videns eum in tali ſtatu, nudis pedibus dum gelat, eum perbenignè excipit. Hugo hoc videns & inquirens quis & qualis ſit, concipit affectum ergà Norbertum : conceperat enim ipſemet relinquere mundum & ducere conſimile vitæ genus ; licèt nulli hactenùs intentum ſuum manifeſtaſſet.

Ægrotat & ſociat ſibi Hugonem.

Norbertus poſt mortem ſociorum etiam in morbum incidit. Hugo de mandato Epiſcopi eum continuò viſitat. Et poſt convaleſcentiam Hugo eum adit exponens intentum ſuum & promittens ſe eum ſecuturum. Gratias Deo agit Norbertus, qui ipsâ die Deum rogaverat, ut ſibi ſocium daret. Hugo igitur, cum diſpoſuiſſet ſua, ſeſe firmiter ei ſociavit Valencenis menſe junio anni 1119.

Prædicat in Gallia.

Norbertus hoc adjutorio confortatus, & de voluntate Dei nihil dubitans, percurrit cum Hugone caſtra, civitates & pagos, prædicans ubique,

ubique, finiens lites & inimicos pacificans. Nihil petunt à quoquam, nihil acceptant niſi oblata in Miſſa, quæ & diſtribuebant pauperibus conſiderantes ſe peregrinos ſuper terram, & reputantes indignum quærere vel minimum temporale eis, qui propter Deum omnia reliquerant. Omnibus admirationi erant; quærebantur, audiebantur, invitabantur; & feliciorem ſe quiſque reputabat, qui eos in domum ſuam excipiebat. Anno 1122.

Cum audiſſet Norbertus CALISTUM ad ſummi pontificatûs apicem elevatum eſſe, eumque Concilium convocaſſe in civitate Remenſi; eò tendit, & cum gaudio excipitur ab Epiſcopis & Abbatibus ibidem congregatis. Admirabantur vim ſermonum ejus, ſapientiam in reſponſis & rigorem pœnitentiæ; quem ut moderaret plures exhortabantur, ſed fruſtrà. Nè tamen vita extraordinaria occaſio foret calumniandi doctrinam, Bullam, quam à GELASIO acceperat, à CALISTO petit renovari. Pontifex hoc ei concedit, & commendat eum Bartholomæo Epiſcopo Laudunenſi, qui eum Pontifici præſentaverat, & mandat Pontifex, ut ejus curam gerat, & dirigat eum mitiori quàm vellet modo, promittens ſe poſt Concilium iturum Laudunum.

Tendit Remos ad Caliſtum II.

Quò cum Pontifex veniſſet, Epiſcopus inito cum Pontifice conſilio, qui Norbertum in ſuâ Diœceſi retineret, obtulit ei Eccleſiam S. Martini in ſuburbio, in quâ erant aliqui Canonici. Difficulter & non niſi coactus à Pontifice hoc acceptavit Norbertus, & ſub eâ conditione, ut Canonici ſuum vivendi modum imitarentur. Sed cum hæc Canonicis propoſuiſſet, noluerunt talem ſuperiorem, nolentes modum ſuum vivendi immutare. Retinuit interim Epiſcopus Norbertum per totam hyemem, & conabatur reſtituere corpus ejus emaciatum per jejunium & frigus.

Præponitur Eccleſiæ S. Martini Lauduni.

Cum

Anno 1122. Cum autem Norbertus indicaret Epiſcopo, ſe deſiderare ſolitudinem; Epiſcopus volens eum retinere in ſuâ Diœceſi, ducit eum ad varia loca, ad videndum ſi quis ei placeret. Et tandem tum Epiſcopi, tum aliorum piorum precibus ſatisfaciens, eligit ſibi ad figendum domicilium locum maximè ſolitarium, dictum PRÆMONSTRATUM, unde toti Ordini poſteà nomen.

Eligit ſibi *Præmonſtratum* in diœceſi Laudunenſi.

Eratq; jaminde in illo loco Sacellum S. Joanni ſacrum, dependens ab Abbatiâ S. Vincentii Lauduni, ſed ferè derelictum ob ſterilitatem loci. Epiſcopus & Norbertus intrant ad orandum. Cum autem adveſperaſceret, monet Epiſcopus Norbertum ut ſurgat, quia ad leucam inde pernoctandum erat: ſed Norbertus rogat Epiſcopum, ut cum ſuis illuc vadat, & ſibi permittat ibidem pernoctare. Interim Epiſcopus ei procurat neceſſaria & poſterâ die redit. Norbertus plenus gaudio ei dicit: *Hic maneo, quia ſcio locum hunc mihi deſtinatum à Deo, & plures per gratiam ejus hic ſalvandos:* nocte enim illâ habuerat viſum.

Datur ei locus ille.

Epiſcopus libenter conſentit, & factâ cum Abbate S. Vincentii permutatione, donat Præmonſtratum cum dependentiis Norberto & ſociis ejus. Hoc patet ex tribus diplomatibus anno 1121. datis, quæ referuntur in *Bibl. Præmonſ.* 372., in quorum uno Bartholomæus Epiſcopus præmiſſa narrat.

Aggregat ſocios.

Poſt paucos dies Norbertus venit Laudunum, intrat ſcholam & coràm ſcholaribus facit exhortationem ita moventem, ut converteret ſeptem è ditioribus, qui à pauco tempore advenerant ex Lotharingiâ.

Hyeme tranſactâ venit Cameracum, & per concionem ad populum convertit juvenem *Evermodum* nomine, qui poſteà factus eſt Epiſcopus Ratzeburgenſis inferioris Saxoniæ. Nivellis alium juvenem ſibi ſociat *Antonium* nomine.

Hi

Hi duo cum *Hugone*, quem ſibi anno præcedenti junxerat, fuerunt quaſi fundamenta Ordinis. Anno 1122.

In ſeptimanâ Paſſionis hujus anni milleſimi centeſimi vigeſimi jaminde tredecim ſocios habebat in ſua eremo Præmonſtratenſi, & brevì habuit uſque ad quadraginta cum pluribus ſæcularibus.

Aſſumunt Regulam S. Aug.

Cum jam tot haberet ſocios, cogitat Norbertus aſſumere Regulam. Plures ei conſulebant vitam Eremiticam, alii regulam Ciſtercienſem: ſed conſiderans ſe & plures è ſuis eſſe Canonicos, elegit regulam S. Auguſtini. Et eam omnes profeſſi ſunt in Natalitijs Domini anno milleſimo centeſimo vigeſimo primo. Hoc eodem anno & menſe Norberto tradita fuit Eccleſia Floreffienſis, quæ nunc celebris eſt Abbatia Præm. ſecundo lapide à Namurco. Miræi *Dipl. Belg. Tom. IV. pag.* 194. Aſſumpſerunt habitum album, totum laneum, & lino non utebantur niſi in Eccleſiâ ſuper veſtes. Maxima undique humilitas apparebat in his primis ejus diſcipulis. Annum tunc Norbertus agebat circiter trigeſimum nonum.

Profitentur eam 1121.

Vocatur Antverpiam.

Circà hoc tempus, dum *Norbertus* Cameraci & in vicinis locis verſabatur prædicando & ſocios congregando, BURCHARDUS Epiſ., cui comperta erat vis ſermonum ejus, conſuluit deputatis Capituli Antverpienſis, ut eum in auxilium vocarent contrà gliſcentes errores. Placuit conſilium: unde & ſine dilatione *Hildolphus* Præpoſitus Capituli Antverpienſis cæterique Canonici ad eum miſerunt, qui ex parte Capituli eum invitarent & rogarent, quatenùs provinciam hanc acceptare vellet.

Advenit cum ſociis.

Norbertus, qui undique quærebat oportunitatem referendi fructum, hàc invitatione facilè motus, & indubiè inductus à *Burchardo* Epiſ. Antverpiam venit cum præcipuis ſuis ſociis anno hoc

Anno 1122. hoc milleſimo centeſimo vigeſimo ſecundo ; ſeptimo poſt mortem hæreſiarchæ Tanchelini : ibidemque benigniſſimè exceptus eſt à Clero & populo ; quorum conſilio & aſſenſu vocatus fuerat.

Pictura repræſentans receptionem ejus. Hanc *Norberti* receptionem in tabula picta repræſentatam videmus in Eccleſia Abbatiæ S. Michaëlis. Repræſentatus eſt S. Norbertus cum ſociis adventans navi ; & Præpoſitus cum Canonicis eum receptans : Præpoſiti autem extenſa manus exhibetur nigreſcens , quaſi ficto animo eum excepiſſet.

An Canonici infecti fuerint hæreſi. Occaſionem huic repræſentationi indubiè dedit Auctor *Chor. Abb. S. Mich. apud Sanderum* , qui *Cap. II.* in dubium revocat , num Canonici infecti fuerint hæreſi Tancheliniana , idque ex verbis *Burchardi* Epiſ. in diplomate , quod ibidem refert ex ſchedis Abbatiæ. Sunt autem hæc : *Si non ſint* , inquit , *ipſi* (Canonici) *etiam à Tanchelino infecti... certè neſcio , quid in diplomate ſuo Burchardus ſignificare velit illis verbis : nam & eos (loquitur de Canonicis , qui hæreſi exterminandæ advocaverant S. Norbertum) & totam Villam (intellige oppidanos ſeu burgenſes Antverpiæ) venenoſus hæreſiarchæ Tanchelini ſermo infecerat.*

In primis in diplomate *Burchardi* , quod Miræus *Cod. don. pia. cap. 77.* refert ex Archivis Capituli , & quod mox infrà cum originali collatum dabo , hæc tantùm leguntur : *nam eos hæreſiarchæ Tankelmi venenoſus ſermo infecerat.* Quæ clarè intelliguntur de illis , quorum Canonici ſuſtentabantur carnalibus , id eſt de civibus , de quibus etiam commodè intelliguntur illa , quæ Auctor refert ex diplomate Michaëlitico , in quo , ſi originale habeant , certè , ſicut in diplomate Capituli , habetur *Tankelmi* & non *Tanchelini* , prout ſcribit Auctor. Quod autem ſic intelligi debeant , patet ex ipſamet periodo , unde verba

ista

iſta deſumpſit Auctor, in quo Epiſcopus Canonicos laudat de vigilantia adhibita tempore, quo graſſabatur hæreſis, dicens eos *ſenſatâ circumſpectione vigiles*; jam autem laudem vigilantiæ nullus minùs meretur, quàm qui ſuiipſius ſeductionem non præcavit. Si autem ad hanc proprii Epiſcopi laudem reflexiſſet Auctor, ceſſaſſet mirari, *quomodo* L. Beyerlinck *in ſuo de tribus Apoſtolis antverpianis Tractatu de præſtito egregiè officio ſuo Præpoſitum & Canonicos laudare poſſit*. Anno 1122.

Auctor dictæ *Chorographiæ* creditur fuiſſe *Macarius Simeomo* religioſus Abbatiæ S. Michaëlis, qui deinceps anno 1662. ibidem electus eſt Abbas, ut refert Papebrochius *Act. S. Norb. Carol. II. n.* 112. Hinc veroſimile omninò eſt, Abbatem illum curaſſe pingi picturam iſtam: cum in falſa iſta opinione eſſet, & pictura ipſa ætatem ejus non ſuperet.

Mirum ſanè, quod pictura iſta, falſam populo indens ideam, tam diu manſerit expoſita in Eccleſia Dei: cum nullum veſtigium facti illius habeatur in antiquitate, & conſtet Canonicos S. NORBERTUM & ſocios advocâſſe, fundâſſe & lautè dotâſſe, & Epiſcopum proprium eos laudâſſe de vigilantia adhibita tempore, quo graſſabatur hæreſis.

Papebrochius, qui Acta S. Norberti illuſtravit, & Abbatiam iſtam accuratiſſimè deſcripſit, vidit picturam illam, legit quæ Auctor *Chorographiæ* deſuper ſcripſit, & tacuit.

NORBERTUS itaque & ſocii ſic honorabiliter recepti cœperunt prædicare, & ſuavibus verbis populum in fide inſtruere. Nihil autem ſpecificè deſuper habemus niſi in Vita S. Norberti, in qua *Cap. XIII. n.* 80. Auctor hæc deſuper refert: Prædicant Antverpiæ.

„ Cœperunt ipſi ſeminare verbum Dei & elo- Auctor Vitæ deſuper.
„ quia quam dulcia faucibus eorum ſuper mel

Anno 1124.

„ & favum propinare, infirmis pulmentum dulce „ miniſtrantes, & debilibus panem, qui cor „ hominis confirmat & vitam præſtat æternam, „ annuntiantes. Ajebat enim (*Norbertus*) fratres „ nè miremini & nè timeatis, vos per ignoran„ tiam ſecuti eſtis mendacium, veritatem exiſti„ mantes: quàm ſi quis priùs vos edocuiſſet, „ ut faciles inventi eſtis ad perditionem, ſic „ faciliores inveniremini ad capiendam ſalutem. „ Audientes igitur quidam verbum, & videntes „ opera quæ ſequebantur, compuncti revertentes „ viri & mulieres Corpus dominicum, quod in „ ciſtis vel in foraminibus per decem aut quin„ decim aut quam plures annos repoſuerant, refe„ rebant." Hæc & non plura deſuper Auctor Vitæ.

Corpus Domini honori reſtituitur.

Anni illi reducuntur ad initium ſeculi, quò hæreſis publicè graſſata fuerat, ſeu ad tempora ante annum octavum aut nonum, poſt quos putat Papebrochius Tanchelinum Antverpiæ non egiſſe; aut ſaltem ante annum decimum quartum, quò allatum & receptum S. chriſti Præputium piorum zelum excitavit. Quantum ad Corpus Domini, quod quidam repoſuerant in foraminibus aut ciſtis, credendum eſt, quod graſſante hæreſi Sacramentum illud apud plures publicè ludibrio fuerit; quod depoſitâ priori negligentiâ Clerus & Senatus vigilanter cœperint inquirere & proſequi ſacrilegos iſtos; quod reperti fuerint puniti aut fugati; quod alii, qui Corpus Domini apud ſe habebant, timentes nè detegerentur, illud reconderint in ciſtis aut foraminibus: quodque hi compuncti ad prædicationem *S. Norberti*, cum publicaretur indulgentia de commiſſis, illud ad ipſum retulerint, ſi non publicè ſaltem occultè; ſicque univerſim reſtitutum ſit venerationi Sacramentum, quod per ſeductionem Tanchelini apud plures in contemptu fuerat.

Viden-

Videntes itaque Præpoſitus & Canonici conſilium BURCHARDI Epiſcopi ſui tam benè ſibi ceſſiſſe; videntes fructum, quem NORBERTUS cum ſociis per conciones referebat; videntes, inquam, deſideratam hanc inter ſeductos cives mutationem, cœperunt deliberare, quomodo viros tam ferventis charitatis & infatigabilis zeli apud ſe retinerent: ut vel ſic mutuo adjutorio confortati, non tantum hæreſim graſſantem funditùs eradicarent; ſed & Antverpiam contra imposterùm inſurgentes hæreſes in tuto ponerent. Anno 1123. Canonici intendunt eos apud ſe retinere.

Recurrunt itaque iterum ad Epiſcopum, cui intentum ſuum exponentes requirunt deſuper ejus conſilium. Et habita cum ipſo matura deliberatione, de conſilio ejus ſtatuunt eis aſſignare eccleſiam & fundum pro extruendo amplo monaſterio, & convenienter eos pro poſſe dotare; imò propriam ſuam eccleſiam eis cedere & ad aliam transmigrare. Magnum hoc pietatis opus cœptum eſt anno ſeculi hujus vigeſimo tertio & completum anno ſequenti, quo confecta ſunt & data diplomata Capituli & Epiſcopi fundationem hanc confirmantia. Statuunt ipſos fundare & dotare.

Erat hoc tempore Antverpiæ Capella humilis B. Mariæ ſacra, vulgò dicta Diva virgo ad ſtipitem *Ons lie Vrouw op 't ſtaexken*; in qua ſervabatur Imago Deiparæ perantiqua, quæ ex Nortmannorum incendiaria devaſtatione in ſuburbio Burgi, per eos flammis vaſtati, inter arbores fuerat ſuperſtes ſtipiti affixa, unde & nomen eſt adepta *op 't ſtaexken*. Refert Scribanius *Orig. Antv. Cap. X.* hanc deiparæ Imaginem quadringentis annis claruiſſe miraculis frequentibus & magnis; quin & perſeveraſſe prodigia uſque ad annum 1533., cum incendio eccleſia periit; quæ ut primùm urbi reddita eſt post immanes cineres reddita & prodigia eſſe; paulatim autem refrixiſſe fiducia labente. Ita *Scriban.* Capella S. Mariæ ad ſtipitem.

Anno 1123. Aptatur pro Canonicis. Cum itaque Præpoſitus & Canonici ſtatuiſſent propriam Eccleſiam S. Michaëli ſacram cedere S. NORBERTO & ſociis, hanc ſibi delegerunt Capellam ad transmigrandum: unde illam cœperunt ædificiis augere & aptare, ut eſſet conveniens Capituli ſedes & toti Civitati eccleſia principalis. Adyti fundamenta hoc tempore jacta fuiſſe refert *Lud. Guicciardin.* Cum autem utcumque aptata eſſet, eam de novo conſecravit BURCHARDUS Epiſ. Cameracenſis. Unde hi verſiculi

1124. Conſecratur.
Undecies centum ductis & ſex quater annis
Virginis à partu conciliante reum,
Burchardus *Præſul hæc atria nec minùs Aram*
Sacravit, medium qua tenet Eccleſiæ.

Verſiculi hi leguntur in Cathedrali in navi Eccleſiæ ad Altare hortulaniorum, quod uſque in hodiernum diem dicitur *Altare B. Mariæ ad ſtipitem*, ubi illos ex Guicciardino appingi curavit Auth. Miræus, dum anno 1625. tabula ſummi Altaris à *Franciſco Floro* juſſu *du Terne* Theſaurarii picta, ad aram illam repoſita fuerat. Ita notat Miræus *Cod. don. pia. ad cap.* 77.

Summum Altare in medio Eccleſiæ. Cum in his verſiculis *Burchardus* dicatur ſacraſſe Aram, quæ medium tenet Eccleſiæ; credendum eſt, ſummum Altare juxtà morem ævi locatum fuiſſe in medio Eccleſiæ ante Chorum ſub tholo. Mos ille jam ferè ubique exolevit, & ſummum Altare locatur in fundo chori. Interim alicubi adhuc obſervatur antiquus ille uſus. Nuper enim Leuzæ in Hannonia extructa eſt nova à fundamentis eccleſia collegiata, in qua ſummum Altare eſt in medio eccleſiæ ante Chorum.

Ad eam transmigrant. Sic igitur ſufficienter paratâ Eccleſiâ B. Mariæ, Capitulum Canonicorum ex Eccleſia S. Michaëlis, in quâ fundatum fuerat, ad eam transmigravit: transmigrando autem Præpoſitus & Canonici

nonici fundarunt *Abbatiam* ſub nomine *S. Michaelis*, dotarunt & ſpiritualibus privilegiis cohoneſtarunt. Et in primis cedunt S. NORBERTO & ſociis Eccleſiam, quam derelinquebant, cum Capellis in ejus cemeterio fundatis, nempe *S. Petri* & *S. Martini*, quarum hæc hodieque ſubſiſtit, & fortè Eccleſia *S. Mariæ Magdalenæ*, cum tribus *curtilibus* & *jugero* terræ eidem adjacentibus, ad conſtruendum amplum monaſterium.

Anno 1124.

Fundant & dotant Abbatiam.

Transferunt Eccleſiam S. Mich.

Inſuper cum duodecim eſſent Canonicorum præbendæ, quatuor ex illis eis conceſſerunt, id eſt, tertiam proventuum ſuorum partem: ſicque Norbertinos lautè dotârunt temporalibus, ut eorum ſaginarentur orationibus & bonis ſpiritualibus.

Cum fundo adjacente.

De paſtoralibus autem functionibus etiam quædam illis conceſſerunt privilegia, nempe ut in dicta Eccleſia celeberrimi temporis baptiſmus, Paſchæ videlicet & Pentecoſtes, obſervaretur; reliquo tempore reſervantes Baptiſmum Parochiano ſuo, qui hodie *Plebanus* dicitur. Extrà Paſchæ & Pentecoſten baptizare omnino commune erat hoc tempore, ut patet ex Can. 24. concilii Rotomagenſis celebrati anno 1035., in quo ſtatuerat, ut *Parvulis, quocumque tempore, quocumque die petierint, regenerationis lavacrum non negetur.*

Privilegium Baptizandi.

Inſuper conceſſerunt, ut omnibus ab illis petentibus adminiſtrare poſſent S. Communionem, ſacramentum Confeſſionis & ſepulturam, infirmos quoque viſitarent, Oleoque inungerent.

Conferendi alia ſacramenta &c.

Super his omnibus confectæ ſunt Litteræ, per quas traditio dictorum bonorum & privilegiorum peracta eſt. Quod ut pateret, HILDOLPHUS Capituli Præpoſitus, qui in illis loquitur nomine omnium Canonicorum, intitulatur in capite *Præpoſitus S. Michaelis* & in fine ſubſcribitur *Præpoſitus S. Mariæ*, Eccleſiæ nempe, ad quam

 trans-

Anno 1124. transmigrabant. Litteras illas ex Ms. refert Miræus *Cod. don. pia. cap.* 76. „ unde illas ſubjungo.

Diploma Capituli deſuper.

„ IN NOMINE ſanctæ & individuæ Trini-
„ tatis ego HILDOLPHUS PRÆPOSITUS S. MI-
„ CHAELIS in Antverpia tam futuris quam præ-
„ ſentibus in perpetuum.

„ Qualiter præfata Ecclesia noſtra ad uſus
„ Canonicorum præmonſtratenſis Ordinis tranſie-
„ rit, & quâ de causâ aſſenſus Capituli noſtri eis
„ datus fuerit, præſentis ſcripti atteſtatione noti-
„ ficamus.

„ Cum in diebus noſtris quidam TANCHELINUS
„ nomine in partibus noſtris advenifſet & venenoſo
„ ſermone à fide & ſacramentis Eccleſiæ pluri-
„ mos avertiſſet : hâc de cauſsâ ut illa hæreſis,
„ quæ provinciam noſtram occupaverat, fundi-
„ tùs extingueretur, conſilio Domini BURCHARDI
„ Epiſcopi & totius populi, & aſſenſu Capituli
„ noſtri Dominum NORBERTUM, virum noſtris
„ temporibus ſpectabilis religionis, accerſiri cu-
„ ravimus : eique ac ſuis Fratribus Regulam
„ B. Auguſtini ſervantibus, ſuamque inſtitutionem
„ exequentibus, ſupradictam Eccleſiam cum
„ Capellis in ejus cœmiterio fundatis, & tribus
„ curtilibus & jugero terræ eidem cœmiterio ad-
„ jacentibus, cum quatuor Præbendis, per ma-
„ nus memorati Epiſcopi tradidimus, circum-
„ ſpectione vigiles dignèque perpendentes, quod
„ eorum ſagenaremur orationibus & bonis ſpiri-
„ tualibus, ſi eos ſuſtentaremus beneficiis tem-
„ poralibus.

„ Nos verò, priùs numero duodecim, nu-
„ merum noſtrum in octo terminavimus Præ-
„ bendis ; & cum his & Præpoſituræ noſtræ
„ integritate ad Eccleſiam B. MARIÆ in eadem
„ Villa tranſtulimus. Ceteras verò quatuor præ-
„ bendas, per omnia eis conſimiliter participan-

„ tes,

„ tes, proprio noſtro arbitrio dedimus, excepto „ quod alodia & mancipia, quæ uſque ad hæc „ tempora Eccleſia illa poſſederat, in noſtros „ ſingulariter uſus ſegregavimus. Anno 1124.

„ Baptiſmus verò celeberrimi temporis, vide- „ licèt Paſchæ & Pentecoſtes, in Eccleſia illa „ obſervabitur : Reliquo autem tempore *Paro-* „ *chianus* noſter baptizandis providebit. Infirmos „ autem viſitare & communicare oleoque inun- „ gere, confeſſiones audire, mortuos ſepelire, „ omnibus hæc ab eis quærentibus liberè conce- „ dimus.

„ Ut autem tam præclaræ beneficentiæ fœdus „ inviolatum inter nos & ipſos ſemper perma- „ neat, hoc definitum eſt, ut quodcumque „ munus infirmus & moriens parochianus, ſive „ in terra ſive in alia ſubſtantia, cuivis Eccle- „ ſiæ aliquod obtulerit, aut pro ſe offerri inſti- „ tuerit, per medium dividatur. Quod verò „ alienus ſanus vel infirmus aut parochianus „ incolumis dederit, Eccleſia cui hoc datum „ fuerit, abſque partitione poſſideat.

„ Ipſæ verò Eccleſiæ ſedulas in invicem juges „ ſibi debebunt fraternæ caritatis orationes, in „ omnibus neceſſitatibus ſeſe ſupportantes. Pro „ commemoratione verò ſuæ libertatis utraque „ Eccleſia perſolvet cameracenſi Præſuli aureum „ nummum Antverpienſis monetæ & ponderis, „ ſingulis annis in feſto S. Lucæ.

„ Ut autem hæc rata & inconvulſa perma- „ neant, ſigilli noſtri impreſſione & teſtium ſub- „ ſcriptione, qui interfuerunt & hoc donum „ dederunt, annotari curavimus.

„ Ego Hildolphus Præpositus S. Mariæ.
„ Anselmus Canonicus.
„ Bernardus Canonicus.
„ Gisblbertus Boreas.
„ Raduardus Canonicus.

Anno 1124. „ Ovo Canonicus.
„ RADUARDUS Scriptor.
„ ROGERIUS Canonicus.
„ HILDEWINUS Parochianus.

„ Actum eſt hoc anno Verbi incarnati milleſimo centeſimo viceſimo quarto, Indictione ſecundâ, Epactâ tertiâ.

HILDEWINUS Parochianus, in hoc diplomate ſubſcriptus, eo munere adhuc fungebatur anno 1148. Unde mirùm, quod Papebrochius *Act. S. Norb. pag.* 933. *n.* 3. eum velit eundem eſſe, qui in vita S. Norberti notatur fuiſſe infamis vitæ, dum Tanchelinus inficiebat Antverpienſes; notanter cum putet hæreſiarcham illum Antverpiæ non egiſſe poſt annum ſeculi hujus nonum.

Plebani B. Mariæ ante diviſionem Plebaniæ. Cum hic ſit primus Parochianus ſeu Plebanus Antverpienſis, cujus nomen notum eſt, & veram ſeriem ſubſequentium non habeamus, lubet hìc ſubjungere nomina eorum, quos hactenùs inveni munus illud obiviſſe ante diviſionem Plebaniæ.

Hildewinus Parochianus	anno 1124. & 1148.
Nicolaus Plebanus	1231.
Onulphus	1239.
H.	1258.
Reynerus	1283.
Johannes Tuclant	1292. & 1295.
Balduinus Drake	1316 & 1319.
In favorem hujus & ſucceſſorum ejus Plebanatui iterùm unitus eſt Canonicatus	1316.
Nicolaus de Caſtro	1337.
Nicolaus Canteman	1344. & 1354.
Lambertus de Rode	1385.
Jacobus de Parys	1396.
Jacobus de Vinea *aliàs* van den Wyngaerde	1459. & 1463.
Anthonius Maſt	1479. & 1492.
Lambertus de Haerlem	1493.

Hen-

Henricus Heuvelmans 1530. Anno 1124.
Sebaſtianus Baerts 1566. & 1576.
Jacobus t'Santels per Vicariatum vocatus ad reſidentiam juxta conc. Trid. anno 1577. 30. decembris 1580.
Jacobus Pauwels S. T. L. declaratus deciđiſſe à Plebania, quia citatus & revocatus non comparuit, cui ſuffectus eſt.
Jobus Nauclerus Dordracenus 27. maij anno 1588. obiit 1591.
Egbertus Spitoldius Lib. cenſ. &c. 1595. obiit 1627.

Gaſpar Eſtrix Lib. cenſor. Poſt cujus ceſſum, (diviſâ Plebaniâ anno 1639.) fuerunt duo Plebani in cathedrali, alter regionis Aquilonaris alter meridionalis.

Qualiter redactus numerus Canonicorum.

Hildolbhus in præmiſſis litteris dicit ſubſcriptos teſtes, qui interfuerunt & donum illud dederunt, id eſt, Canonicos, qui Capitulum conſtituebant : ſubſcripti autem ſunt octo, quaſi numerus duodecim Canonicorum jam redactus eſſet ad octo, & id inſinuant verba : *numerum noſtrum in octo terminavimus prebendis.* Dubium tamen ſuggerit Diploma Burchardi Ep. datum deſuper circà idem tempus Norbertinis, quod refertur in *Chor. Abb. S. Mich. cap. II.*, in quo teſtes notantur Canonici B. Mariæ ſeptem, & omiſſis duobus *Raduardis*, additur *Lambertus de Ghand.* Supponunt aliqui numerum Canonicorum redactum tunc ad octo, per hoc quod quatuor tranſiiſſent ad Norbertinos : ſed æquè ſupponere poſſumus, quatuor jaminde obiiſſe intrà tempus, quo magnum hoc negotium fuerat in intentione ; jam enim fortè per duos annos res hæc agitata fuerat, ita ut morientibus intrà illud tempus alii ſubſtituti non ſint.

Epiſ. Cam. approbat fundationem & dotationem.

Burchardus Ep. Cam. eiſdem anno, indictione & Epactâ approbavit & confirmavit fundationem & dotationem Abbatiæ factam per Canonicos,

Anno 1124. nicos, omniaque laudavit, præterquam hæc, quæ Capitulum illis intenderat communicare, nempe: *Infirmos viſitare & communicare oleoque inungere ac confeſſiones audire*; de quibus Burchardus nullum verbum in ſuo diplomate. Originale hujus diplomatis adhuc integrum & nitidiſſimè ſcriptum adſervatur in Archivis Capituli, ex quo illud integrum ſubjungo exceptis paucis verbis, quæ abſoletis litteris diſtinctè legere non potui, quæque ex Miræo ſupplevi & diſtinctis caracteribus poſui inter ſigna ( ). In eo autem diplomate recenſet Epiſcopus Privilegia anteà à ſe Capitulo collata.

Nota uſum diphtongorum æ & œ hoc tempore.

Prænotandum autem, quod hoc tempore adhuc in uſu eſſent diphtongi æ & œ, quod poſt hoc ſeculum uſque ad ſeculum XVI. in nullis originalibus obſervavi. In hoc enim originali diplomate obſervo unum formatum æ: reliquæ diphtongi notantur eo modo, quo multi hodie eas notant in manuſcriptis, ponentes ſub ſimplici e quandam virgulam: virgula autem, quæ in hoc originali ponitur, ſimilis eſt ſigno, quo notantur commata in impreſſis (,). Hinc in ſubjuncto dicto diplomate loco e ſic notatæ ponitur æ vel œ: pro illis verò, quæ ſic non notantur, vel quæ ex productionibus abbreviationum poni deberent diphtongi, ponitur ſimplex e, ut appareat, quæ in hoc diplomate ut diphtongi notantur.

Diploma Ep. deſuper.

Ex Archivis Capituli.

„ IN NOMINE PATRIS & FILII, qui eſt „ veritas, & SPIRITUS SANCTI, qui eſt ambo„ rum caritas. BURCHARDUS divinâ miſera„ tione Cameracenſium Epiſcopus tam futuris „ quàm preſentibus in perpetuum.

„ Pontificalis ſollicitudinis & compenſativæ diſ„ penſationis eſt, à Nobis ſeu ab āliis benè geſta, „ quando oportunum fuerit, altiùs promovere, & „ promota, ut permaneant, firmâ ſanctione ſolidare.

„ Ea

„ Eapropter Antwerpenſem Æccleſiam, qua- Anno 1124.
„ liter ad uſus duodecim Canonicorum libertati
„ donavimus, & poſtmodum ad altius per
„ divinam inſpirationem ſublimavimus preſentis
„ paginæ atteſtatione notificamus.

„ Sanè prioris fundationis & libertatis privile- *Anni* 1117.
„ gium hujuſmodi eſt.

„ Cum in Æccleſiaſte ſcriptum ſit: *ſi bene fece-*
„ *ris, ſcito cui feceris, & erit gratia in bonis*
„ *tuis multa*; Nobis, qui in ſpecula poſiti ſu-
„ mus, obnixiùs eſt perpendendum, nè eroga-
„ tionis noſtræ gratia illicitâ largitione deroge-
„ tur.

„ Igitur Æccleſiis, quibus preſumus, in poſte-
„ rum providentes, Perſonarum noſtrorum con-
„ ſilio, hortatu etiam & petitione Dni GODEFRIDI
„ glorioſi Lotharingiæ Ducis Æccleſiam Sti MI-
„ CAHELIS quæ eſt Antuuerpiæ, hactenùs unius
„ Perſonæ inveſtitione & parrochialis Presbiteri
„ ſervitio contentam, cum appendiciis ſuis, Ca-
„ pellâ ſcilicèt Stæ WALTBURGIS, quæ eſt in
„ eodem Burgo & Capellâ de LINLO & BEREN-
„ DRECHT & ORTHEREN & omnibus quæ infrà
„ ambitum prefatæ Parrochiæ continentur, ad
„ uſus Canonicorum in eadem ſervientium, ma-
„ numittimus.

„ PERSONARUM quoque ſubſtitutiones & quaſ-
„ libet exactiones, ſoluto quotannis in feſtivitate
„ Sti Lucæ Nobis & ſucceſſoribus noſtris Stæ
„ Mariæ Cameracenſis Æccleſiæ Epiſcopis cano-
„ nicè ſubſtitutis à prefâta Æccleſia pro libertatis
„ ſuæ memoria auro Biſantio, excluſo cætero
„ pontificali debito, interdicimus. Eo quidem
„ tenore, ut Prepoſitus cum duodecim Canonicis
„ ibidem in preſenti ſtatuatur.

„ Nos verò, Æccleſiæ noſtræ dignitatem ca-
„ nonicè conſervantes, decernimus, ut à Cano-
„ nicis Prepoſitus canonicè electus, Nobiſque
„ ſeu

Anno 1124. „ ſeu ſucceſſoribus noſtris preſentatus curam Ca„ nonicorum de manu noſtra ſuſcipiat, & Nobis „ more Prepoſitorum prefatæ Cameracenſis Æc„ cleſiæ debitam obedientiam impendat.

Anno 1120. „ Ad hanc ergo Canonicorum inſtitutionem „ perpetuò muniendam, eandem ligandi atque „ ſolvendi poteſtatem, quam mater noſtra Ca„ meracenſis Æccleſia in pervaſores ſuos habet, „ ſepefatæ Sti MICAHELIS Æccleſiæ in male„ factores ſuos concedimus: & ut Presbiteri „ parrochialis à Prepoſito & Canonicis ſubſtituti „ curam à Nobis ſeu miniſtris noſtris recipiant, „ decernimus.

„ Ut autem libertate à Nobis traditâ Canonici „ inibi ſubſtitui poſſent, prefatus Dux duas „ partes manipulorum decimæ, quæ ad Antuuer„ piam & ejus ambitum pertinent, quas à pre„ deceſſore ſuo illuſtris memoriæ GODEFRIDO „ Duce & poſtea Jheroſolimitano Rege Sti MI„ CAHELIS Æccleſiæ traditas minùs juſtè ſubtraxe„ rat, eidem Æccleſiæ recognovit (*& conceſſit*) „ & ut noſtri decreti auctoritate firmarentur, „ impetravit.

„ Evoluto autem non multo tempore Clerici „ prefatæ Æccleſiæ ſancti MICAHELIS ſenſatâ „ circumſpectione vigiles, digneque perpenden„ tes, quod eos quorum ſuſtentarentur carnali„ bus, ſaginare deberent ſpiritualibus: nam eos „ hereſiarchæ TANKELMI venenoſus ſermo in„ fecerat: ad ſe Fratrem NORTBERTUM, „ virum noſtris temporibus ſpectabilis religionis „ accerſire curaverunt, eique ac ſuis Fratribus „ regulam beati AUGUSTINI ſervantibus, ſuam„ que inſtitutionem exequentibus per noſtras ma„ nus Æccleſiam ſupradictam, quam à Nobis „ ſuſceperant, cum Capellis in ejus cimiterio „ fundatis & tribus curtilibus & jugero terræ, eidem „ cimiterio adjacentibus, contradiderunt.

„ Ipſi

„ Ipſi verò priùs numero duodecim numerum „ ſuum in octo terminaverunt, & ſe cum octo „ prebendis & Prepoſituræ ſuæ integritate ad „ Æccleſiam beatæ Mariæ tranſtulerunt. Reliquas „ verò quatuor prebendas, per omnia ſuis con„ſimiliter participantes ſub noſtræ auctoritatis „ confirmatione tradiderunt; excepto quod allo„dia & mancipia quæ uſque ad hec tempora „ Æccleſia illa poſſederat in ſuos ſingulariter uſus „ ſegregaverunt. Anno 1124.

„ Baptiſmus verò celeberrimi temporis videlicet *Paſcæ* & *Pentecoſten* in utraque obſervabitur Æccleſia: reliquo autem tempore Parrochianus ſacerdos ſanctæ Mariæ baptizandis providebit.

„ Sepeliri quoque defunctos in utriuſque Æccleſiæ cimiterio licebit.

„ Ut autem tam preclaræ beneficentiæ fœdus „ (*inviolatum inter ipſos*) ſemper permaneat, „ hoc diffinitum eſt, ut quodcumque infirmus & „ moriens Parrochianus, ſive in terra ſeu in alia „ ſubſtantia (*cuivis Eccleſiæ*) obtulerit aut pro „ ſe offerendum inſtituerit, per medium dividatur. „ Quod verò alienus, ſanus vel infirmus, aut „ parrochianus incolumis dederit, Æccleſia, cui „ hoc datum fuerit abſque partitione poſſideat.

„ Nec (*minus utramque Æccleſiam integrâ*) & „ parili libertate donamus. Ipſe verò Æccleſiæ, „ ſeclusâ in invicem omni exactione juges ſibi „ debebunt fraternæ caritatis orationes, in om„nibus neceſſitatibus ſeſe ſupportantes: pro „ commemoratione verò ſuæ libertatis utraque „ Æccleſia perſolvet Cameracenſi canonico & „ catholico Preſuli aureum nummum Antwer„penſis monetæ & ponderis ſingulis annis in „ feſto S. Lucæ, priori dimiſſo debito.

„ Quæcumque igitur Pontificum ſeu Principum „ largitione, immo quorumlibet catholicorum

„ colla-

Anno 1124. „ collatione, memoratis Æccleſiis oblata ſunt vel „ ulterius conferentur, hujus noſtri decreti munimento eiſdem ad uſus, ut dictum eſt, Canonicorum aſſignamus.

„ Nè qua verò canonica ſecularisve perſona „ proceſſu temporum in hanc noſtri Decreti paginam ſpiritu calumpniæ moveatur, collatâ „ conſervatoribus pace, in pervaſores, quoad „ reſipuerint, anathematis exterminium promulgamus atque noſtrâ ſubſigillatione & canonica „ aſſtipulatione confirmamus.

„ S. *Erlebaldi* Prepoſiti. S. *Johannis* Archidiaconi. S. *Radulfi* Archidiaconi. S. *Anſelmi* Archidiaconi. S. *Anſelmi* Prepoſiti. S. *Widonis*. „ S. *Roberti*. S. *Gerardi* Capellani. ſignum *Oitardi* Decani. S. *Hugonis*, *Heriberti* Canonicorum.

„ Actum eſt autem hoc anno incarnati Verbi „ MCXXIIII. indictione II. epacta III. Preſulatûs Domini BURCHARDI nono. Ego *Werinbaldus* Cancellarius ſcripſi & recenſui.

Simile diploma datum S. Norberto & ſociis. Simile diploma Burchardus eodem tempore dedit NORBERTO & ſociis, ut ipſis foret teſtimonium ceſſionis Canonicorum & confirmationis Epiſcopi. Refert illud Auctor *Chori* apud Sanderum *cap. II.* dicitque originale aſſervari in Archivis S. Michaëlis, quod ſi verum ſit, certè in eo, ſicut in diplomate dato Canonicis, legitur *Tankelmi* & non *Tanchelini*, prout ſcribit Auctor. Illud autem diploma ſimile eſt jam relato, niſi quod omiſſa ſint omnia, quæ concernunt privilegia anteà Capitulo collata, & in hoc teſtes adhibiti ſint & ſubſcripti plures Canonici B. Mariæ. Inſuper in eo leguntur verba hæc, quæ in præmiſſo non leguntur: *Infirmos autem viſitare & oleo inungere, confeſſiones audire, mortuos ſepelire utriſque Canonicis in propriis cœmiteriis omni tempore licebit.* Hic omnia videtur Epiſcopus con-

confirmare Norbertinis, quæ Hildolphus Præpoſitus & Canonici ipſis in ſuis litteris conceſſerant, excepto *communicare*; niſi fortè dicatur omnia illa reſtricta eſſe per voces *in propriis cœmiteriis*: ut Norbertinis conceſſum ſit, illa adminiſtrare omnibus in domo ſua ſibi ſubjectis; ſicut Canonici B. Mariæ illa adhuc hodie per ſuum Decanum adminiſtrant omnibus Capitulo ſubjectis: ita ut extrà cemeteria, in quibus tunc omnes ſubjecti habitabant, illa adminiſtraret Parochianus ſeu Plebanus. Anno 1124.

Interim res hæc contentionem diuturnam excitavit, præcipuè circà viſitationem & inunctionem infirmorum, contendentibus Canonicis B. Mariæ illa Norbertinis non licere extrà cemeterium, Norbertinis contendentibus ea ſibi licere omnibus petentibus, donec tandem Lietardus Epiſcopus Cam. in Diplomate ſuo dato anno 1135. in favorem Capituli deciderit, quod *Curare infirmos & oleo inungere, niſi qui in ſua vita habitu inveniuntur, fratribus S. Michaëlis non licebit*. Norbertini hâc definitione non contenti, deſuper dein egerunt apud *Nicolaum* Ep. ſucceſſorem *Lietardi*, qui diplomate ſuo anni 1148. ad concordiam inter utroſque hæc deſuper dicit: *Canonici .... poteſtatem .... infirmos viſitandi oleoque ſacro inungendi ac mortuos ſepeliendi, ſine contradictione eis concedentes: ſic tamen ut Parochiali ſacerdoti de inunctione infirmorum intimetur, nè fortè excommunicati ipſo ignorante inungantur, & ipſe ſi velit interſit.* Refert hoc diploma auctor dictæ *Chor. ibidem*; ubi & addit mutilam Bullam *Eugenii PP. III.* in qua dicta concordia confirmari videtur. Quid autem inde factum ſit, aut an conditio illa de præſentia parochi placuerit, neſcitur; quia ultrà deſuper nihil legitur.

Diſſentio circà viſitationem & unctionem infirmorum.

Ex præmiſſis concludit Papebrochius *Act. S. Norb.*

An Norbertinis aſſignati

Anno 1124. ſint limites parochiæ.

Norb. pag. 935. *n.* 11. & 18. Parochiam Antverpienſem bipartitam fuiſſe, limiteſque deſignatos fuiſſe parochiæ S. Michaëlis tamquam diſtinctæ à Parochia B. Mariæ: *Quamquam*, inquit, *ex præmemorata Burchardi conſtitutione factum ſit, ut... Antverpienſis parochia bipartita cenſeretur* (*hoc enim indicant* Parochianus & Alienus *inter ſe condiſtincti, iſtic ubi agitur de utriuſque partis ſepulturis*) *manſit tamen prærogativa aliqua ordinis, ſaltem naturalis, penès Canonicos B. Mariæ.* Et n. 18. *Quidquid modo cenſetur ſub parochia S. Andreæ, & tunc etiam ad Burgum Antverpienſe ſpectabat, licèt muris necdum incluſum, S.* Michaëlis parochia *dici cœpit fuitque; donec Præmonſtratenſibus placuit paſtorales curas intra civitatem deponere, eaſque reſtituere Canonicis marianis, adminiſtrandas à Parocho, quem illi conſtituerent ad S. Andreæ, quod anno MDXXIX. factum eſſe docent Adriani VI. Litteræ apud Scribanium... Etiam explicabimus, quomodo Michaelitica parochia ſuburbana, ultra Cronebergum uſque in Kilam ſecundùm Schaldim porrecta, anno* 1563. *propriam Eccleſiam parochialem acceperint.*

Ita Papebrochius aſſignat Norbertinis propriam parochiam ejuſdemque limites, idque unico fundamento, quod fiat diſtinctio inter *Parochianum* & *Alienum*: quaſi per Parochianum non poſſet intelligi parochianus Antverpienſis & per Alienum peregrinus aut advena ex pagis vel civitatibus circumjacentibus: prout patebit intelligi debere ex Concordatis cum aliis Religioſis, infrà referendis.

Interim in præmiſſis fundationis Litteris, nulla fit mentio parochiæ nec limitum, quod tamen indubiè factum fuiſſet, ſi determinati fuiſſent limites. Et contrarium ſatis inſinuatur; quando agitur de viſitatione & inunctione infirmorum ac ſepultura, dicitur enim quod illa adminiſtrare poſſent *omnibus hæc ab eis quærentibus*: jam

autem

autem ſi limites deſignati fuiſſent, omnes intrà limites habitantes, non debuiſſent requirere, ſed de jure ſepulti fuiſſent in ſua parochia. Anno 1124.

Inſuper inſinuat Papebrochius, Parochiam illam S. Michaëlis duraviſſe uſque ad annum 1529. quando, inquit, Præmonſtratenſes curas paſtorales reſtituerunt Canonicis adminiſtrandas à Parocho, quem inſtituerent ad S. Andreæ. Jam autem anno 1304. erecta fuit Parochia S. Georgii, ſub qua totus vicus *het Kiel* uſque ad veterem portam Cronoburgicam, quæ propinqua erat monaſterio S. Michaëlis; & in illius erectione nulla facta eſt mentio ademptionis alicujus termini à Norbertinis. Imò in erectione Parochiæ S. Andreæ, omnia illi aſſignata deſumpta ſunt à Parochia S. Mariæ; & ipſa Abbatia in Litteris deſuper confectis & infrà ſuo loco referendis, reſervata eſt Parochiæ S. Mariæ: ſignum eſt, quod anteà ſemper ſub ea reputata fuerit, & numquam fuerit parochia nec limites habuerit. Quod autem ſolemne baptiſmum habuerit, illud indubiè illic conceſſum fuit in memoriam, quod Eccleſia illa quondam fuiſſet unica parochialis. Cæterùm quod Præmonſtratenſes non habuerint limites nec parochiam, conſtat ex clariſſimis verbis *Liëtardi* Ep. Cam. in diplomate ſuo anni 1135., quod ex Ms refert Miræus *Dipl. Belg. lib. I. cap.* 55. in quo de Canonicis B. Mariæ ſic dicit: *in quorum diſpoſitione ex dignitate & tenore prioris libertatis tota Antwerpenſis pendebat & pendet Parochia.*

Dum transmigrabat Capitulum Canonicorum ad B. Mariæ, ſimul illuc tranſlatus eſt pretioſiſſimus theſaurus, ſacrum Chriſti PRÆPUTIUM, quod à decem annis ad eccleſiam S. Michaëlis è Paleſtina allatum erat & ſolemniſſimè exceptum. Transfertur S. Chriſti Præputium.

Canonici in Litteris teſtimonialibus de veritate hujus Theſauri, datis anno 1410. infrà ad illum annum ex originali referendis, narrant

Anno 1124. miraculum; quod accidit in Viſitatione cujuſdam Epiſcopi Cameracenſis. Quidni ſupponamus illud accidiſſe in hac prima Burchardi Viſitatione. Verba ſic ſonant.

Miraculum in Viſitatione Epiſcopi.

„ Contigit equidem dudum venerabilem Pa„trem & Dominum noſtrum Cameracenſem, „Paſtoralis ſollicitudinis more eccleſiam noſtram „viſitare. Hic celebraturus inter miſſarum ſua„rum ſolempnia ſacroſanctum Domini Prepu„tium, de quo ſermonem vobis facimus, pre„ſentialiter ſibi afferri & Corporali, quo ute„batur, ſuperponi preſtolabatur; ut idipſum „cum metu & reverentia valeret aſpicere.

„ Cujus devote petitioni, dum Predeceſſores „noſtri, qui pro tempore aſtabant, juſtè an„nuerent, indictis tamen priùs populo per eun„dem orationibus communibus, dum & ipſe „intrà miſſe ſue ſecreta orat, ſi fortè Dominus „eidem ſignum aliquod mittere dignaretur. Mira „res! Ecce ex prefato Domini PREPUTIO in „Corporale, cui impoſitum fuerat, tres ſan„guinis guttulas, que in hoc uſque evi appa„rent & permanent, ſtupens conſpicit reſu„daſſe, ſtatimque totum circa rem hanc, ſi „quid inheſerat dubietatis vulnus, de ejus pecto„re preputatum eſt: orabat tamen pœnitentiâ „ductus pius Pater Dominum, populumque „pro ſe orare fecit, veritus, ſi fortè in hac re „Deum temptandi vitium ullatenùs incurriſſet."

Si verum ſit, miraculum illud accidiſſe hoc tempore; quis dubitat, quin plurimum contribuerit ad eradicandos ex animis ſeductorum civium omnes Tanchelinianos errores.

S. Norbertus ſuos, quos Antverpienſes ſeligunt, collocat in S. Michaëlis.

Fundatione & dotatione ſic completis S. NORBERTUS de aſſenſu totius populi collocavit in S. Michaëlis quoſdam Ordinis ſui Religioſos, quos Canonici B. M. ex omnibus ſelegerant: id indicat NICOLAUS Ep. Cam. in Diplomate dato

dato anno 1148. dicens : *Norbertus... quoſdam Religionis ab eo ordinatæ executores ſub optione Canonicorum & totius populi aſſenſu, ordinante præfato Epiſcopo, in Eccleſia S. Michaëlis collocavit.* Quot autem ibidem primò inſtituti ſint, neſcitur; aliqui putant fuiſſe duodecim. Interim illi, Godefrido Barbato Marchione noſtro liberaliter conferente pro conſtructione monaſterii, ut aſſerit Haræus *Annal. Duc. Brab. ad an.* 1139., tam bona fundamenta jecerunt, ut facilè & brevì excreverit Abbatia illa ad ſummum ſplendorem. Anno 1124.

Tranſierunt itaque Canonici ad ECCLESIAM B. MARIÆ, & in ea ſedem fixerunt uſque in hodiernum diem, quo videmus eam excreviſſe in magnificentiſſimum templum tum mole tum pretioſis ornamentis, & factam Cathedralem.

Cumque per ſedem Capituli eccleſia illa jam facta eſſet unica Collegiata & Parochialis, BEATA MARIA, cui ab antiquo dicata erat, aſſumpta eſt in PATRONAM & Tutelarem totius civitatis ſub titulo *Aſſumptionis*. Non immeritò autem Patrocinio hujus virginis, quæ, ut canit Eccleſia, *cunctas hæreſes ſola interemit*, adſcribitur, quod Antverpia hucuſque tam fideliter ſteterit in fide catholica, & quod pietas in ea continuò excreverit in tantum, ut ipſa civitas videatur eſſe templum Dei. B. MARIA Patrona civitatis.

Inprimis enim in ipſa Civitate cum parvo ſuburbio hodie videntur ultrà ſeptuaginta loca ſacra. Ad Capitulum, quod hodie eſt Cathedrale, acceſſit Capitulum collegiale in S. Jacobi. Ultrà Parochiam Cathedralis, quæ diviſa eſt inter duos Plebanos, in ipſa civitate ſunt quatuor Parochiales, ſcilicèt S. Jacobi, S. Walburgis, S. Georgii & S. Andreæ; inſuper una in Arce D. Jacobo ſacra, & duæ in ſuburbio S. Willibrordi & S. Laurentii. Incrementum pietatis Antverpiæ. Parochiæ.

Anno 1124. Monaſteria Virorum.

Ultrà Abbatiam S. Michaëlis & Benedictinos commorantes in Cella D. Mauri, acceſſerunt Abbatia Ciſtercienſium in S. Salvatoris, vulgò *Peer-Pots*, & duodecim virorum Monaſteria: ſcilicet Bogardi, Prædicatores, Alexiani, Minoritæ, Carmelitæ, Jeſuitarum collegium, Capucini, Auguſtiniani, Jeſuitarum domus profeſſa, Carmelitæ excalceati, Minimi, Carthuſiani. Tria Collegia, Seminarium Epiſcopale, Seminarium Hibernorum & Convictus Jeſuitarum.

Monaſteria Monialium.

Poſt monaſterium Norbertinarum, quod cum Norbertinis cœpit & diu hic non ſubſtitit, acceſſerunt novemdecim Monialium monaſteria. Nempe Hoſpitalariæ Noſocomii & Leproſarii, Victorinæ, Sorores Albæ & Nigræ, Clariſſæ, Tertiariæ, canonicæ regulares Facontinæ, Thereſianæ Hiſpanicæ & Anglicæ, Dominicanæ, Luythagen, Annuntiatæ, canonicæ regulares ex Ooſtmal, Norbertinæ, Capucinæ, Sorores Griſeæ, Urſulinæ & tandem canonicæ regulares ex Walewyk ſub titulo Nazareth. Inſuper habetur amplum Begginagium & quatuor congregationes filiarum Devotarum, quæ meritò monaſteriis accenſentur: ſunt autem Marollæ, duæ domus Apoſtolinarum & ſchola D. Terlinck.

Capellæ & pia loca.

Ultrà videntur in ipſa civitate viginti duæ Capellæ & tres in ſuburbio, ac quadraginta ſeptem piæ Domus vulgò *Goedtshuyſen*, quibus proviſum eſt pauperibus. Singulare inſuper in his regionibus inſtitutum Eleëmoſynariorum & ſplendidæ Confraternitates inter incrementa pietatis meritò conſiderantur. Horum autem omnium, quantum licebit, origines in ſequentibus exhibebo.

Pietas in publicis locis.

Non in his autem ſolum locis contineri potuit Antverpienſium pietas, ſed & in publico ſeſe oſtendit: unde in plurimis locis publicis magnificæ videntur erectæ Cruces, vel ære publico,

blico, vel pietate & liberalitate vicinorum. In ſingulis platearum concurrentiis & portis civitatis expoſitæ videntur ſumptuosè ſculptæ Divæ virginis aut aliorum ſanctorum Imagines; imò vix ulla civium domus, quin introeuntibus ſtatim in conſpectum veniat Imago hujus Deiparæ. Anno 1124.

Sic, inquam, ſtetit fides, ſicque tempore ſex ſeculorum accrevit Antverpienſium pietas ſub patrocinio potentiſſimæ COELORUM REGINÆ: & non dubitamus quin ſtet in perpetuum inconcuſſa fides, & pietas ſub ejus patrocinio continuò augeatur, ſi modo fiducia & zelus colentium eam non flacceſcat.

Norbertus, cum per ſe & ſuos Antverpienſes ab erroribus Tanchelinianis reduxiſſet, &, poſt acceptatam à Canonicis Antverpienſibus fundationem & dotationem prædictas, ſuos in S. Michaëlis cum ſalutaribus monitis collocaſſet, præpoſito eis ven. viro *Waltmanno*, deſiderans ordini ſuo procurare pontificiam approbationem, quam necdum habuerat (habuerat enim hactenùs tantùm approbationem Legatorum CALISTI Papæ *Petri Leonis* & *Gregorii* Cardinalis S. Angeli) Romam ad HONORIUM PP. II. tendit anno 1125. Et ab eo dictam confirmationem obtinuit anno ſequenti, ut patet ex Bulla deſuper data 16. februarii 1126., quæ refertur *Bibl. Præm. pag.* 392. Pontifex in ea confirmat Inſtitutum in generali, & in particulari octo Abbatias, quæ ultrà Præmonſtratenſem jaminde fundatæ erant: ſine præjudicio tamen juriſdictionis Epiſcoporum, in quorum diœceſibus fundatæ erant. 1125. Proſecutio vitæ S. Norberti. Obtinet confirmationem ordinis à Pontifice.

Rediens Norbertus venit Præmonſtratum, dein in Germaniam tendit. Cumque ſpiram veniſſet, convenerant illuc deputati cleri & populi ad eligendum coram Rege LOTHARIO Archiepiſcopum Magdeburgenſem. Norbertus, cujus fama Eligitur Archiepiſcopus Magdeburgenſis.

 jam

Anno 1125. jam percrebuerat, eligitur acclamantibus omnibus. Rex conſentit & Nuntius apoſtolicus electionem approbat. Ducitur Magdeburgum ingrediturque nudis pedibus; deducitur in palatium, *ſed*, inquit Auctor Vitæ cap. 15. *n.* 90. *ut pauper, paupere amictus pallio, aliis introeuntibus repellitur non agnitus ab oſtiario: dicebat quippe oſtiarius illi: alii pauperes jam diu intromiſſi ſunt; non decet, ut te ingeras importunè, comprimens horum Principum multitudinem. Exclamabant autem qui ſequebantur hæc dicentes: Miſer, quid agis? Sine miſer: quid eſt quod feciſti? Nunquid non noſti, quia hic eſt Epiſcopus noſter & Dominus tuus? At ille quam citò retrò latitans fugiebat, patre Norberto eum revocante & ſubridendo dicente: Nè timeas & nè fugias, mi frater; meliùs enim me noſti & clariori oculo intueris quàm illi, qui ad hæc alta palatia me compellunt, ad quæ non debueram, qui tam pauper & modicus appareo, ſublimari.* Neſcitur autem, quo hâc occaſione habitu indutus fuerit Norbertus. Certè non Epiſcopali, quia ſic notus fuiſſet. Si autem habitu Ordinis, certè tunc non ſic diſtinctus erat ut hodie.

Humilitas ejus.

Gubernavit Norbertus eccleſiam illam octo annis, & intereà conceſſit Præmonſtratenſibus, ut in locum ſuum alium ſibi eligerent Abbatem. Eligerunt autem *Hugonem* primum ejus diſcipulum, quem Magdeburgo ad eorum regimen miſerat. Similiter conceſſit aliis Abbatiis, & Antverpiæ electus eſt *Waltmannus*, quem illis primò præfecerat. Abbates ſic de conſenſu S. Norberti electi & inſtituti Mitrâ non utebantur. *Horum autem omnium*, inquit Henſchenius Act. S. Norb. pag. 853. notâ e, *ea moderatio fuit, ut acceptâ benedictione pontificaliter officiantes annulo eſſent baculoque contenti; licèt Benedictini paſſim & Mitrâ & Chirothecis uterentur. Quæ ne*

Concedit Abbatiis ut eligant ſibi Abbates.

Waltmannus primus in S. Michaelis Abbas.

Sine Mitra.

nè paulatim à ſuis aſſumerentur, *conſenſerunt Præmonſtratenſes*, *ut ſupplicaretur apud Innocentium III. quatenùs ipſis talem uſum interdiceret*, *ſicut & interdixit iv. idus Maij* 1198., nè *ſcilicèt* forſan ex ipſis *quiſpiam* ſupercilium elationis aſſumat vel ſibi videatur ſublimis, cum iis uti ſe viderit, quæ Pontificibus & majoribus eccleſiarum Prælatis à ſede apoſtolica ſunt conceſſa. *Quæ tamen prohibitio poſteà fuit relaxata juſtis haud dubiè de cauſis.* Ita Henſchenius. Abbates autem S. Michaëlis uſum mitræ demùm obtinuerunt anno 1459., trecentis triginta quinque annis poſt fundationem Abbatiæ, ut infrà dicetur. Anno 1126.

Anno 1129. Norbertus Magdeburgi in Eccleſia B. Mariæ loco Canonicorum Religioſos ſui Ordinis inſtituit. Litteræ ejus deſuper referuntur *Dipl. Belg. tom. IV. p. III. cap.* 24. Anno 1133. Romam profectus eſt cum Rege Lothario, qui ibidem Imperator coronatus eſt 6. julii. Inde reverſus laboribus fractus & meritis plenus poſt morbum quatuor menſium Magdeburgi obdormivit in Domino 6. junii 1134. Moritur S. Norbertus.

S. Norbertus, licèt meritis plenus & miraculis clarus, quinto demùm poſt obitum ſeculo, anno nempe 1582., in Beatorum catalogum relatus eſt per Gregorium PP. XIII.; qui tunc Ordini Præmonſtratenſi conceſſit feſtum ejus annuè 6. junii celebrare ſub ritu duplici cum Octava. Ita cenſet Benedictus PP. XIV. *de ſervorum Dei beatificatione &c. tom. I. lib. I. cap.* 41. Urbanus autem PP. VIII. feſtum ejus inſeruit Breviario & Miſſali Romano de præcepto colendum ritu ſemiduplici. Clemens PP. X. verò decreto 7. ſeptembris 1672. ſtatuit, ſub ritu duplici ejus officium impoſterum recitandum ab omnibus, qui ad horas tenentur. Quæ, ut ait Benedictus XIV., rationem habent Canonizationis. Cultus ejus.

Anno 1126. Inde factum eſt, quod notat Bollandus in præfatione Tom. III. febr. pag. x., ubi dicit: „Norbertus… in Clivia ciſrhenana… natus, „ſolus Belgarum ſanctorum officio Eccleſiaſtico „in Breviario Romano per totum orbem chriſ„tianum celebratur." Bollandus certè Belgio ciſrhenano non annumerabat Coloniam, in qua natus erat S. Bruno fundator Carthuſianorum.

Per totum orbem.

Antverpiæ. Præmonſtratenſes autem deinceps concedente Pontifice celebrant feſtum ejus 11. julii cum octava: quo die, ſi incidat in Dominicam, aliàs dominicâ infrà Octavam, Præmonſtratenſes Antverpienſes ſolemnem ducunt Proceſſionem per varias plateas civitatis. Inſuper Dominicà primâ poſt Octavam Corporis Chriſti celebrant commemorationem triumphi S. Norberti de hæreſi Tancheliniana cum Proceſſione per minorem circulum.

1127. Norbertinæ fundatæ. Cum S. Norbertus Ordinem ſuum inſtituiſſet pro utroque ſexu, Antverpiæ ad Abbatiam S. Michaëlis junctum fuit cœnobium ſororum *Norbertinarum*, & earum primam mentionem habemus in Diplomate Lietardi dati an. 1135. Erectum eſt autem in cemeterio S. Michaëlis ad Capellam ſeu Eccleſiam *B. Mariæ Magdalenæ*, quæ ipſarum fuit: Cœnobium autem dictum eſt *Foſſatum*, ut dicit Le Roy *Not. Mach.*, ideò fortè, quod foſſis cinctum eſſet & ſejunctum à monaſterio religioſorum. Quo autem præcisè anno erectum ſit, neſcitur: veroſimile interim eſt, cœpiſſe conſtrui, ſimulac neceſſaria pro fratribus conſtructa eſſent. Hoc primum eſt cœnobium monialium, quod hìc ſubſtitiſſe ſcitur. Diu autem in dicto loco non ſtetit, ut infrà dicetur.

1130. Abbatiæ prognatæ ex S. Michaëlis. Abbatia S. Michaëlis cum ſibi providiſſet, etiam Ordini providere & tamquam fœcunda mater filias ſibi non abſimiles procreare cœpit.

Sexto

Sextò vix poſt fundationem ſuam anno, id eſt circà an. 1130. è ſuis miſit Tongerloum, qui ibidem erigerent Abbatiam, quæ an. 1133. per BURCHARDUM Ep. Cam. ad preces *Waltmanni* Antverpienſis & *S. Bernardi* Claravallenſis Abbatum confirmata & privilegiis dotata fuit. Diploma refertur apud Sanderum *Brab. illuſ. tom. I. pag.* 318. Circà idem tempus è ſuis miſit *Averbodium*, qui ibidem erigerent Abbatiam, quæ anno 1139. per Pontificem approbata fuit. Bulla refertur *ibidem pag.* 288. Abbatiæ hæ hodieque ſubſiſtunt in ſplendidiſſimo ſtatu. Anno 1130. Tongerloenſis. Averbodienſis.

E ſuis etiam miſit in Zelandiam, qui *Middelburgi* fundarunt Abbatiam B. M. V., quæ per PIUM PP. IV. pro dote unita eſt Epiſcopatui middelburgenſi, & poſtmodum mutatâ religione per Orangium converſa fuit in Curiam Statuum Zelandiæ: quando Religioſi fugati plerique Antverpiam venerunt ad Abbatiam, unde prognati erant. Ex illis autem unus *Matthæus Irſelius* anno 1614. æt. 72. creatus eſt Abbas S. Michaëlis. Middelburgenſis.

Jaminde agitabantur contenſiones inter Capitulum Antverpienſe & Abbatiam S. Michaëlis ab eo fundatam, ortæ primò ex differentia inter Burchardi diploma datum Capitulo & diploma datum Abbatiæ circà communionem & unctionem infirmorum; unde etiam contenſiones aliæ circà oblationes & funeralia ſecutæ ſunt. Hinc Capitulum timens, nè contenſiones illæ ulteriùs producerentur, recurrit ad Imperatorem & ad Epiſcopum Cam., ut contenſiones præſentes terminarent & futuras prævenirent. 1133. Contenſiones inter Capitulum & Abb. S. Michaëlis.

Et inprimis conſiderans fundationes, quas poſſidebat, factas eſſe cum reſpectu ad Eccleſiam S. Michaëlis, bonaque ſibi data eſſe ſub eodem reſpectu; in hanc V. G. formam *dono Eccleſiæ B. Michaëlis ad uſum fratrum ſeu Canonicorum ibidem* 1134. Imperator confirmat tranſlationem bonorū ad B. Mariæ.

Anno 1134. *ibidem ſervientium*; timens ex ea parte cavillationes malignantium, à quibus hactenùs non fuerant liberum, recurrit cum Epiſcopo ad Imperatorem ſupplicans, quatenùs tamquam ſupremus dominus fundationes & bona conceſſa cum reſpectu ad eccleſiam S. Michaëlis ipſi confirmet & aſſignet cum reſpectu ad Eccleſiam B. Mariæ. Imperator, qui agebat Aquis-grani, inſtinctu RICHINZÆ Imperatricis, & ad petitionem *Rathwardi*, qui erat Curiæ Imperialis Capellanus & vices gerebat Cancellarii Metenſis, petitum conceſſit per diploma datum 1. Januarii 1135. quod ſubjungo ex copia authentica confecta anno 1490. & adſervata in Archivis Capituli.

1135. Diploma ejus deſuper. *Ex Archivis Capituli.*

„IN NOMINE ſancte & individue Trinitatis „LOTHARIUS divinâ favente clementiâ tertius „romanorum Imperator auguſtus. Cum in hiis, „que à nobis juſtè & rationabiliter petuntur, „omni petitioni condeſcendendum ſit; precipuè „exauditionis aures illis prebere debemus, quo„rum fidelitatem experti ſumus & devotio„nem.

„Adhibito itaque ſcripti noſtri teſtimonio, „tam futuris quàm preſentibus notum eſſe vo„lumus, qualiter Nos, inſtinctu dilecte noſtre „RICHINGE petitioni fidelis magiſtri *Rathwardi* „acquievimus, Eccleſiamque S. MARIE Dei „genitricis, que eſt in Burgo, qui vocatur „ANTWERP, debitâ amplectentes veneratione, „decimam omnem, que continetur à terminis „*Zantſliten* uſque *Olmeremuthen*, ab anteceſſore „noſtro felicis memorie Imperatore HENRICO „quarto illuſtri Viro, Eccleſie S. Michaëlis in „eodem Burgo collatam, cum integritate Prepo„ſiture & omnibus appendentiis ſuis prefate Ec„cleſie beate Marie aſſignamus. In qua confir„matione, priorem tenentes diſpenſationem, de„crevimus, ut quarta pars predicte decime Pre„poſito,

„ poſito, relique verò (*Fratribus ſeu Canonicis*) Anno
„ prefate Eccleſie beate Marie incommutabiliter 1135.
„ ſerviant.

„ Inviolatam itaque eſſe volentes noſtre con„ firmationis auctoritatem, precipiendo jubemus, „ ut nullus Archiepiſcopus, Epiſcopus.. Dux, „ Marchio, Comes, Vicecomes, nulla denique „ magna parvaque perſona in hiis conceſſis ſe„ piùs dictam Eccleſiam inquietare, diverſare „ aut moleſtare preſumat. Si quis autem contrà „ hoc conari preſumpſerit, centum libras auri, „ medietas Camere noſtre & medietas prefate „ componat Eccleſie.

„ Quod ut veriùs credatur & ab omnibus „ diligentiùs cuſtodiatur, preſentis decreti pagi„ nam ſigilli noſtri impreſſione notavimus. Huic „ autem confirmationi ydoneos adhibuimus teſtes: „ *Brunonem* Colonienſem Archiepiſcopum; Epiſ„ copos *Andream* Trajectenſem, *Werinberum* „ Monaſterienſem, *Alexandrum* Leodienſem, „ *Luthardum* Cameracenſem, *Adalberonem* Baſi„ lienſem; Palatinos Comites *Otthonem* & *Fride*„ *ricum*; *Adelbertum* Marchionem.

„ Signum Domni LOTHARII tertii Roma„ norum Imperatoris invictiſſimi. Ego *Bertholous* „ vice *Noelberti* recognovi.

„ Data anno Incarnationis Domini milleſimo „ centeſimo trigeſimo quinto." (*Miræus Dipl. Belg. lib. II. cap. 49. hoc diploma referens legit* tertio: *copia autem quam habui ponit* quinto, *& ſic legi debet, ut ſit annus ſecundus Imperii Lotharii, qui anno trigeſimo tertio Romæ coronatus eſt Imperator.*) „ Kal. Januarii, Indictione „ undecimâ, anno verò regni Regis LOTHARII „ nono, Imperii ſecundo. Actum Aquisgrani in „ Chriſti nomine feliciter, Amen.

Epiſcopus Cameracenſis, qui teſtis notatur in hoc diplomate, eodem anno & veroſimiliter circà

Epiſcopus determinat quæſtiones

Anno 1135. inter Capitulum & Abb, S. Michaëlis.

circà idem tempus ſuum dedit diploma, quo tranſlationem bonorum, per Imperatorem confirmatam, pontificali ſua auctoritate roborat, & diſſenſionem inter Capitulum & Abbatiam determinat, adjudicans Capitulo univerſam Antverpienſem Parochiam, & decernens quod fratribus S. Michaëlis viſitare & inungere infirmos non liceat, niſi eos, qui in vitæ ſuæ habitu inveniuntur, & aſſignans oblationes & funeralia relicta per Capitulum tum fratribus tum ſororibus. Statuit inſuper, ut ſi quis Parochianus Antverpienſis infirmus velit tranſire ad Regulam S. Michaëlis, licentiam ad hoc habere debeat à Parochiano B. Mariæ. Diploma Epiſcopi deſuper datum refert Miræus collatum cum manuſcripto *Dipl. Belg. lib. I. cap.* 55. unde illud ſubjungo.

„IN NOMINE Patris & filii & ſpiritûs ſancti „LIETARDUS divinâ favente clementiâ Cameracenſis Epiſcopus, omnium tam futurorum quam „præſentium generationi in perpetuum. Quia com„miſſis nobis Eccleſiis vigilanti curâ nos ſemper „intendere noſtræ ſaluti neceſſarium non dubi„tamus, non ſolum à prædeceſſoribus noſtris „retroacta benè diſpoſita corroborare, verùm „etiam ex rebus diſpoſitioni noſtræ conceſſis aug„mentare, noſtræ ſalvationi congruum ſperamus.

„Quapropter Eccleſiam B. Mariæ Dei Geni„tricis in Burgo Antwerpienſi ſitam, ab eccleſia „S. Michaëlis in eodem Burgo fundata, per „prædeceſſorem noſtrum BURCHARDUM Epiſ„copum, faventibus imò petentibus ejuſdem „Eccleſiæ Præpoſito & fratribus, cum integri„tate Præpoſituræ & beneficiorum, videlicet „prædiis ſeu mancipiis, quæ uſque in hæc tem„pora eccleſia illa poſſederat, necnon cum „omnibus appendiciis Capellâ ſcilicet S. Wal„burgis, quæ eſt in eodem Burgo, & Capella

„Orthe-

„ Ortheren, Berendrecht, Linlo, Zantfliet” (*hæc in diplomate Burchardi non nominatur*) „ atque omnibus, quæ infrà ambitum præfatæ pa-„ rochiæ continentur, decimis, tranſlatam, nos „ quoque, ſicut prædictus prædeceſſor noſter ordi-„ navit, approbantes, noſtræ auctoritatis teſti-„ monio confirmamus. Anno 1135.

„ Decretum eſt ſiquidem in priori memorati „ Pontificis privilegio, ut Præpoſitus eccleſiæ S. „ Mariæ, à fratribus canonicè electus, canonico „ & catholico Cameracenſium Epiſcopo præſen-„ tatus, curam Canonicorum de manu ipſius „ ſine contradictione ſuſcipiat, & more Came-„ racenſium Præpoſitorum debitam ei obedientiam „ exſolvat.

„ Ad hanc ſanè Canonicorum inſtitutionem „ perpetuò muniendam, eamdem ligandi ſolven-„ dique poteſtatem, quam mater noſtra Came-„ racenſis eccleſia in pervaſores ſuos habet, per-„ ſæpè dictæ eccleſiæ S. Mariæ in malefactores „ ſuos concedimus. Parochiales verò ſacerdotes „ ipſorum, à Præpoſito & Canonicis ſubſtitutos, „ curam à Nobis ſeu miniſtris noſtris ſuſcipere „ decernimus.

„ Petitione nec minùs Godefridi glorioſi Lo-„ tharingiæ Ducis & Marchionis duas partes „ manipulorum decimæ, ad Antwerpiam & uni-„ verſum ejus Parochiæ ambitum pertinentes, „ à prædeceſſore ſuo illuſtris memoriæ Gode-„ frido duce & poſteà Jeroſolymitano Rege „ Eccleſiæ S. Michaëlis traditas, quia minùs juſtè „ ipſe eas ſubtraxerat, eidem eccleſiæ recognovit „ & per manum felicis memoriæ Henrici quarti „ Romanorum Imperatoris Aug. aſſignatas, præ-„ deceſſoris quoque noſtri privilegio in tranſlatam „ S. Mariæ eccleſiam confirmatas, nec non sereniſſi-„ mi Lotharii tertii Romanorum Imperatoris in-„ victiſſimi chartâ in eadem eccleſia corroboratas,

„ noſtri

Anno 1135. „ noſtri etiam decreti auctoritate in eadem mu„ nimus.

„ Prædicti verò Fratres ſæpedictæ eccleſiæ S. „ Mariæ, in quorum diſpoſitione, ex dignitate „ & tenore prioris Libertatis, tota Antwerpenſis „ pendebat & pendet Parochia, tranſacto non „ multo tempore, Fratres qui in eccleſia B. Mi„ chaëlis ſub Regula S. Auguſtini deſerviunt, ut „ commiſſum ſibi onus humero mutuæ fraternita„ tis ſecum portarent, per Dominum NORTBER„ TUM, ſummæ religionis & ejuſdem vitæ pro„ feſſionis virum, ad ſe vocaverunt, eique eccle„ ſiam S. Michaëlis ſupradictam liberam con„ tradentes, ad eam, in qua nunc Domino ſer„ viunt, glorioſæ Dei Genitricis Mariæ eccle„ ſiam, cum integritate Præpoſituræ & benefi„ ciorum, ut præmiſſum eſt, tranſierunt.

„ Ut autem eos, pondus diei & æſtus ſecum „ portantes, conſolationibus conceſſorum ſibi be„ neficiorum confoverent, conſervatis in ſuos uſus „ Natalitii Chriſti die & purificationis S. Mariæ, „ exceptis quæ in eodem die ibi offeruntur cande„ lis, Paſchæ quoque, ſeu Aſcenſionis, Pente„ coſtes ſive omnium Sanctorum, nec non om„ nium commemorationis animarum" (*commemoratio hæc cœperat ſolemnizari ſeculo præcedenti*, ut aſſerit *Boll. ad vitam S. Odilonis*) „ oblatio„ nibus: reliquas S. Michaëlis FRATRIBUS atque „ eccleſiæ S. Mariæ magdalenæ, ſub eodem „ conditionis tenore, SORORIBUS per omne „ tempus conceſſerunt; mutuam in invicem „ orationum communicantes & in perpetuum „ conſervantes fraternitatem, & in omnibus ne„ ceſſitatibus auxiliandi caritativam ſupportatio„ nem.

„ Cupientes prætereà ſibi & ſuis ſucceſſoribus „ pacis unitatem ſervare & relinquere, quia „ ſepeliendi in utroque cœmeterio conceſſa eſt

„ licen-

„ licentia, ſtatutum eſt, ut quicumque infirmus Anno
„ ex parochianis Antwerpenſibus ſub regula me- 1135.
„ moratorum fratrum S. Michaëlis Deo deſer-
„ vire deſiderat, licentiam à parochiali ſacerdote
„ S. Mariæ ſine contradictione accipiat; & ſi
„ vivens ad eos tranſierit accepto ipſorum ha-
„ bitu, exequiarum funeris oblationes Fratres S.
„ Michaëlis, ad quos tranſit, habeant; ſin au-
„ tem, ſicut de omnibus aliis parochianis, ad
„ Fratres S. Mariæ redeant.

„ Communicare quoque infirmos & oleo inun-
„ gere, niſi qui in vitæ ſuæ habitu inveniuntur,
„ Fratribus S. Michaëlis non licebit.

„ Baptiſmus autem celeberrimi temporis Pa-
„ ſchæ & Pentecoſtes in utraque ſervabitur eccle-
„ ſia. Reliquo verò tempore parochialis ſacerdos
„ S. Mariæ baptizandis providebit.

„ Pro commemoratione itaque ſuæ libertatis
„ utraque eccleſia, parili libertatis donatione
„ ornata, perſolvet Cameracenſi canonico &
„ catholico Præſuli aureum nummum Antver-
„ penſis monetæ ac ponderis, ſingulis annis in
„ feſto S. Lucæ, univerſo prioris exigentiæ &
„ juſtitiæ dimiſſo debito.

„ Quæcumque ergo Pontificum ſeu Princi-
„ pum largitione, imo quorumlibet fidelium
„ collatione memoratis eccleſiis oblata ſunt vel
„ ulteriùs conferentur, hujus noſtri decreti mu-
„ nimento eiſdem ad uſus Canonicorum confir-
„ mamus.

„ Nè qua verò canonica ſecularisſve perſona".
(*ex hoc patet, quod hoc tempore communiter* canonica perſona *ſumeretur pro* perſona eccle-ſiaſtica: *& hinc etiam hoc tempore videmus, tam Canonicos B. Mariæ, quàm Religioſos S. Michaëlis indiſcriminatim nunc dici* Fratres *nunc* Canonicos) „ proceſſu temporis in hanc noſtri
„ Decreti paginam ſpiritu nequam moveatur,
„ col-

Anno 1135.

„ collatâ conſervatoribus pace , in pervaſores ; „ quoad reſipuerint , anathematis exterminium „ promulgamus : atque noſtra ſubſigillatione & „ canonicorum teſtium adſtipulatione confirma„ mus.

„ Signum *Nicolai* Præpoſiti. S. *Gerardi* Archi„ diaconi & Decani. S. *Joannis* Archidiaconi. „ S. *Theoderici* Archidiaconi. S. *Alardi* Archi„ diaconi. S. *Theoderici* Archidiaconi. S. *Roberti* „ Cantoris. Canonicorum *Hugonis* , *Gerinboldi* , „ *Lantberti* , *Guidonis* , *Bartholomai* , *Vincentii* , „ *Raduardi*.

„ Actum incarnationis dominicæ anno mille„ ſimo centeſimo trigeſimo quinto , indictione „ undecimâ , Præſulatûs Domini LIETARDI IV. „ in nomine Domini feliciter. Amen. Ego Gue„ rinboldus Cancellarius recognovi. "

Capitulum acquirit Capellam de Hoboken.

Lietardus cum ſic pacem firmiter , ut putabat , reſtituiſſet inter Canonicos B. Mariæ & Religioſos S. Michaëlis , tenuitati ad quam Capitulum per fundationem Abbatiæ S. Michaëlis devenerat , ſubvenire utcumque volens , illi eiſdem anno & indictione confert Capellam de Hoboken per Diploma , quod ex originali ſubjungo.

Diploma Ep. deſuper.

Ex Archivis Capituli.

„ IN NOMINE Patris & filii , & ſpiritûs „ ſancti Amen. LIETARDUS divinâ miſeratio„ ne Cameracenſium Epiſcopus omnibus tam „ futuris quàm preſentibus in perpetuum. Ex „ commiſſa nobis pontificalis dignitatis cura „ Parochie noſtre eccleſiis , tam in temporalibus „ quàm in ſpiritualibus , vigilanti ſollicitudine ſub„ venire ad noſtre ſalutis profectum non dubi„ tamus provenire.

„ Igitur Eccleſiam beate Dei Genitricis in „ Burgo Antwerpienſi ſitam pietatis ſtudio vene„ rantes , nova quidem canonici Ordinis ſubſtitu„ tione & rerum temporalium oppreſſam tenuitate,

„ pro

„ pro peccatorum noſtrorum remiſſione, & Fratrum in ea famulantium jugi oratione, oculo miſericordie voluimus & neceſſarium nobis perſpeximus reſpicere. Anno 1135.

„ Quapropter Capellam de HOBUECHEN, „ quam liberam in noſtra habuimus poteſtate, „ ad uſus Fratrum, in ſupradicta beate Marie „ eccleſia Domino ſervientium, liberam concedimus, ſalvis Epiſcopalis juris reditibus.

„ Ut autem hæc rata & inconvulſa in perpetuum permaneant, preſentem paginam in „ confirmationem hujus noſtre traditionis ſcribi „ juſſimus, ſigilli noſtri aſſertione corroboratam. „ Si quis autem aliquo modo ſuperiùs memoratam traditionem infringere voluerit, anathematis jugulo peremptus intereat, quoad reſipuerit.

„ Signum *Gerardi* Arch., S. *Erleboldi* Prepoſiti. S. *Johannis* Archid., S. *Theodorici* „ Arch., S. *Alardi* Arch., S. *Theodorici* Arch., „ S. *Rotberti* Cantoris, *Raduardi*, *Guidonis*, „ *Gualcheri*, *Gualteri*, *Vincentii*, *Bartholomei*, „ *Gaufridi*, *Ade*, *Hugonis* Canonicorum.

„ Actum anno Incarnationis Verbi MCXXXV. „ Indict. XI. Preſulatûs Domni LIETTARDI IV."

Perſonatum Eccleſiæ de Hoboken Capitulum Antverpienſe poſſidet uſque in hodiernum diem; & decimas ibidem aliquando poſſedit, quas ſeculo præcedenti ceſſit Paſtori pro portione competenti. Perſonatum ejus poſſidet hodieque.

Beatus HUGO ſucceſſor S. NORBERTI in regimine Præmonſtratenſium tribus annis poſt obitum ejus, id eſt anno 1137., ſciens apparenter Pontifici diſplicere monaſteria utriuſque ſexûs, effecit in Capitulo generali, ut Religioſæ transferrentur ad alia monaſteria, ibidemque alerentur ſumptibus monaſterii virorum, unde exirent. 1137. Monaſteria utriuſq. ſexûs Norbertinorum abrogantur.

Anno 1137. Antverpienſe Monialium transfertur.

Occaſione hujus Decreti Cœnobium monialium Præmonſtratenſium Antverpiæ ceſſavit, & ſic paucis annis ibidem extitit. Quo autem moniales tranſlatæ ſint, neſcitur. Veroſimilis, inquit Papebrochius *Act. S. Norberti pag.* 938. *n.* 21., ſatis conjectura eſt, quod tranſierint ad ſuburbanum quoddam, ab earum commemoratione hodiedum *Nonnarum campus* vulgò, *Nonnevelt* dictum. Verùm nomen *Nonnevelt* potiùs credendum eſt originem habere à Victorinis noſtris, quæ in ſuburbio fundatæ ſunt, & illic per annos 242. habitârunt, & ab adventu ſuo uſque in hodiernum diem dictæ ſunt Nonnæ, vulgò *Ter Nonnen.* Interim tranſlatio harum monialium occaſio fuit diſſenſionis inter Capitulum & Abbatiam S. Michaëlis, ut infrà patebit ad an. 1148.

Dein etiam Eccleſia earum.

Quantum ad eccleſiam S. Mariæ Magdalenæ, quæ erat harum monialium, refert Baro Le Roy, quod anno 1254. tranſlata ſit in Santvliet conſenſu PETRI Cardinalis legati Alexandri PP. IV. Quam, inquit, injuriâ bellorum everſam ibidem, nunc ſub parochia de Berendrecht, reſtauravit Chryſoſtomus van der Sterren Abbas S. Michaëlis anno 1648. quando pax in belgio ſancita fuit poſt diuturnum bellum

1138. Waltmannus primus S. Mich. Abbas moritur.

Anno 1138. 15. Aprilis obiit plenus meritis WALTMANNUS primus poſt S. Norbertum in S. Michaëlis Abbas. Elogia & Epitaphia memoriæ ejus poſita vide apud Sanderum *Chor. Abb. S. Mich. cap. III.* & apud Papeb. *Acta S. Norberti.* In regimine hujus Abbatiæ eum ſecuti ſunt Abbates ſubjecti, qui communiter in catalogis deſuper editis referuntur.

Succeſſores ejus.

2. EMELINUS, obiit anno	1161.
3. ALARDUS, obiit	1162.
4. THIBALDUS, reſignavit anno	1171.
5. RICHARDUS, reſignavit anno	1188.
6. WALTERUS DE STRIPEN Flander, obiit	1192.

7. ELIAS, obiit 1199. Anno
8. GISELBERTUS, obiit 1205. 1138.
9. HUGO, obiit 1208.
10. ARNOLDUS (*Arnulphus* legitur in litteris authenticis anni 1233.) DE ERPS, poſtulatus anno 1219. Abbas *Bonæ ſpei* ejuſdem Ordinis in Hannonia, dein ad ſuos reverſus anno 1230. eis denuò præfuit annis octo.
11. HERMANNUS, obiit 1230.
12. SEGERUS ex pago *Balen*, obiit eodem anno.
ARNOLDUS DE ERPS, qui ſuprâ, obiit 1239.
13. EGGERIUS, obiit 1244.
14. GERARDUS DE LIRA, obiit 1258.
15. JOANNES DE LIRA, obiit 1272.
16. ÆGIDIUS DE BIERVLIET anno 1279. electus Abbas Præmonſtratenſis & Ordinis Generalis, quam dignitatem poſt tres annos reſignavit, & obiit an. 1286. ſepultus in Abbatia S. Michaëlis.
17. HENRICUS DE MECHLINIA, obiit 1300.
18. GODEFRIDUS DE WAERLOOS, obiit 1328.
19. GUILIELMUS DE CABELJEAU Bruxellenſis ex Abbatia Tongerloënſi aſſumptus, obiit 1341.
20. GUILIELMUS LYMPIAES Antverpienſis, obiit 1353.
21. MARTINUS LOYS Antverpienſis, obiit 1372.
22. GUILIELMUS BRULOCHT Antverpienſis, obiit 1390.
23. PETRUS BREEM Antverpienſis, obiit 1413.
24. ARNOLDUS. Non legitur hic Abbas in ullo catalogo Abbatum hujus Abbatiæ. Legitur autem apud Miræum *Dipl. Belg. tom. I. pag.* 323. inter præſentes fœderi unionis inter Brabantos & Limburgenſes inito anno 1415. Neſcitur quot annis præfuerit.
25. OLOUDUS TERLINCX, obiit 1452.
26. JOANNES FIERKENS qui primus uſum Mitræ obtinuit à PIO PP. II. an. 1459. eamque prærogativam transmiſit ad poſteros, obiit 19. jan. 1476. Qui uſum Mitræ habuerunt.

Anno 1138.

27. ANDREAS ACHTENRYT Hoogſtratanus, obiit 1478.
28. JOANNES ROBYNS de Mechlinia, obiit 1486.
29. JOANNES DE WEERT, obiit 1499.
30. JACOBUS ELSACKER Sylvæducenſis, obiit 1505.
31. JACOBUS EMBRECHTS Antverpienſis, obiit 1514.
32. STEPHANUS A THENIS Hoogſtratanus, obiit 1518.
33. CORNELIUS VAN MERE, obiit 1538.
34. GREGORIUS Tiberii DE HAGIS, obiit 1562.
35. CORNELIUS EMERICI, obiit 1564.
36. GUILIELMUS GREVE, obiit 1581.
37. EMMERICUS ANDREÆ factus Abbas poſt reductam civitatem anno 1587., obiit 1590.
38. DIONISIUS FEYTEN Lovanienſis, obiit 1612.
39. CHRISTIANUS MICHAELIUS, obiit 1614.
40. MATTHEUS IRSELIUS ex Abbatia Middelburgenſi, obiit 1629.
41. JOAN. CHRISOSTOMUS VAN DER STERRE Buſcoducenſis, obiit 1652.
42. NORBERTUS VAN CAUWERVEN, obiit 1662.
43. MACARIUS SIMEOMO Antverpienſis, obiit 1676.
44. HERMANNUS JOSEPH VANDER PORTEN Sylvæducenſis, obiit 1681.
45. GERARDUS KNYF Antverpienſis, obiit 1687.
46. JOANNES CHRISOSTOMUS TENIERS Antverpienſis, obiit 1709.
47. JOANNES BAPTISTA VERMOELEN, cum vacaſſet Abbatia annis ſeptem, obiit 1730.
48. FRANCISCUS IGNATIUS DE LAMS Antverpienſis, obiit 1738.
49. JOANNES JOSEPHUS VAN DER BOVEN Antverpienſis, obiit 1748.
50. JOANNES CHRISOSTOMUS SAMMELS Antverpienſis, obiit 1753.
51. JACOBUS THOMAS Antverpienſis, obiit 1762.
52. Amp. D. ANTONIUS VARENDONCK Antverpienſis

Obiit

Obiit anno 1140. Godefridus Barbatus Marchio noſter. Notandum quod Princeps hic occaſione ſchiſmatis in Imperio aliquot annis privatus fuerit Marchionatu, ſicut & Burchardus Epiſcopus Cameracenſis eadem occaſione privatus fuit Epiſcopatu, ſubſtituto ei Liëtardo. Quâ de re Le Roy *Not. March. pag.* 19. hæc refert. „ Anno 1126. Godefridus Barbatus, Conrado Imperium ambienti adhærens, à Lothario „ illius emulo utrâque dignitate privatus eſt, *Waleramo* Limburgenſi, Henrici exducis filio ſubſtituto. Waleramus, quam diu Lotharius vixit, „ hoc eſt ferè ad finem uſque anni 1137. Ducatum & Marchionatum poſſedit. Extat Stephani „ Metenſis Epiſcopi Diploma Averbodienſe anno „ 1137. datum, in quo hic Waleramus *Dux* & „ *Marchio* diſertè nuncupatur. Exhibetur præfatum „ diploma ab Auberto Miræo in *Cod. don. pia. cap.* „ 93. Anno 1137. iij. kal. decembris. Lothario de-„ functo Conradus Imperator Godefrido Barbato „ anno 1138. Ducatum Lotharingiæ & Marchionatum iterum attribuit ac confirmavit. Ita *Le Roy*. Anno 1140. Godefrido ſuffectus alius in Marchionatu.

Itaque hoc anno obiit Godefridus Barbatus, qui in diplomatibus inſcribitur *Dux & Marchio Lotharingiæ, Comes Lovaniæ*, aliquando *Dux Lotharingiæ & Marchio*. Conditus eſt in Affligemienſi Abbatia. Meritò Antverpia hujus quondam ſui Principis & Marchionis memoriam conſervat: ipſe enim ad extirpandos Antverpiæ gliſcentes Tanchelini errores non parum contribuit. Egit apud *Burchardum* Epiſ. ut jus Parochiale & alia privilegia Capitulo conferrentur. Decimas à Capitulo per prædeceſſorem injuſtè ablatas eidem reſtituit; & nè in poſſeſſione illarum aut aliorum bonorum turbarentur ſollicitè egit, tum apud Epiſcopum tum apud Senatum, illum requirens ut reſtitutionem confirmaret ſub anathemate, huic mandans ut Capitulum defen-

Godefridus Barbatus Marchio moritur.

Pietas ejus ergà Antverpienſes.

Anno 1140. deret contra malefactores. Inſuper refertur contribuiſſe ad conſtructionem cœnobii S. Michaëlis.

Aliæ ejus piæ fundationes. Cæterùm Princeps hic non tantùm Antverpiæ pietatis ſuæ memoriam reliquit, ſed etiam in variis Brabantiæ locis. Fundavit anno 1125. Prioratum nunc Abbatiam *Vlierbacenſem* juxta Lovanium. Apud Miræum *Cod. don. pia. cap.* 80. Fundavit Abbatiam *Parcenſem* juxta Lovanium anno 1129. *Ibidem cap.* 81. Fundavit & *magnam Bigardiam* Abbatiam Benedictinarum juxta Bruxellas anno 1133. *Ibidem cap.* 88. Anno ſequenti fundavit *Præpoſituram Capellenſem* Benedictinorum olim extra nunc intra muros Bruxellenſes. Miræi *Dipl. Belg. lib. I. cap.* 54. Hanc fundationem magis confirmat anno 1138.; novas terras decimaſque largitur, dicitque ſe primum hujus novæ Capellæ lapidem poſuiſſe. *Dipl. Belg. tom. IV. p. II. cap.* 28. Fundavit *Præbendam* Lovanii in D. Petri, ut patet ex diplomate filii ejus apud Miræum *Don. Belg. lib. I. cap.* 62. Benefecit etiam Abbatiæ *Gemblacenſi.* Ibidem *cap.* 55.

Godefridus II. Marchio. GODEFRIDO BARBATO in Marchionatu eodem anno quadrageſimo ſeculi XII. ſucceſſit filius GODEFRIDUS II. Brabantiæ Dux. Uxor ei fuit *Lutgardis* Comitiſſa de Muha, cujus ſorores nupſerunt *Gertrudis* Imperatori Conrardo III. & *Berta* Emanuëli Imperatori Conſtantinopolitano.

Ejus pietas. Vix Princeps hic regimen adierat, quin Patris pietatem ſequens publicè per litteras profiteretur, ſe omnia, quæ Pater in honorem Dei & animæ ſuæ ſalutem fundaverat & donaverat, ſuſtentaturum, imo & aucturum. Sic præfatur in diplomate, quo fundationem Præpoſituræ Capellenſis factam à Patre confirmat anno 1141., quod exhibet Miræus in *Not. Eccl. Belg. cap.* 82.

Anno quadrageſimo ſecundo magnum beneficium confert Militibus Templi, ſcilicèt quod nullus in tota Brabantia ſuccederet in Feudum, Curiæ Principis debens relevium, quin quotam eiſdem Militibus perſolviſſet: ſi Feudum valeret quinque marcas, antequam eo donaretur, eiſdem ſolveret duas marcas; ſi quatuor vel tres valeret, ſolveret unam; ſi minus, medietatem. Miræi *Dipl. Belg. tom. II. p. III. cap.* 46. Anno 1142. Benefacit Militibus Templi.

Tertio Regiminis ſui anno pius hic Princeps immaturâ morte præripitur, hæpaticâ paſſione conſumptus; & tumulatur Lovanii in templo D. Petri ad partem meridionalem Chori. Fratrem habuit *Henricum*, qui obiit Converſus monaſterii Affligemienſis, qui etiam bona quædam huic Abbatiæ contulit, ut patet ex diplomate deſuper dato, relato per Miræum. *Dipl. Belg. lib. I. cap.* 58. Ejus obitus.

Huic in Marchionatu ſuccedit filius GODEFRIDUS III. Dux Brabantiæ puer unius anni, ideoque dictus *in cunis*. Godefridus III. Marchio.

Præter Capitulum Antverpienſe & Godefridum Barbatum S. Michaëlis Abbatia quamplures hoc tempore nacta eſt benefactores, qui profectum piæ hujus fundationis cordi habentes certatim ſua dona conferebant. Inde hoc ſeculo tot Bullæ Pontificum, tot Diplomata Epiſcoporum Cameracenſium, Imperatorum & Ducum Brabantiæ, citata apud Sanderum *Chor. Sac. Abb. S. Mich. cap. IV.*, per quæ vel bona & privilegia conferebant, vel bona per pios collata huic Abbatiæ confirmabant. Profectus Abb. S. Michaëlis.

Inter eos autem non infimum locum tenent Senatus & populus Antverpienſis, qui ex eo eximiam laudem meruerunt ab Imperatore FREDERICO I., qui & ipſe inter benefactores ejuſdem accenſendus eſt; ut patet ex ejus diplomate dato circa annum hujus ſeculi octogeſimum ſextum Benefaciunt eidem Cives Antverp.

Anno 1142. & relato à Le Roy. *Not. March. S. R. J. lib. I. cap.* 5., in quo hæc leguntur.

„ FREDERICUS Dei Gratia Romanorum Im„ perator & ſemper Auguſtus HENRICO Duci & „ fidelibus ſuis Civibus Antverpienſibus gratiam „ ſuam & omne bonum. Fidelitati veſtræ pluri„ mas & maximas agimus grates quod...

„ De hoc quoque vos plurimum commenda„ mus, laudes vobis & præconia referimus, „ quod, prout noſtræ Majeſtatis auribus eſt in„ timatum, Eccleſiam ſancti Michaëlis beneficiis „ veſtris & elymoſinis ſuſtentatis & in ſanctâ „ religione & honeſtate laudabiliter fovetis.

„ Quia verè ex habundanti gratiâ noſtrâ & „ æternæ retributionis intuitu Nos Eccleſiam S. „ Michaëlis, cujus patrocinium optamus habere „ in Cœlis, in noſtræ Majeſtatis protectionem „ tuendam & gubernandam ſuſcepimus; ideo „ eam ab omni collecta & exactione liberam & „ immunem eſſe volumus, tam publicâ quam „ privatâ, Imperiali auctoritate præcipientes, ut „ de cæterò eam in aliquo nullus moleſtare vel „ inquietare præſumat de omnibus poſſeſſionibus „ ſuis, quas tenet."

Diſſidium inter Capitulum & Abb. S. Mich.

Sed interim dum Abbatia S. Michaëlis ſic proficit proſperè in temporalibus, pax turbatur & diſſidium ſuboritur inter illam & Capitulum Antverpienſe: quod, cum per plures annos durâſſet, non niſi quadrageſimo octavo hujus ſeculi anno terminatum fuit, idque mediante Epiſcopo Cameracenſi, qui pacem inter partes plenè reſtauravit.

1148. Patent hæc ex litteris NICOLAI Epiſcopi Cameracenſis apud Sanderum *Chor. Sac. Abb. S. Mich. cap. II.* & REINERI Præpoſiti & Capituli B. M. *Ibidem cap. IV.* Sed Litterarum Capituli illic non refertur niſi initium & finis. Si illas integras haberemus, indubiè meliùs ſciremus, quæ

Circa oblationes in Capellis & Eccl. S. Mar. Magd.

quæ in hac pacificatione per Capitulum conceſſa ſint Abbatiæ : nunc autem ex proëmio Litterarum Capituli non habemus niſi materiam quæſtionis, & determinatio colligenda eſt ex Litteris Epiſcopi. Litteræ Capituli hæc habent. Anno 1148.

„ In nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis
„ Ego Reynerus Præpoſitus & Canonici S.
„ Mariæ, qualiter pax & Concordia inter Nos
„ & Fratres S. Michaëlis facta ſit præſentis ſcripti
„ atteſtatione tam futuris quam præſentibus noti-
„ ficamus.

„ Cum in diebus Hidolphi Præpoſiti patris
„ noſtri Eccleſia S. Michaëlis ad uſus Canoni-
„ corum Præmonſtratenſis ordinis cum Capellis
„ in ejus cœmiterio fundatis cæteriſque appendi-
„ ciis ſuis & quatuor præbendis à Domino Bur-
„ chardo Epiſcopo ex noſtra conceſſione &
„ totius populi aſſenſu eis data fuiſſet, & viſita-
„ tionem infirmorum & cætera divina officia
„ populo uſque ad tempus exhibuiſſent, orta
„ eſt inter Nos & illos diuturna contentio de
„ oblationibus & eleëmoſynis quæ nobis & illis
„ offerebantur.".

Indè habemus totam contentionem verſaſſe circa oblationes utriſque factas. Litteræ autem Nicolai Epiſcopi ſolùm duo puncta commemorant, oblationes ſcilicet factas in Capellis in cemeterio S. Michaëlis fundatis, & oblationes factas in Eccleſia S. Mariæ Magdalenæ.

Contentio hæc ortum duxit ex eo, quod, dum Capitulum, ut ſuprà vidimus ad an. 1135., concedebat generaliter Fratribus S. Michaëlis oblationes quotidianas, nihil explicitè dictum fuiſſet de oblationibus in Capellis prædictis : inde orta quæſtio utris deberent cedere. Origo quæſtionis.

Oblationes autem, quæ offerebantur in Eccleſia *ſanctæ Mariæ Magdalenæ* conceſſerat Capitulum, ut ibidem vidimus, Sororibus Norbertinis,

Anno 1148.

tinis, quarum erat hæc Eccleſia. Sed cum hæ circa annum 1137. aliò tranſlatæ eſſent, orta eſt quæſtio, num oblationes in eâ factæ redire deberent ad Canonicos beatæ Mariæ, num cederent Abbatiæ, in cujus cemeterio etiam hæc Eccleſia fundata erat.

Hæc igitur contentio, cum multis annis duràſſet, hoc tandem anno ad finem deducta eſt, & circa determinationem ejus in litteris NICOLAI Epiſcopi ſuprà citatis, hæc leguntur.

Oblationes conceſſæ Abb. S. Mich.

„ Oblationes quoque, quæ in Eccleſia S. Michaëlis & in Capellis, in eodem cæmiterio „ fundatis, beati Petri & beati Martini, nec minus, quæ in Eccleſia S. Mariæ Magdalenæ „ offerentur, in partem Fratrum S. Michaëlis „ cedent, exceptis oblationibus miſſarum pro defunctis parochianis S. Mariæ."

Confirmat Pontifex.

Abbatia S. Michaëlis deſiderans hoc tempore confirmationem bonorum, quæ jaminde abundanter poſſidebat, ſimul à Pontifice petivit confirmationem hujus pacificationis, quam & obtinuit ab EUGENIO III. per Bullam deſuper datam, relatam per Sanderum *Chor. Sac. S. Mich. cap.* 2. in qua hæc leguntur.

„ Concordia etiam, quam venerabilis frater „ noſter NICOLAUS Cameracenſis Epiſcopus, ad „ pacem inter vos & Canonicos S. Mariæ reformandam, conſtituit & ſcripto ſuo firmavit, „ ratam habentes... confirmamus... Oblationes „ quoque, quæ in veſtrâ & in veſtris capellis „ omni tempore offeruntur, quas vobis prædicti „ Canonici conceſſerunt, his exceptis quæ pro „ ipſorum parochianis mortuis offeruntur, qui „ in veſtro habitu inventi non fuerint."

Pontifex dein commemorat Decimas quaſdam à Capitulo Abbatiæ conceſſas, quas eidem confirmat.

Confirmat eidem quaſ-

„ De quatuor grangiis pariter vobis Decimas

„ con-

„ conceſſerunt ſub annuo redditu, videlicèt 12. „ ſextareorum forenſis menſuræ, quatuor ſiligi- „ nis, quatuor ordei & quatuor avenæ: Quæ „ omnia & alia (*qua*) in eodem privilegio ratio- „ nabiliter ſtatuta ſunt, rata & inconcuſſa manere „ cenſemus."

Anno 1148. dam Decimas.

Deinde confirmans omnes poſſeſſiones Abbatiæ, varia bona in particulari nominat; unde liquet poſſeſſiones ejuſdem hoc jaminde tempore fuiſſe amplas. „ In quibus hæc, inquit, propriis „ duximus exprimenda vocabulis. Santflit, ter- „ ram Orderen, curtem quæ dicitur Parve, „ curtem Oſſele, curtem Haga, curtem Elſten, „ curtem Alterle, curtem Marxblas, piſcatio- „ nem Huntemuden cum mancipiis & paſcuis & „ nemoribus & manſuris."

Et varia bona.

Cæterùm in præcitatis litteris NICOLAI Epiſcopi Cameracenſis incidenter dicitur: *Canonici... cum Præpoſitura & duodecim præbendarum ſuarum integritate nunc inibi* (in eccleſia ſcilicèt B. Mariæ) *Deo ſervientes*. Hinc colligendum Canonicos Antverpienſes, qui ante viginti quatuor annos cum octo Præbendis ex Eccleſia S. Michaëlis ad Eccleſiam B. Mariæ tranſierant, jamindè præbendas ſuas ad tertiam auxiſſe, & primævum duodenarium numerum reſtituiſſe. Sed aliud hac de re monumentum non habemus.

Numerus Canonicorum auctus ad XII.

Anno ſeculi hujus quinquageſimo quinto obtinuit Capitulum Antverpienſe Perſonatum Eccleſiarum de *Wortel* juxtà Hoogſtraten & de *Nylen* juxta Liram, idque dono NICOLAI Epiſcopi Cameracenſis. Diploma deſuper datum ſubjungo ex Originali.

1155. Capitulum acquirit Perſonatum de Wortel & Nylen.

„ IN NOMINE Domini. NICHOLAUS Dei „ Gratiâ Cameracenſis Epiſcopus tam futuris „ quam preſentibus in perpetuum.

Ex Archivis Capituli.

„ Scriptum eſt: Ignem ardentem extinguit aqua,

„ &

Anno 1155. „ & elemoſina reſiſtit peccatis. Hinc iterum dici-
„ tur : Conclude elemoſinam in corde pauperis,
„ & hec pro te orabit. Hinc bonus pater inno-
„ centem filium ammonet dicens : Si multum
„ tibi fuerit, abundanter tribue ; ſi exiguum,
„ etiam exiguum libenter ſtude impertiri.

„ His & hujuſmodi divinarum ſcripturarum
„ aſſertionibus inſtructus, & ob anime noſtre &
„ predeceſſorum noſtrorum ſalutem, duas Ca-
„ pellas in Antwerpenſi Archidiaconatu *Wurte-*
„ *lam* & *Nillam* conſilio Clericorum noſtrorum,
„ petitione etiam & redditione RAINERI Antwer-
„ penſis Prepoſiti Domine noſtre beate Marie,
„ ad uſus Canonicorum, in Antwerpenſi eccleſia
„ famulantium, liberas & abſque Perſona, ſalvis
„ noſtris & miniſtrorum noſtrorum redditibus,
„ concedimus & aſtruimus.

„ Et ut hoc ratum & inconvulſum perma-
„ neat, conſervatoribus benedictione ſuffultis,
„ prevaricatoribus nichilominùs maledictioni ex-
„ poſitis, hujus noſtri decreti paginam ſigilli
„ noſtri impreſſione & ſubſignatorum atteſtatione
„ confirmamus.

„ S. *Radulfi* earumdem Capellarum Archidia-
„ coni. S. *Theoderici* Prepoſiti & Arch. S. *Johan-*
„ *nis*, *Alardi*, *Everardi*, Archidiaconorum.
„ S. *Hugonis* Decani. *Walteri* Cantoris. S. *Gual-*
„ *teri*, *Johannis*, *Erleboldi* ſacerdotum. S. *Wil-*
„ *lelmi*, *Olrici*, *Galteri* levitatum. S. *Rotberti*,
„ *Anſelmi*, *Walteri* ſublevitatum.

„ Actum anno incarnati Verbi MCLV. Pre-
„ ſultatûs Domini NICHOLAI XVII. Indictio-
„ ne III. Epacta XV. concurrente V.

„ Ego *Euſtachius* Cancellarius ſcripſi & recenſui
„ feliciter Amen.

Abbas S. Michaëlis acquirit Eccl. de Merxplas.

Eodem anno, ut refert Sanderus *Cap. IV. Chor. Sac. Abb. S. Mich.*, idem NICOLAUS Epiſ. Cam. donat EMELINO Abbati ſancti Michaëlis Eccle-

Eccleſiam de *Merxplas* & eam curæ ejus committit : manſitque uſque in hodiernum diem Eccleſia hæc ſub cura Abbatum hujus Abbatiæ, qui è ſuis eò mittunt ad ei deſerviendum. Anno 1155.

Non tantùm autem hæc, ſed & aliæ plures Eccleſiæ ſub cura ſunt hujus Abbatiæ, quas enumerat Sanderus ibidem *Cap. V.*, quæque vario tempore Abbatiæ datæ & incorporatæ fuerunt, videlicet *Meer*, *Minderhout*, *Voſſelaer* & *Beerſe*, *s'Gravenweſel*, *Deurne*, *Borsbeke & neder-Ockerzele* : in quibus, inquit, hactenùs non alii quàm Canonici S. Michaëlis deſerviunt. Inter illas, refert, olim fuiſſe *Middelhernis* in Zelandia & alias, quæ per tumultus belgicos ſub eâ eſſe deſierunt. Alii Paſtoratus ſub cura Abbatiæ.

Citat Sanderus ibidem *Cap. IV.* Diploma GODEFRIDI Ducis datum hoc anno, quo Princeps hic bona quædam Eccleſiæ S. Michaëlis donata, eidem confirmat ſub conditione, quod filiam quandam *Beatricem* ad converſionem ſuſciperet & Religionis habitum ei traderet. Inde colligere licet, Sorores Norbertinas, jam ab octodecim annis aliò tranſlatas, adhuc hoc tempore fuiſſe ſub cura & regimine hujus Abbatiæ, eaſque tranſlatas fuiſſe vel ad novum monaſterium pro ipſis ſpeciatim ædificatum, vel ad aliud, quod jaminde ſub cura ejuſdem Abbatiæ exiſtebat. Norbertinæ ſub cura ejuſdem.

Anno hujus ſeculi quinquageſimo ſeptimo RAINERUS Capituli Antverpienſis Præpoſitus adit FREDERICUM I. Imperatorem, qui tunc agebat in Noviomagenſi palatio : & porrigens ei privilegia HENRICI quarti Romanorum Imperatoris proavi ejus & Imperatoris LOTHARII III. ſupplicat, quatenùs ea oraculis ſuis confirmare velit. Confirmationem hanc obtinuit mediante Rainaldo Cancellario, & diploma deſuper datum hoc anno III. Nonas Junii exhibet Miræus *Dipl. Belg.* 1157. Imperator confirmat poſſeſſiones Capituli. *Vide ſupra pag. 76.*

Anno 1157. *Belg. lib. I. cap.* 63. Illud autem ſubjungo ex copia ſeu tranſcripto authentico confecto anno 1490. aſſervato inter ſcedas Capituli.

In hoc diplomate, cum Imperator in generali Eccleſiam S. Mariæ in Antverpia cum omnibus poſſeſſionibus ſuis, quas tunc habebat, vel inpoſterum adipiſci poterat, ſub ſua tuitione ſuſcepiſſet, nominatim confirmat ei Decimas à Santvliet uſque. Olmeremuthen.

Diploma ejus deſuper.

Ex Archivis Capituli.

„IN NOMINE ſancte & individue Trinitatis, FRIDERICUS divinâ favente clementia Romanorum Imperator auguſtus.

„Quandocumque in hiis, que ab Anteceſſoribus noſtris Regibus & Imperatoribus tradita confirmata ſunt, noſtre imperialis corroborationis piè exigitur ſuffragium, celeri effectui eſt attribuendum: & ſi in hiis expoſcitur, que perpetuis durare videntur litteris eſt annotandum, nè prolixitas temporum hoc poſteris reddat dubium vel incertum.

„Noverit igitur omnium tam futurorum quàm preſentium Chriſti Imperiique noſtri fidelium induſtria, qualiter RAINERUS Eccleſie S. Marie Matris Domini in Antwerpia PREPOSITUS preſentiam Majeſtatis noſtre adiit, porrigens nobis privilegia Proavi noſtri dive memorie HENRICI Romanorum Imperatoris quarti & Imperatoris LOTHARII tertii: & multum ſupplicans Majeſtati noſtre per dilectum Cancellarium noſtrum *Raynaldum*, quatenùs ea noſtris oraculis confirmare vellemus.

„Nos itaque ob interventum dilecti Cancellarii noſtri, prefati *Prepoſiti* preces clementer admiſimus, & non ſolum duas ſanctiones Proavi noſtri & Imperatoris Lotharii noſtrâ auctoritate confirmavimus; verùm etiam predictam eccleſiam S. Marie Genitricis Dei in Antwerpia, cum omnibus poſſeſſionibus ſuis,

„quas

„ quas nunc juſtè habet vel inpóſterum ratio- „ nabiliter poterit adipiſci, ſub noſtram tuitio- „ nem ſuſcepimus. Anno 1157.

„ Per omnia verò Anteceſſorum noſtrorum „ pietatis veſtigia proſequentes, omnem Deci- „ mam, quam piiſſimus Proavus noſter ſupra- „ dicte Eccleſie & Fratribus inibi Deo ſervienti- „ bus pro remedio anime ſue contulit, & evi- „ dentibus terminis deſignavit, à termino *Sant-* „ *fliten* uſque ad terminum *Olmeremuthen*, quam „ poſtmodum Lotharius Imperator privilegio ſuo „ eidem Eccleſie confirmavit, Nos imperiali „ noſtra auctoritate ſupradicte Eccleſie damus & „ confirmamus. Et ſicut ipſi diſtinxerunt, ita „ & Nos diſtinguimus, ut videlicèt *Prepoſitus* „ ejuſdem Decime quartam partem habeat & re- „ liquas Fratres in uſus ſuos accipiant.

Notanter Decimæ à Santvliet &c.

„ Ut autem hec donatio & confirmatio ſepe- „ dicte Eccleſie S. Marie omni tempore rata & „ inconvulſa permaneat, preſentem inde paginam „ conſcribi & ſigilli noſtri impreſſione inſigniri „ juſſimus, adhibitis ydoniis teſtibus, quorum „ nomina hec ſunt.

„ *Godefridus* Trajectenſis Epiſcopus.
„ *Albertus* Aquenſis Prepoſitus.
„ *Henricus* Comes de Gelra.
„ *Theodericus* Comes Hollandie.
„ Filius ejus *Florentius*.
„ *Godefridus* de Kuch.
„ Et frater ejus *Hermannus*.
„ *Gobbinus* de Hemesberch.
„ *Volricus* de Hurtunghen.
„ *Walterus* de Stapela.
„ *Herpernus* de Randenrode.

„ Signum FRIDERICI Romanorum Imperatoris „ invictiſſimi. Ego *Raynaldus* Cancellarius, vice „ Arnoldi Moguntini Archiepiſcopi & Archican- „ cellarii, recognovi.

„ Da-

Anno 1157. „ Datum in Noviomagenſi Palatio tertio No-
„ nas Junii, anno dominice Incarnationis mille-
„ ſimo centeſimo quinquageſimo ſeptimo, in-
„ dictione quintâ, regnante Domino FRIDERICO
„ Romanorum Imperatore invictiſſimo anno regni
„ ejus ſexto, Imperii verò ſecundo. Actum in
„ Chriſto feliciter Amen."

1161. Abbatia S. Michaëlis obtinet Beerſchot.

Godefridus Lotharingiæ Dux anno 1161. confirmat prædia Abbatiæ S. Michaëlis inter quæ recenſet *terram de Berneſchot cum manſis, pratis & paſcuis*. Ita teſtatur Baro Le Roy *not. March. pag.* 85. ſe didiciſſe in monumentis loci. In *Berneſchot*, hodie *Beerſchot*, viſitur amœnum Prætorium ejuſdem Abbatiæ.

Circa 1182. Capitulum Eccleſiarum in poldero confirmationem petit.

Capitulum Antverpienſe hoc tempore recurrit ad ſedem Apoſtolicam & petit confirmationem plurium eccleſiarum, quas jam ab initio ſeculi poſſederat. Obtinuit autem petitam confirmationem à LUCIO PP. III. per Breve ſeu Bullam, in qua non notatur annus ſed tantùm dies menſis; quod ordinarium & peculiare videtur fuiſſe in Bullis hujus Pontificis: nam duæ ſimiles ejus Bullæ referuntur *Vet. monum. ampl. collec. tom. I. pag.* 950. *& ſeq.*, aliæ ibid. *pag.* 1136. item aliæ apud Miræum *Dipl. Belg. tom. II. p. III. cap.* 78., in quibus omnibus non notatur annus, ſed tantum dies menſis. Data eſt Veronæ, quo Pontifex bis fugit, & ſic neſcitur an primâ an ſecundâ vice ſit data. Cum autem Pontifex ille tantum ſederit à 29. aug. 1181. uſque ad 25. novembris 1185., intra illud tempus data fuit iſta bulla, quam ex originali ſubjungo.

Et obtinet à Pontifice.

„ LUCIUS Epiſcopus ſervus ſervorum Dei.
„ Prepoſito & Canonicis ſancte Marie de Antuer-
„ pia ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

Ex Archivis Capituli.

„ Juſtis petentium deſideriis dignum eſt Nos faci-
„ lem prebere conſenſum, & vota, que à rationis tra-
„ mite non diſcordant, effectu proſequente complere.
„ Qua-

„ Quapropter dilecti in Domino filii, veſtris „ juſtis poſtulationibus grato concurrentes aſſenſu, „ *Capellam* ſancte WALBURGIS & *Eccleſias* de „ ORDETENE, de LINLO & de BERENDRECH, „ ſicut ipſas juſtè & ſine controverſia poſſide- „ tis, in ea libertate, qua eas hactenùs canonicè „ tenuiſtis, auctoritate apoſtolica confirmamus „ & preſentis ſcripti patrocinio communimus. Anno 1182.

„ Nulli ergo omninò hominum liceat hanc „ paginam noſtre confirmationis infringere vel ei „ auſu temerario contraire. Si quis autem hoc „ attemptare preſumpſerit, indignationem omni- „ potentis Dei & beatorum Petri & Pauli Apoſto- „ lorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum „ Verone Kal. Junii. *In plumbo* : LUCIUS „ PP. III."

Notanda in hac Bulla diſtinctio, quam facit Pontifex inter *Capellam* S. Walburgis & *Eccleſias* de Orderen, Lillo & Berendrecht : inde enim colligitur, has fuiſſe parochiales, non item illam. S. Walburgis dicitur Capella.

Marchionem noſtrum GODEFRIDUM III. Brabantiæ Ducem anno hujus ſeculi octogeſimo ſexto obiiſſe plures referunt : verùm obſtat, quod *Dipl. Belg. coll. nov. part. I. cap.* 73. habeatur diploma ab eo in favorem Abbatiæ Averbodienſis datum anno octogeſimo octavo. Alii obitum ejus differunt ad annum nonageſimum : ſed habemus diploma Frederici Imperatoris, mox referendum, ad Henricum ſucceſſorem ejus : Fredericus autem obiit anno octogeſimo nono. Unde locamus obitum Godefridi ad annum octogeſimum octavum, poſt regimen XLVI. annorum. 1188. GODEFRIDUS III. moritur.

Duxit hic primò *Margaretam Limburgicam*, ex quâ HENRICUS ſucceſſor & S. ALBERTUS Epiſcopus Leodienſis & Martyr. Secundò *Imaïnam* filiam Ludovici Comitis Loſſenſis, quæ ei Ejus progenies.

Anno 1188. peperit *Guilielmum* primum Parweſii Dominum (ex quo *Gobertus de Parweis* ultimus in Eccleſia Antverpienſi Præpoſitus) & *Henricum* Dominum de Cuyck. Hæc poſt mortem mariti facta monialis in benedictino cœnobio Beliſienſi, Abbatiſſa ejuſdem fuit anno MCCIII. Obiit autem Princeps hic X. Auguſti, ſepultus Lovanii in Baſilica S. Petri ad partem ſeptentrionalem Chori juxtà primam ſuam uxorem.

Ejus pietas & munificentia. Godefridus hic pietatem Propatrum ſuorum in tutandis & dotandis Eccleſiis & Eccleſiaſticis eſt imitatus.

Anno 1150. benignè acceptat à CONRADO oblatam ſibi Advocatiam Abbatiæ Tongerloënſis, eidemque Abbatiæ in omnibus defenſionem & patrocinium promittit, & facultatem facit acceptandi & in proprios uſus convertendi ſibi oblata allodialia bona. Miræi *Don. Belg. lib. II. cap.* 49. Anno 1154. Advocatia Abbatiæ Parcenſis à FREDERICO Imperatore, petentibus ejuſdem Abbatiæ Fratribus, in eum transfertur. *Supl. Dipl. Belg. part. II. cap.* 57.

Anno 1173. beneficium tribuit Collegio Canonicorum S. Joannis in Moſæ inſula Leodii. Miræi *Dipl. Belg. lib. I. cap.* 68. & Abbatiæ Rodenſi in Ducatu Limburgenſi decimas quaſdam Allodiales facit. *Coll. Nov. Dipl. Belg. tom. IV. p. II. cap.* 42. Similiter Canonicis S. Gummari Liræ beneficium confert anno ſequenti. Miræi *Not. Eccl. Belg. cap.* 102.

Anno 1181. militibus Templi liberam facit mercaturam, tam in emendo quàm vendendo, ab omni telonio per totum ſuum Ducatum, & ſimiliter omnibus cum eis pactionem emptionis & venditionis in domibus eorum contrahentibus. *Dipl. Belg. coll. nov. tom. III. p. I. cap.* 68. Inſuper terras quaſdam eiſdem militibus conceſſit pro beneficiis, quæ à Magiſtris illius Ordinis

in

in itinere S. Sepulchri in Jeruſalem largè & be- Anno
nignè ſuſceperat in civitate Beneventi. *Supl. Dipl.* 1188.
Belg. part. III. cap. 80.

Anno 1187. in favorem Abbatiæ Gemblacenſis Oppidum Gemblacenſe libertate donat. *Dipl. Belg. coll. nov. tom. IV. part. II. cap.* 50. & paulo ante obitum Abbatiæ Affligemienſi donat terras in *Aſſcherolt.* Ibidem *cap.* 59. Et aliis alia exhibuit pietatis ſuæ ſpecimina.

Henricus I. Marchio.

In Marchionatu ſuccedit Patri HENRICUS I. Brabantiæ Dux, qui pietatem Propatrum ſuorum facilè ſuperavit. Princeps hic primus ſe inſcripſit DUCEM BRABANTIÆ & MARCHIONEM ROMANI IMPERII. *Dipl. Belg. tom. I. pag.* 195. Hic anno 1196. in Syriam ad bellum ſacrum profectus eſt, ut Guilielmus Abbas Andrenſis, qui illo tempore vivebat, in ſuo chronico narrat.

1189. Frederici Imp. Antverpienſibus.

Circa annum hujus ſeculi octogeſimum nonum FREDERICUS Ænobarbus, qui ab undecim annis, ut ſuprà vidimus, bona primævæ fundationis confirmaverat Capitulo canonicorum, notabile dedit diploma ad prædictum Henricum Ducem & ad cives Antverpienſes; in quo, cum eos laudâſſet de fidelitate in defendenda & conſervanda Marchia, eos plurimùm laudibus attollit, quòd eo tempore eccleſiam S. Michaëlis beneficiis & eleëmoſinis ſuſtentabant & fovebant; quam & ipſe in protectionem ſuſcipit & liberam facit ad omni collecta & exactione tam publica quâm privata. Diploma illud exhibet Baro Le Roy *Not. March. S. R. J. lib. I. cap.* 5. unde illud ſubjungo.

Diploma.

„ FREDERICUS Dei gratiâ Romanorum Im-
„ perator & ſemper auguſtus, HENRICO Duci
„ & fidelibus ſuis CIVIBUS ANTVERPIENSIBUS
„ gratiam ſuam & omne bonum.

Laudat fidelitatem.

„ Fidelitati veſtræ plurimas & maximas, agi-

Anno 1189. „ mus grates, quod unanimiter pro augendo & „ conſervando imperialis coronæ ſolio laboratis, „ & Marchiam ad honorem noſtrum & Imperii, quod nobis eſt gratiſſimum, fideliter de„fenditis & conſervatis.

Munificentiam ergà S. Michaëlis. „ De hoc quoque vos plurimum commenda„mus, laudes vobis & præconia referimus, „ quòd, prout noſtræ Majeſtatis auribus eſt „ intimatum, eccleſiam ſancti Michaëlis benefi„ciis veſtris & elymoſinis ſuſtentatis, & in ſanctà „ religione & honeſtate laudabiliter fovetis.

Quam recipit in protectionem, & liberat ab oneribus. „ Quia verè ex habundanti gratia noſtra & „ æternæ retributionis intuitu nos eccleſiam ſancti „ Michaëlis, cujus patrocinium optamus habere „ in cœlis, in noſtræ Majeſtatis protectionem „ tuendam & gubernandam ſuſcepimus; ideo „ eam ab omni collecta & exactione liberam „ & immunem eſſe volumus, tam publicâ „ quâm privatâ; Imperiali auctoritate præcipien„tes, ut de cætero eam in aliquo nullus mo„leſtare vel inquietare præſumat de omnibus „ poſſeſſionibus ſuis, quas tenet."

Subjungit Le Roy: Ubi aut quo anno hoc diploma datum ſit, in eo non notatur. Sed cum Henricus patri Godefrido ſucceſſerit in Principatum circa annum 1186. (*potius* 1188.) & Imperator Fredericus obierit anno 1189. colligi datur id factum annis iſtis, qui interceſſerant, ab initio principatus Ducis Henrici, ad mortem Imperatoris Frederici, cujus temporis intercapedo exigua eſt.

1194. Capitulum acquirit perſonatum de Vorſel & Malle. Capitulum Antverpienſe ab anno hujus ſeculi nonageſimo quarto poſſidet Eccleſias de *Rykevorſel* & *Weſt-malle* ex dono JOANNIS D'ANTOING Epiſcopi Cameracenſis, cujus Litteras deſuper confectas ex Miræo *Dipl. Belg. lib. II. cap.* 63. ſubjungo.

„ IN NOMINE ſanctæ & individuæ Trini„tatis Amen. JOANNES Dei gratia Camera„cenſis

„ cenſis Epiſcopus omnibus ad quos præſentes „ litteræ pervenerint in perpetuum. Anno 1194.

„ De neceſſitate ſuſceptæ Adminiſtrationis aſtringimur Eccleſiaſticarum perſonarum ita commodis providere, ut ipſis poſſeſſiones pia fidelium devotione collatas, & inpoſterum conſervemus & etiam augmentemus ſervatas.

„ Eapropter dilectis filiis noſtris Antwerpienſis Eccleſiæ Canonicis ad uſus ipſorum, ob remedium animæ noſtræ, Altaria de FORSELA & de MALLE liberè & abſolutè contulimus, donationem noſtram præſentis paginæ patrocinio & noſtri ſigilli auctoritate in poſterùm confirmantes, & nè quis ampliùs hoc infringere præſumpſerit ſub periculo excommunicationis inhibentes.

„ Datum Cameraci per manum Magiſtri Roberti anno Verbi incarnati MCXCIV. XIII. Kalendas Martii."

Soerſel dependens à Weſt-malle.

SOERSEL erat vicus ſub *Malle*, in quo olim fuit ſacellum ſanctæ Elizabethæ ſacrum, quod deinceps in parochialem Eccleſiam per Capitulum erectum eſt. Hinc Patronatus harum eccleſiarum, ſcilicet Ryke-vorſel, Weſt-malle & Soerſel, uſque hodiernum diem ſpectant ad Canonicos Antverpienſes.

Le Roy *Not. March. S. R. I. Lib. III. cap.* 8.

Vlimmeren dependens à Ryke-vorſel.

Similiter VLIMMEREN vicus erat ſub Parochia de *Ryke-volſel*, à qua vix à ſeculo ſeparatus eſt, & Capella ejus erecta in parochialem Eccleſiam. Hinc etiam Perſonatus hujus ſpectat ad Capitulum Antverpienſe.

1201. Dilatatio Civitatis.

Anno primo ſeculi XIII. Urbis Antverpienſis pomœrium prolatum eſt, portis conſtructis, ubi etiamnum pontes & foſſæ, quæ à vaccis, à vineis, à D. Catharina, à Mera, à Cameraço, à D. Joanne nomen habent, dato deſuper eo anno diplomate à Marchione noſtro HENRICO I, Duce Brabantiæ. Ita Haræus. Per hanc

Anno 1201. dilatationem Eccleſia B. Mariæ, quæ eouſque extra muros fuerat, mœnibus cincta eſt.

Fundatur præbenda in Capitulo Antverp.

Eodem anno Capitulum Antverpienſe augmentum capit per additionem unius præbendæ fundatæ per JOTHAM piam matronam. Hæc ſpiritu pietatis ducta pro anima ſua & Goſwini mariti ſui & prædeceſſorum ſuorum inſtituit ad uſum hujus præbendæ Reditus decem marcarum, eâ conditione, ut ſtatim eligeretur Canonicus, qui cum cæteris æquâ fructuum gauderet poſſeſſione; reditus verò prædicti in uſum cederent communitatis. Acceptatis his conditionibus proceſſerunt Canonici ad electionem, elegeruntque communi voto JOANNEM Acolytum. Patent hæc ex litteris Capituli deſuper confectis, quas ex Miræo *Dipl. Belg. lib. II. cap.* 68. ſubjungo.

Litteræ Capituli deſuper.

„ROBERTUS B. Mariæ Antverpienſis Præpoſitus & ejuſdem loci Capitulum omnibus præſentem paginam inſpecturis ſalutem in Domino.

„Præſentium atteſtatione univerſitati veſtræ notum fieri volumus, quod quædam matrona, JOTHA nomine, ſpiritu pietatis ducta, pro anima ſua & Goſwini mariti ſui & prædeceſſorum ſuorum, reditus decem marcarum in Eccleſia noſtra Antverpienſi ad uſum unius præbendæ inſtituit: ita quod in ea ſtatim eligeretur Canonicus, qui in fratrem receptus nobiſcum æquâ fructuum gauderet poſſeſſione: reditus verò prædicti in uſum cederent communitatis.

„Ad quam Præbendam nos, divinæ pietatis intuitu & honeſtatis perſonæ reſpectu, JOANNEM Acolytum in fratrem & canonicum elegimus, & ipſi conceſſimus plenam participationem bonorum ſpiritualium & temporalium, ſtallum in Choro, vocem in Capitulo cum cæteris ſolemnitatibus eidem aſſignantes: non obſtante

„im-

„ impoſterum cujuſcumque calomnia ſeu contradictione ; non obſtante etiam quocumque damno ſeu incommodo emergente de bonis, quæ à prædicta collata ſunt matrona. Anno 1201.

„ Quod ut debitam obtineat firmitatem, præſentem fecimus conſcribi paginam ſigilli noſtri caractere roboratam. Actum anno Verbi incarnati Milleſimo ducenteſimo primo."

Collatio præbendarum ſpectat ad Capitulum.

Ex his litteris patet fundationem hujus Præbendæ taliter à Capitulo acceptatam fuiſſe, ut in omnibus indueret rationem aliarum præbendarum : ita ut nequidem pro primâ vice Fundatrici conceſſerit electionem aut præſentationem : ſed Canonici ad hanc, ſicut ſolebant ad omnes alias, elegerunt & ſic electum induxerunt. Capitulum enim ſemper omnium ſuarum præbendarum electionem, collationem & inſtitutionem habuit, habetque uſque in hodiernum diem ; niſi quod in erectione Epiſcopatûs una annexa ſit menſæ Epiſcopali, & demptæ ſint novem præbendæ pro totidem Graduatis, quorum ſuperviventes cum Epiſcopo in locum defuncti ſibi confratrem eligunt. Ad primam autem dignitatem, quæ Decanalis eſt, hodie nominat Princeps. Reliquarum præbendarum adhuc hodie Capitulum habet collationem per quatuor menſes, conferunturque per Canonicos capitulares, non per vota, ut olim, ſed per turnum. Fiunt autem Capitulares novem circiter menſibus poſt tertium feſtum S. Joannis.

Decimæ & bona in Milleghem.

JOTHA pro hâc fundatione ſe obligaverat ad comparandos Reditus decem marcarum : ut autem ab hac obligatione ſolveretur, de conſilio Ducis Brabantiæ & Canonicorum, duos manipulos decimæ de MILLEGHEM & quatuordecim bonaria terræ in eâdem villâ comparavit, & procuravit ut Eccleſia Antverpienſis per Ducem in eis inveſtiretur. Capitulum autem acceptans

Anno 1201. hæc bona eam abſolvit ab obligatione de tantâ parte reddituum, quantum de præmiſſis bonis provenire contingeret; tali factâ æſtimatione, ut tria ſiſtaria ſiliginis pro marca, & quatuor ſiſtaria hordii ſimiliter pro marca computarentur. Patent hæc ex litteris deſuper confectis apud Miræum. *Dipl. Belg. lib. II. cap.* 70.

1202. Confirmantur Capitulo per Ducem. Diploma Ducis Brabantiæ, quod JOTHA pro confirmatione dictæ aſſignationis procuravit, ſubjungo ex Miræo. *Ibidem cap.* 73.

„IN NOMINE ſanctæ & individuæ Trini„tatis. HENRICUS Dei gratiâ Dux Lotharin„giæ & Marchio Romani Imperii, tam futuris „quàm præſentibus in perpetuum.

„Notum ſit omnibus præſentem paginam in„ſpecturis, quod Antonius & fratres ſui Willel„mus, Henricus, Arnoldus Milites de Bunſceke „duos manipulos decimæ in *Millenghem* & „XIV. bunaria allodii, quod in eadem villa „hereditario jure poſſederant, in manus noſtras „ad uſus Canonicorum Eccleſiæ S. Mariæ in „Antwerpia more Nobilium liberè & abſolutè „reſignaverunt. Et Nos eadem bona, intuitu „divinæ remunerationis, Canonicis prædictæ „Eccleſiæ in perpetuum poſſidenda ſub teſti„monio Nobilium virorum contulimus.

„Ut autem hæc donatio rata & inconvulſa „in poſterùm permaneat, ſigilli noſtri impreſſione „& teſtium ſubſcriptione confirmavimus. Teſtium „nomina hæc ſunt: Godefridus de Scoten, Ar„noldus de Grimbergis, Walterus Bertholt de „Grimbergis, Arnoldus & Gerardus fratres de „Dieſt, Lambertus de Rumpſdorpe, Henricus „de Rikeſtelle, Nicolaus de Ranſt, Willelmus „de Craihem, Arnoldus Droſſate de Rotſelar, „Arnoldus de Weſemale, Nicolaus de Sant.

„Actum anno Incarnationis Dominicæ Mille„ſimo ducenteſimo ſecundo."

Fun-

Fundationem novæ hujus præbendæ confirmavit Epiſcopus Cameracenſis anno 1203. Litteræ ejus deſuper datæ referuntur apud Miræum *Dipl. Belg. lib. II. cap.* 69. Anno 1203. Epiſ. confirmat fundationem novæ Præbendæ.

Dubitari poſſet, num hæc Præbenda fuerit perpetua, an tantùm temporanea. Dicitur quidem in litteris Capituli, hìc ſuprà citatis apud Miræum *cap.* 70., fundationem hanc factam fuiſſe. „Sub tali formâ, ut in eâ novus inſtitueretur Canonicus, ibidem in perpetuum miniſtraturus." Sed ſi verum ſit, quod ſuprà ad annum 1148. ex litteris Epiſcopi Cameracenſis collegimus, numerum ſcilicet Canonicorum tunc auctum fuiſſe ad duodecim, deberet hæc fuiſſe decima tertia: & tamen, ut infrà videbimus, conſtat anno hujus ſeculi quadrageſimo tantùm fuiſſe duodecim. Unde ſi hæc Præbenda fuerit perpetua, verum non eſt, numerum canonicorum anno 1148. auctum fuiſſe ad duodecim. An fuerit perpetua.

Præter Cellam D. Mauri monachorum Benedictinorum in Burgo & Abbatiam S. Michaëlis, cum connexo Norbertinarum monaſterio, quod paucis annis ſubſtitit, aliud hactenùs monaſterium Antverpiæ ſubſtitiſſe nulla monumenta docent. Verùm Gramaye in ſua Antverpia *lib. III. cap. XI.* refert ex ſcripto Cœnobii Einhamenſis, hìc anno 1204. ſubſtitiſſe utriuſque ſexûs Religioſos, qui morbidis vacabant. 1204. Hoſpitale.

Clarum eſt, hìc nihil aliud indicari, quàm Noſocomium ſeu hoſpitale, quod illic ſubſiſtit, quodque olim dictum eſt *Hoſpitale B. Mariæ*, dein uſque in hodiernum diem *Hoſpitale S. Elizabethæ*: illud enim inſtitutum eſt unicè ad curandos morbidos; & in eo ab origine fuerunt Religioſi utriuſque ſexûs, qui dicebantur *Fratres & Sorores*, quæ nomina eo ævo communia erant Eccleſiaſticis utriuſque ſexûs, tam ſecularibus quàm regularibus. Fratres curabant ſpiritualia S. Elizabethæ.

Anno 1204. tualia & temporalia, Sorores curabant morbo infectos.

Quando & ubi fundatum. Non eſt dubitandum, quin hoſpitale hoc antea ſubſtiterit: quia poſt paucos annos, anno nempe trigeſimo octavo hujus ſeculi tranſlatum eſt ad locum, in quo nunc extat; & ratio tranſlationis refertur, quod eſſet ædificatum in loco nimis arcto; quæ ratio ordinariè non militat in locis recenter fundatis. Fundatum autem erat in agro B. Mariæ, ut antiqua monumenta ferunt, qui quam latè patuerit, non liquet. Locus ſtrictiùs determitatus inter ſcedas loci non reperitur.

Litteræ fundationis jam non inveniuntur: extabant autem adhuc anno 1429., quando Martinus PP. V. Commiſſarios nominavit ad declaranda & interpretanda vetera Statuta domûs. Commiſſarii illi inter alia juſſerunt proferri fundationem hoſpitalis; prolata eſt, & eâ uſi ſunt in ſuis interpretationibus, eamque citant in Actis ſuis: *ex tenore*, inquiunt, *primæ fundationis*. Sed de his infrà ſuo loco latiùs.

Hoſpitalarium pietatis opera. Interim Hoſpitalariæ hæ pietatis operibus deſudantes pauperes egrotos recipiebant & curabant cum tali charitatis affectu, ut amorem & venerationem omnium ſibi conciliarent, non tantùm civium & Senatûs, ſed & Marchionis noſtri Ducis Brabantiæ hoc tempore regnantis, qui in ſuo Diplomate infrà ad annum 1230. referendo dicit, quod *Magiſtra & Conventus hoſpitalis Antwerpienſis bonis operibus jugiter inſiſtendo preſumantur ad ſuperne Civitatis domeſticos pertinere.* De hoc Hoſpitali latiùs infrà ad annum 1226.

1210. Abb. S. Mich. acquirit piſcariam in Orderen &c. Dono HENRICI Brabantiæ Ducis obtinuit Abbatia S. Michaëlis, anno hujus ſeculi decimo, jus piſcandi in aquis de Berendrecht, Orderen, Wilmerdonck & Ouſterweel. Diploma deſuper datum confirmans teſtatur ſe vidiſſe PHILIPPUS Flandriæ Comes anno 1393. per litteras relatas

Dipl.

Dipl. Belg. coll. nova part. IV. cap. 101. ex quibus illud ſubjungo. Anno 1210.

„ H. Dei gratiâ Dux Lotharingiæ omnibus „ præſentes litteras viſuris ſalutem & cognoſcere „ veritatem.

„ Noverint univerſi, quod Nos omnem piſcariam & omne jus piſcandi, quod habuimus „ in aquis de *Berendrecht*, de *Orderen* & de „ *Wilmaerſdonck*, nec non *Ouſtruwele* viris religioſis Abbati & Conventui S. Michaëlis in Antwerpia præmonſtratenſis ordinis, ob ſalutem „ animæ noſtræ & Prædeceſſorum noſtrorum, „ in puram eleëmoſinam liberè contulimus perpetuò poſſidendum. Teſtes Mgr. Waltherus „ & Mgr. Joannes de Sterebeke notarii, Ar. de „ Waleem, W. Vulpes & alii quam-plures.

„ Datum anno Domini MCCX. menſe Aprili."

Mediante ſubſequente ſeculo Incolæ ſupradictorum locorum, notanter de Orderen & Wilmerſdonck, turbarunt Abbatiam in poſſeſſione hujus juris, prætendentes ſe in dictis aquis de conſuetudine & uſu præſcriptis habere jus piſcandi. Diſcuſsâ autem hâc quæſtione coram ſcabinis Antverpienſibus, ſilentium perpetuum impoſitum eſt dictis Incolis; & *Joannes III.* Brabantiæ Dux & S. R. J. Marchio tunc Antverpiæ exiſtens jus hoc Abbatiæ recognovit per litteras datas anno 1353., in quibus ſic piſcariam hanc determinat: „ Ab aggere dicto Zudewinde & Ettenhove, tendente & dirigente directè versùs Oppidum noſtrum Antverpienſe, cum omnibus „ gorgitibus & aquis in locis de Orderen & „ Wilmerſdonc, nec non Ooſterwele." Hæ litteræ etiam inſeruntur in Diplomate PHILIPPI ſuprà citato.

Confirmatur in poſſeſſione ejuſdem.

HENRICUS hic Dux & Marchio noſter addictus OTTONI Imperatori excommunicato, anno duodecimo 1212.

Brabantia interdicto ſubjacet.

Anno 1212. decimo hujus ſeculi Leodienſes bello petit; quos cum igne & ferro variè afflixiſſet, ipſam urbem regionis primariam Aſcenſionis Feſto armis cepit. Hìc magnâ crudelitate graſſatus miles, templorum, matronarum, virginumque nihil intactum reliquiſſe fertur: commiſſa in Baſilicis homicidia, ſtupra; & incendium vix urbs evaſit. Quo audito INNOCENTIUS Pontifex huic ejus terræ ſacris interdixit. Ita *Haræus* ex *Divæo*.

Huic verò Interdicto veroſimiliter ſubjecta fuit, uſque dum Dux anno decimoquarto ab OTTONE diſcedens Leodienſi Epiſcopo conciliatus eſt, & nomen in ſacram expeditionem dedit.

1219. Luytgardis de Breda benefacit Abb. S. Mich. LUYTGARDIS uxor GODEFRIDI Domini de Breda & Schooten anno ſeculi hujus decimo nono benefacit Abbatiæ S. Michaëlis aſſignans ei reditum ſuper *Perck*, ut refertur in Chron. Bredano apud Le Roy *Not. March.* pag. 445. Eam autem hoc anno ſibi delegiſſe ſepulturam ante altare B. Mariæ in eccleſia ejuſdem Abbatiæ tradit Papebrochius *Annal. Mss* ex Butkens. Similem *Luytgardis* uxoris *Godefridi* Domini de Breda & Schooten electionem ſepulturæ in illa eccleſia retulerat Papebrochius *Act. S. Norberti pag.* 940. *n.* 31. factam anno 1119. antequam Abbatia erecta eſſet. Sed Luytgardis quæ tunc vivebat, erat uxor non Godefridi, ſed Henrici Domini de Breda, ut patet ex prædicto Chronico.

1220. Capitulum obtinet Foſſatum ad conſtructionem clauſtri. Jam integrum ferè ſeculum elapſum erat, quo Canonici ſedes ſuas derelinquentes transmigraverant ad Eccleſiam B. Mariæ; & hactenus tamen juxta eam commodas ſedes non habebant, nec ſpeciem Clauſtri, quod Capitulis eo tempore familiare erat. Eccleſia autem B. Mariæ, ante paucos annos mœnibus cincta, exſtabat in magna planitie, in qua commodè Clauſtrum conſtrui poterat.

Alla-

Allaborârunt itaque Canonici, ut hunc in finem planitiem illam ſibi compararent, confidentes hoc ſibi non denegandum; quia conveniens erat, ut nova Civitatis extenſio ædificiis repleretur. Anno 1220.

Obtinuerunt itaque eam, & conceſſione HENRICI Ducis & Marchionis data fuit ad conſtructionem Clauſtri; ſic tamen, ut alia in prædicta planitie ædificia non conſtruerentur. Diploma Principis deſuper datum anno ſeculi hujus vigeſimo ſubjungo ex originali; ſed cum in eo quædam litteræ raſæ eſſent, notanter annus, ſupplevi illa ex Miræo *Don. Belg. lib. II. cap.* 99. in eo autem & alia quædam bona Capitulo confirmantur. Diploma deſuper.

„ HENRICUS Dei gratiâ Dux Lotharingie „ & Marchio romani Imperii, tam preſentibus „ quàm futuris in perpetuum.

„ Notum eſſe volumus univerſis preſentem „ paginam inſpecturis, quod Nos FOSSATUM „ foro adjacens, à domo *Hugonis Volardi* uſque „ ad pontem *Reinoldi*, tam in ſicco quàm in „ aquoſo, ad uſum Eccleſie beate Marie in Ant„ werpia reſignavimus; quidquid Juris in eodem „ Foſſato habuimus, ob honorem beate Virginis „ Marie & in remiſſionem peccatorum noſtro„ rum, ad conſtructionem Clauſtri, & ad uſum „ Canonicorum ibidem miniſtrantium, liberè „ & abſolutè conferentes. Ita quidem ut non „ liceat Nobis nec alicui ex parte noſtra vel „ ſucceſſorum noſtrorum, nec etiam Capitulo, „ nec Burgenſibus in prefato loco aliqua conſ„ truere ædificia. *Ex Archivis Capituli.* Foſſatum.

„ Prepereà quandam partem fundi, quam pre„ fata habet Eccleſia in *Pridenbeke* cum omni „ jure, quod in eodem fundo habuimus, eidem „ Eccleſie contulimus ſine calumpnia perhenni„ ter poſſidendam. Bona de Pridenbeke.

„ Nos

Anno 1220. „ Nos etiam omne jus noſtrum, quod habui„ mus in bonis de *Craila*, que WILLELMUS
Bona de Craila. „ Prepoſitus, & *Symon* frater ejus Canonici
„ Antwerpenſes, Eccleſie S. Marie in Antwerpia
„ in elemoſinam contulerunt ad uſum ſacerdotis
„ in eadem Eccleſia perpetuò miniſtraturi, ad
„ opus prefati ſacerdotis causâ remunerationis
„ eterne eidem Eccleſie reſignavimus, & eadem
„ bona ſine omni exactione conceſſimus eternali„ ter quietè poſſidenda.

„ Ut igitur hec noſtra donatio rata ſemper
„ permaneat & inconvulſa, preſentem paginam,
„ ſeriem rei geſte continentem, conſcribi &
„ noſtro ac filii noſtri HENRICI ſigillo, qui pre„ fate donationi manum ſuam appoſuit & aſſen„ ſum, ſigillis etiam Eccleſie & Oppidi, ut
„ evidens eſt, fecimus communiri.

„ Actum anno gratie milleſimo ducenteſimo
„ viceſimo."

Foſſatum quid. *Foſſatum* vocabatur planities illa, quia ſita erat inter duas foſſas manufactas, inter quas hodiè viſuntur ædes Canonicorum. Terminatur autem

Domus Volardi. à domo noti & præcipui cujuſdam civis *Hugonis Volardi*, fortè *Volcardi* à Volcaerts, quod nomen eſt Tribûs patritiæ Antverpienſis, ſicque terminus iſte fortè eſt domus illa, quæ uſque in hodiernum diem vocatur *Volcaerts-huys* vel

Pons Reinoldi. *Fockers-huys*, licèt ſita ſit ultra foſſam. Pons autem *Reinoldi* eſt, qui terminat forum lactis versùs ſeptentrionem.

1225. Quæſtio inter Abb. S. Mich. & parochianos de Deurne. Jam aliquot annis duraverat diſſidium inter Abbatiam S. Michaëlis & Parochianos de *Deurne* circa proprietatem & uſum nemoris cujuſdam in *Borgerhout*. Res hæc pluries agitata fuerat in Curia Cameracenſi. Tandem Officialis Cameracenſis ſubdelegat judices, tres Canonicos Antverpienſes, qui re examinata cum pluribus aſſeſſoribus anno ſeculi hujus vigeſimo quinto ſenten-

tiam

tiam pronuntiarunt. Sententia illa meretur conſervari tum ob vetuſtatem tum ob varia notanda in ea. Refert illam Papebrochius *Annal. Mss. ad hunc annum* collatam cum authographo per Philippum van Valkeniſſe, unde eam ſubjungo. Anno 1225.

„ IN NOMINE ſanctæ Trinitatis. Univerſis „ Chriſti fidelibus Scriptum hoc inſpecturis „ SCHOLASTICUS, PERSONA, Mag. H. CANONI„ CI Antverpienſes ſalutem in vero ſalutari. Terminatur per ſententiam.

„ Cum mortalium, propter ſuæ conditionis „ impedimentum, perenne non poteſt eſſe teſti„ monium; expedit, ut ea, quæ à modernis „ juſtè acta ac rationabiliter ſunt ordinata, „ ſcripti teſtimonio poſteris ſcienda relinquantur, „ & inviolabiliter obſervanda.

„ Inde eſt, quod nos tam præſentibus quàm „ futuris hujus Scripti atteſtatione notum eſſe „ cupimus, quod, cum inter ABBATEM & CON„ VENTUM S. Michaëlis in Antverpia ex una „ parte, & Parochianos de *Doirne* ex alterâ, „ cauſa de quodam Nemore in *Borgerhout* ſæ„ piùs mota & in Cameracenſi Curia aliquoties „ fuiſſet ventilata; tandem per Officialem ejuſ„ dem Curiæ nobis fuiſſet commiſſa, judicio & „ compoſitione terminanda,

„ Nos verò, quia inter partes per compoſi„ tionem litem decidere non poteramus, convo„ catis partibus, auditis hinc inde allegationibus, „ receptis etiam utriuſque partis teſtibus & exa„ minatis, in hoc penè omnes invenimus con„ cordes, quod Nemus præfatum, cum omni „ jure, ad Eccleſiam S. Michaëlis pertineret; „ ſed paſcua ejuſdem Nemoris omnibus peco„ ribus, exceptis Capris, aperta ſemper eſſe „ deberent & communia.

„ Quapropter Nos uſi conſilio Canonicorum „ noſtrorum & aliorum proborum Virorum,

„ qui

Anno 1225. „ qui in hac cauſa noſtri erant aſſeſſores, Nemus „ præfatum in *Burgherhout* Eccleſiæ S. Michaë„lis auctoritate Curiæ Cameracenſis præſentiali„ter adjudicamus; ita tamen ut paſcua ejuſdem „ Nemoris, prout præmiſſum eſt, pecoribus „ omnibus, exceptis dumtaxat Capris, ſemper „ aperta & communia permanerent.

„ Ut igitur factum noſtrum ratum ſemper „ permaneat & inconvulſum præſentem pagi„nam, rei geſtæ ſeriem in ſe continentem, „ fecimus conſcribi, & non ſolum noſtrum ſed „ etiam illorum, qui nobiſcum facto huic inter„fuerunt, ſigillorum appoſitione.

„ Actum anno incarnationis Dominicæ mille„ſimo (*omiſſum erat* ducenteſimo) vigeſimo „ quinto."

Notanda 1. Scholaſticus. In primis hic notanda vetuſtas Officii SCHOLASTICI in Capitulo Antverpienſi. Inſtitutum autem veroſimiliter fuit, dum anno 1117. commiſſa fuit Capitulo cura paſtoralis.

2. Perſona. Secundò notandum, quod unus inter Canonicos intituletur *Perſona*. Quale autem ipſius officium fuerit, non liquet. Veroſimile interim eſt ſic dictum fuiſſe Canonicum illum, qui hebdommadarius erat ad conferenda Beneficia, quæ erant de Perſonatu Capituli.

3. Subſtitutio judicum. Tertio notanda poteſtas Officialis Cameracenſis ad ſubdelegandos Judices. Poteſtas autem hæc brevi ab Officialibus ablata fuit: videmus enim jaminde anno 1239. hoc prohibitum fuiſſe in Concilio Turonenſi Cap. 8., & mandatum, ut Judices eccleſiaſtici per ſe ſententiam ferrent ſub pœnâ nullitatis.

4. Borgerhout. Quartò notanda vetuſtas nominis *Borgerhout*, quod uſque in hodiernum diem ſic pronunciatur & ſcribitur: & eſt nomen vici ſub Parochia de Deurne, qui contiguus eſt ſuburbio versùs orientem. Vox autem ſignificat *Civium ſylvam*, origi-

originem veroſimiliter ducens inde, quod in loco fuerit ſylva ſpectans ad Communitatem, cedens in communem civium uſum. Sed dubium manet, à quibus civibus hoc nomen tulerit locus; an à civibus Antverpienſibus, an à civibus de Deurne.

Anno 1225.

Tandem paſcua nemoris, de quo agitur; patere debebant pecoribus omnibus exceptis *Capris*: ſic & erant nemora, in quibus Capri non excludebantur, unde veroſimiliter pagus, non longè diſtans à Deurne versùs meridiem, nomen retinet *Bouchout* quaſi *Bok-hout* id eſt *ſylva Caprorum.*

5. Exceptio Caprorum.

Nuper in Concilio Lateranenſi ſub INNOCENTIO III. *Cap.* 51. prohibita erant matrimonia clandeſtina, & ſtatutum nè matrimonia contraherentur niſi præmiſſis denuntiationibus: denuntiationes autem hæ in his regionibus diutiùs protrahebantur.

Privilegium circa denuntiationes antenuptiales. Cap. *Cum inhibitio* ii. *de cland. deſponſ.*

Difficile hoc erat Antverpienſibus; quorum plurimi, negotiationi intenti, non niſi navigatione per hiemis intemperiem impeditâ apud ſuos morabantur. Difficultas autem hæc in contrahendis matrimoniis occaſio erat adulteriorum & fornicationum, undè continuæ in Republicâ turbæ.

Senatus huic malo remedium quærens recurrit ad ſanctam Sedem ſupplicans, quatenùs ob rationes prætactas Pontifex tempus denuntiationum pro civibus ſuis dignetur abbreviare. Pontifex autem precibus & rationibus Antverpienſium motus petitum privilegium conceſſit anno ſeculi hujus vigeſimo quinto per hanc Bullam, directam ad Communitatem Antverpienſem, quam ex copia authentica communicatam ſubjungo.

Obtinent Antverpienſes à Pontifice.

„ HONORIUS Epiſcopus ſervus ſervorum „ Dei. Dilectis filiis communitati Villæ de Ant„ werpia Cameracenſis Dioceſis ſalutem & Apoſto„ licam benedictionem.

Ex Archivis Curia.

Anno. „ Solet annuere Sedes Apoſtolica piis votis,
1225. „ & honeſtis petentium precibus favorem bene-
„ volum impertiri.

„ Ex parte ſiquidem veſtrâ noſtris eſt auribus „ intimatum, quod magna pars hominum Villæ „ veſtræ comercium exercent navale, ad diver- „ ſas Provincias pro ſuis exercendis negotiationi- „ bus navigando, raró niſi tempore hiemali dum- „ taxat, quando propter tempeſtuoſitatem maris „ navigare non poſſunt, in Villa commorantur „ præfata. Unde cum propter temporis brevita- „ tem, & diuturnam denuntiationem juxtà ejuſ- „ dem loci conſuetudinem per veſtros Sacerdo- „ tes in ſuis Eccleſiis faciendam, contrahere le- „ gitimè matrimonia non poſſitis; ac propter „ hoc fornicationes & adulteria in veſtrarum „ diſpendium animarum ſepiùs committere vos „ contingat, à Nobis humiliter petebatis, ut tan- „ tis malis & periculis, præmiſſorum occaſione „ ſepiùs oriundis, occurrentes, remedio ſalutari „ indulgere vobis miſericorditer dignaremur, ut, „ quotiens matrimonia in Villa prædicta fuerint „ contrahenda, tribus diebus continuis, quorum „ primus habeatur dies Dominicus vel Feſtivus, „ præmiſſa denuntiatio per Sacerdotes in veſtris „ Eccleſiis ſolemniter proponatur.

„ Nos igitur & malis obviare præfatis, & „ ſaluti veſtræ, quantum cum honeſtate poſſumus, „ providere volentes, auctoritate præſentium vo- „ bis concedimus, de ſpeciali gratiâ, poſtulata.

„ Nulli ergo omninò homini liceat hanc pagi- „ nam noſtræ conceſſionis infringere vel ei auſu „ temerario contraire. Si quis autem hoc atten- „ tare præſumpſerit indignationem omnipotentis „ Dei & beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum „ ejus ſe noverit incurſurum.

„ Datum Acatæ VI. Idûs Julii Pontificatûs noſtri „ anno nono. HONORIUS PP. III. "

Hinc

Hinc patet Antverpiam hoc tempore ſpectabilem fuiſſe, cui tam eminens concedebatur privilegium. Anno 1225.

Hoſpitale, de quo ſuprà ad annum 1204. egi, hoc tempore proſperè agebat, tum in pietatis operibus tum in temporalibus & poſſeſſione variorum bonorum.

Quod autem hoc tempore plures poſſeſſiones habuerit, patet ex Bulla Honorii III. datâ anno hujus ſeculi vigeſimo ſexto, per quam Pontifex Hoſpitale cum omnibus ſuis poſſeſſionibus in protectionem ſuſcipit, quamque ex originali ſubjungo. 1226. Pontifex in protectionem ſuſcipit Hoſpitale.

„ HONORIUS Epiſcopus ſervus ſervorum „ Dei dilectis filiis.... Magiſtro & Fratribus „ hoſpitalis beate Marie in Antwerpia ſalutem „ & apoſtolicam benedictionem. *Ex Archivis Hoſpitalis.*

„ Sacroſancta romana Eccleſia devotos & „ humiles filios ex aſſueto pietatis officio propenſius diligere conſuevit; &, ne malorum hominum moleſtiis agitentur, eos tamquam pia „ mater ſue protectionis munimine confovere.

„ Quapropter, dilecti in Domino Filii veſtris „ juſtis precibus inclinati perſonas veſtras & „ Hoſpitale cum omnibus bonis, que impreſentiarum rationabiliter poſſidet aut in futurum „ juſtis modis preſtante Domino poterit adipiſci, „ ſub beati Petri & Noſtra protectione ſuſcipimus: ſpecialiter autem terras, prata, nemora „ & alia bona veſtra, ſicut ea omnia juſtè, „ canonicè & pacificè poſſidetis, Vobis & per „ vos Hoſpitali veſtro auctoritate apoſtolicâ „ confirmamus & preſentis ſcripti patrocinio „ communimus.

„ Nulli ergo omnino hominum liceat hanc „ paginam noſtre protectionis & confirmationis „ infringere. Si quis autem hoc attemptare preſumpſerit indignationem omnipotentis Dei &

Anno 1226. „ beatorum Petri & Pauli apoſtolorum ejus ſe „ noverit incurſurum.

„ Datum Laterani IX. Kal. Junii Pontificatûs „ noſtri anno decimo.

„ HONORIUS PP. III."

Hoſpitale olim dicebatur *S. Mariæ*, nunc *S. Elizabetha*.

Hoſpitale Antverpienſe in hâc Bullâ Titulum fert *beatæ Mariæ*, ſicut & in omnibus Bullis & Diplomatibus hujus ſeculi. Hodie intitulatur à *ſanctâ Elizabethâ* Landgraviâ Turingiæ, filiâ *Andreæ II.* Hungariæ Regis, quæ vel ideo à quibuſdam Scriptoribus Reginæ Hungariæ titulo indigitatur.

Et mirum non eſt, Hoſpitale eo tempore hunc titulum non tuliſſe : erat enim ſancta Elizabeth tunc in vivis, mortua demùm anno ejus ſeculi trigeſimo primo.

Tempus Mutationis.

Mutationem Tituli à vulgo introductam fuiſſe, & Hoſpitale plus quàm per duo ſecula utrumque tuliſſe conſtat. Primò ſiquidem reperitur *Hoſpitale* intitulatum *ſanctæ Elizabeth* in litteris Archidiaconi Cameracenſis datis anno 1337. Et ultimò *ſanctæ Mariæ* in litteris Epiſcopi Cameracenſis, quibus reformat Hoſpitale, datis anno 1551. : tempore autem intermedio indiſcriminatim utrumque titulum tulit. Tandem in litteris Epiſcopi datis anno 1553. invenio utrumque ſimul junctum : *Hoſpitale beatæ Mariæ Virginis, vulgariter ſanctæ Elizabeth nuncupatum, Civitatis Antverpienſis.* A quo tempore nomen vulgare ita prævaluit, ut primævum totaliter manſerit extrà uſum.

Mutatio ſigilli.

Sicut autem primitùs Hoſpitale titulum tulit *S. Mariæ*, ſic & in ſigillo ejus viſebatur olim Imago ejuſdem. Sed poſt mutatum omninò titulum, mutatum eſt & ſigillum, quod hodiè præfert Imaginem ſanctæ Elizabethæ.

Mutationis occaſio.

Occaſio mutationis hujus fuit veroſimiliter ſolemnitas, quâ quotannis in Hoſpitali cele-

celebrabatur feſtivitas beatæ ELIZABETHÆ. Hoſpitale enim citò ſolemniter cœpit colere hanc Sanctam, tum quia in conſimilibus pietatis operibus eminuerat, tum quia Filia ejus SOPHIA, decimo poſt mortem & ſexto poſt Canonizationem ejus anno, id eſt quadrageſimo hujus ſeculi, nupta erat HENRICO Duci Brabantiæ Marchioni noſtro, à quo jaminde Hoſpitale favores & privilegia obtinuerat. Hæc autem SOPHIA, Matris veſtigia premens, ſimilibus charitatis operibus plurimum addicta erat: refert enim Haræus *Annal. Duc. Brab.* eam Lovanii magnum Hoſpitale fundaſſe. Ad hanc itaque ſolemnitatem populus accurrens, Hoſpitale ab eâ nominare cœpit, & nomen ſanctæ Elizabeth indere; quod ſenſim ita invaluit, ut tandem omninò prævaluerit.

Anno 1226.

Licèt autem titulus mutatus ſit, Patrona tamen mutata non eſt: & BEATA MARIA ſub titulo *Aſſumptionis* adhuc hodie colitur ut præcipua Patrona Eccleſiæ & Hoſpitalis.

Patrona Hoſpitalis B. Mariæ.

Cæterum Hoſpitale hoc tempore quidem videtur fuiſſe in proſpero ſtatu: ſed Divina in eo non celebrabantur, nec Sacerdotem nec Capellam habebat. Frequentabant Fratres & Sorores Eccleſiam beatæ Mariæ, in cujus agro fundati erant.

Divina in eo non fiebant.

Jam à multo tempore tum à Capitulo tum ab Epiſcopo Cameracenſi petierant licentiam conſtruendi Capellam & habendi ſacerdotem proprium: ſed cum neutrum hactenùs obtinuiſſent, nec brevì hâc viâ obtinendum crederent, recurrerunt ad Sedem apoſtolicam, gratiam hanc cum ſuprà relatâ protectione enixè à Pontifice poſtulantes. Veroſimiliter quia novum erat & fortè inauditum, quod Hoſpitalia propriam intra fines ſuos haberent Capellam: invenio enim & alia Hoſpitalia in Gallia hoc tempore viâ

Petunt Capellam & ſacerdotem proprium:

Anno 1226. Romanâ obtinuiſſe licentiam conſtruendi Capellam in domibus ſuis.

Pontifex autem rationabili hâc petitione permotus hanc deſuper ad Epiſcopum Cameracenſem tranſmiſit Bullam, quam ex originali ſubjungo.

Pontifex deſuper ſcribit ad Epiſ.Cam.

Ex Archivis Hoſpitalis.

„ HONORIUS Epiſcopus ſervus ſervorum „ Dei venerabili fratri... Epiſcopo Cameracenſi „ ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

„ Supplicârunt Nobis dilecti filii Magiſter & „ Fratres & Sorores domûs Hoſpitalis S. Marie „ in Antwerpia, ut in eadem Domo conſtruendi Capellam, & habendi Capellanum proprium „ in eadem, licentiam eis concedere dignaremur.

„ Volentes igitur in hoc tibi deferre, qui loci „ Dioceſanus exiſtis, Fraternitati tue per apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus eiſdem, ſi „ videris expedire, poſtulata concedas ſine juris „ prejudicio alieni.

„ Datum Laterani XI. Kal. Junii Pontificatûs „ noſtri anno decimo.

„ HONORIUS PP. III. "

Conſtruitur Capella.

Epiſcopus, ad quem Pontifex hanc tranſmiſit Bullam, erat *Godefridus* DE FONTANIS vir pius & doctus, qui multos libros edidit & plures pias fundationes fecit. Hic poſt receptam Pontificis Bullam ſtatim deſuper egit cum Capitulo Antverpienſi: & per interim Fratribus & Sororibus Hoſpitalis conceſſerunt licentiam conſtruendi Capellam & per ſacerdotem in ea celebrandi officia divina. Sed ſacerdotem proprium non niſi poſt alteram pontificiam Bullam obtinuerunt, ut infrà videbitur.

Bullæ cur inſcriptæ ſolis Fratribus.

Jam duas vidimus Bullas, ſeu Brevia apoſtolica, datas ab eodem Pontifice & eodem tempore, quarum prior data dicitur ad preces Fratrum Hoſpitalis, nullâ factâ mentione Sororum: ſecunda dicitur data ad ſupplicationem Fratrum

&

& Sororum. Sic & in ſequentibus videbimus Bullas datas ad Hoſpitale aliquando inſcribi ſolis Fratribus, aliquando ſolis Sororibus, & aliquando utriſque ſimul. Hinc Auctores aliqui putârunt Fratres in Hoſpitalibus aliquando primatum tenuiſſe. Sed notandum, quod Bullæ ſolis Fratribus inſcriptæ non concernant niſi privilegia & protectiones bonorum temporalium, quorum cura ipſis demandata erat, quique vel ideo privilegia & protectiones petebant: Romæ autem inſcribebantur Bullæ eis, quorum nomine petebantur. Anno 1226.

An hoſpitale ſpectaverit ad Capitulum.

Miræus, quondam Decanus Capituli Antverpienſis, in *Codice Regul. & Cleric.* pag. 136. agens de Hoſpitalibus junctis eccleſiis Canonicorum, qua ratione *Canonicus* dicebatur *Hoſpitalarius*, qui curam ejus gerebat, qualia in Belgio adhuc aſſerit ſubſiſtere, addit: „ ſic & Antverpiæ olim hoſpitalaria domus ſtetit juxta Baſilicam Marianam, inde poſteà ad extimam urbis „ regionem tranſlata," quaſi vellet inſinuare hoſpitale hoc aliquando ſpectaſſe ad Capitulum. Sed antiqua monumenta nullam ea de re mentionem faciunt: aſſerunt autem ſtetiſſe in agro B. M., qui quàm latè patuerit non liquet, & quod inde tranſlatum ſit extra civitatem.

Fuit ſemper ſub immediata Cura Epiſcopi.

Fuit autem Hoſpitale ſemper ſub immediata cura Epiſcopi cum Proviſore de ejus conſenſu per Sorores electo, qui plerumque quidem eligebatur ex Capitulo Antverpienſi ſed non ſemper; plures enim Abbates S. Michaëlis, Decani aut Canonici Capituli Lirani & etiam aliorum monaſteriorum Superiores fuerunt electi in Proviſores. Epiſcopus autem privativè hoſpitali præſcripſit Statuta, & ſi quid emendandum eſſet in regimine monaſtico aut cura ægrotorum, id ſemper factum eſt per ſolum Epiſcopum: & tamquam talem eum recognoverunt Duces &

Anno 1226. Conſilium Brabantiæ. Conſtant hæc ex ſchedis loci.

An Capitulum ſuperintendat Hoſpitali. Van Eſpen præmiſſa ex Miræo citans *Jur. Eccl. parte II. tit. XXXVII. de Hoſpitalibus cap. I. n.* 19. addit, quod huic hoſpitali Canonici Antverpienſes hodie quoque ſuperintendant, & per ſuos deputatos computibus interſint. Hoc certè hodie verum non eſt, nec verum fuit olim; nullum enim veſtigium illius rei ſupereſt. Hoſpitale Antverpienſe nullam putatur habuiſſe connectionem cum Capitulo, niſi in ſpiritualibus ſive in jure paſtorali: omne enim jus paſtorale, quod habet participavit & obtinuit à Capitulo, ſicut & reliqua omnia monaſteria illud obtinuerunt à Capitulo: in quo ab anno 1117., ut ſuprà vidimus, reſedit omne jus paſtorale

1228. totius civitatis & ſuburbii ejus univerſi.

Bogardi adveniunt. De BOGARDORUM origine nil ſcimus. Agit de eis Car. Scribani *Orig. Antv. pag.* 103. Hos primùm, inquit, urbem ingreſſos reperio anno MCCXXVIII. ſed non indicat unde advenerint, & ſic dubium manet num alibi inſtitutum illorum cœperit. Dicit illos ingreſſos *ſub Auſpiciis*

Nomen. *divæ Beggæ*, quam reverà hactenùs colunt. Helyotus *Ordinum Relig. Tom. VII. cap.* 33. aſſerit eos S. Beggam ſibi patronam elegiſſe & inde eis nomen BEGHARDS adhæſiſſe. Et verè BEGGARDI initio vocati ſunt: ſic enim legimus eos vocatos in diplomate *Henrici II.* Ducis Brab. dato anno 1296. infrà ſuo loco referendo, cum hodie communiùs BOGARDI ſcribantur.

Modus vivendi. Dicit inſuper Scribanius, eos texendo vitam toleraſſe ac primò nullis certis legibus, ſolo charitatis vinculo, annis LXII. modeſtè ſe continuiſſe. Texendo eos vitam duxiſſe habet etiam traditio loci. Et Scribanius aſſerit eos textrinam demùm dimiſiſſe anno 1455. Quando autem dicit eos initio *ſine certis legibus* vixiſſe, agit de Re-

Regula approbata ab Eccleſia, qualem demùm acceptarunt poſt 62. annos, anno nempe 1290., quando ſe ſubjecerunt Regulæ tertiæ S. Franciſci, quam anno præcedenti approbaverat NICOLAUS PP. IV. Alioquin nulla confraternitas vel congregatio licèt diſperſa ſubſiſtit *ſine certis legibus.*

Anno 1228.

An Inſtitutum habeant ab Humiliatis Italiæ.

R. P. Conſtantinus Suyskens *Act. SS. tom. VII. Septemb. pag.* 350. *n.* 43. conſiderans hunc Bogardorum modum vivendi, agens de Italis *Humiliatis*, jam abolitis, vehementer ſuſpicatur Bogardos Antverpienſes ab Italis Humiliatis primam ſuam vivendi normam mutuatos fuiſſe. Si autem ab illis normam vivendi mutuati ſint, certè non à tertio illius Ordinis gradu, qui jam à ſeculo textrinam & lanificium dimiſerant; ſed à ſecundo illius Ordinis gradu, ſub quo tamen Humiliati in communi vivebant.

Similes hodie Congregationes.

Interim videmus in his regionibus à ſeculo duas congregationes eodem vivendi modo cœpiſſe, nempe Turnholti, ubi habetur congregatio Eremitarum, qui in communi viventes textrinam exercent: ac ſimilem & ſplendidam Eremitarum congregationem in Achel Campiniæ Leodienſis pago, in qua Eremitæ etiam textrinam exercuerunt, ſed dimiſsâ jam textrinâ aliis opificiis & mercaturis ſibi victum acquirunt. Hæ autem Congregationes dicendæ non ſunt normam vivendi mutuaſſe ab Humiliatis aut à Bogardis; ſed ſicut Bogardi ſuo tempore, ſic & hi labore ſeculo ſuo oportuniori victum ſibi quæſiviſſe credendum eſt.

Dicit Scribanius Bogardos anno 1346. locum habitationi priore commodiorem ære ſuo paraſſe. Verùm Bogardi negant ſe umquam locum mutâſſe; & affirmant locum, quem nunc occupant, eſſe ipſorum primum, licèt dein auctum.

Quandonam cœperunt vivere in communi.

Dicit inſuper eos in communi vivere cœpiſſe anno 1455. Verùm habemus Litteras HENRICI II. Ducis

Anno Ducis Brabantiæ datas anno 1296. & Henrici III.
1228. ſucceſſoris ejus datas anno 1326., infrà ſuis locis referendas, in quibus Principes de Bogardis noſtris loquuntur, ſicut de aliis religioſis Domibus, domum illorum vocantes *Conventum*: unde plus quàm veroſimile eſt, eos tunc, nempè annò 1296. conventualiter & in communi vixiſſe: nec eo quidem anno cœpiſſe ſed & antea, ſaltem dum anno 1290. regulam approbatam admiſerunt; ſi non vixerint in communi ab origine ſicut Eremitæ, de quibus ſuprà.

Fratres de Pœnitentia, dicti *Penitentie-broeders.* Cæterùm habeo Chronicum Ms, ſcriptum anno 1583., in cujus facie hæc leguntur: *Copia. Ghecopieert deſe gheſchiedeniſſen, hier binnen in't witte van deſen gheſcreven, wyt eenen pampieren gheſcreven boeck voor myne heere Joncker Cornelis Happaert.* in quo hæc leguntur. *Anno* 1128. *ſtichte Hertoghe Godevaert metten baerde een vergaderinghe van goede mannen, ende waeren genompt Penitentie-broeders, ende hadden huyshuere, berninge, ſlaepen ende potaſie; ende elck aerbeyden voorts omme cleedinge ende coſt.* An hæc fuerit origo noſtrorum Bogardorum, viderint curioſi.

Benefactores Hoſpitalis. Cum Fundatores hoſpitalis, ut ſuprà dictum eſt, nos lateant, juvabit hìc aliquos ex ejuſdem hujus temporis Benefactoribus recenſere.

1229. Henricus Dux. Inter eos primum locum tenet HENRICUS I. Brabantiæ Dux & Marchio noſter. Princeps hic plurimùm æſtimans pietatis opera, quæ in hoſpitali exercebantur, plurimùm etiam illi addictus erat, concedens varia privilegia & immunitates, inter quæ primum reperio Telonium lignorum, conceſſum hujus ſeculi anno vigeſimo nono per Diploma, quod ex originali ſubjungo.

Concedit Telonium Lignorum. *Ex Archivis Hoſpitalis.* „HENRICUS Dei gratiâ Dux Lotharingiæ
„omnibus hoc ſcriptum videntibus Salutem.
„Noverint univerſi, quod Nos, pro remedio

„ dito anime noſtre & Anteceſſorum noſtrorum, „ domui hoſpitalis in Antwerpia contulimus „ Telonium lignorum in perpetuum poſſiden„ dum. Et ut hoc eis firmum maneat, preſens „ ſcriptum eis dedimus in teſtimonium ſigillo „ noſtro munitum. Anno 1229.

„ Teſtes Nicholaus & Arnoldus Sacerdotes; „ Willelmus Vulpes, Arnoldus de...., Johan„ nes & Henricus fratres de Sterbeca, ..., „ Magiſter W. de Lyra, Egidius Scoltetus, „ Willelmus Noſa, Tibaldus de Mera, Nicho„ laus de Molendino Scabini & Jurati.

„ Actum Thenis anno Domini MCCXX. „ nono, craſtino Marie Magdalene."

Similiter & alia Princeps hic privilegia conceſſit hoſpitali: imò & alios ad liberalitatem erga illud excitabat, promittens contribuentibus favorem ſuum, ut patet ex his ejus litteris, quas ex originali ſubjungo, in quibus nec dies nec annus notatur, ſed ſigillum Principis appendet.

Alios excitat ad contribuendum Hoſpitali.

„ HENRICUS Dei gratia Dux Lotharingie „ omnibus hoc ſcriptum videntibus ſalutem.

Ex Archivis Hoſpitalis.

„ Sciatis quod hoſpitale, conſtructum in „ Antwerpia in honore ſancte Dei Genitricis Ma„ rie, illud ut in noſtrâ civitate in noſtrâ pro„ tectione eſt, & ejus Nuntii ubicumque va„ dunt cum rebus ſuis omnibus in noſtra ſunt „ defenſione & conductu.

„ Rogamus igitur vos omnes, quatenus litte„ rarum preſentium Nuntios ejuſdem domûs „ benignè recipiatis, ac veſtras elemoſinas ad „ opus ſupradicti hoſpitalis tranſmittatis; ut per „ hoc videre mereamini Deum deorum in Sion „ in ſuprema neceſſitate, & noſtrum favorem „ temporaliter, quantum hoc valere poteſt, ube„ riùs habeatis.

Senatus Populuſque Antverpienſis pium hunc Principis ſui erga hoſpitale affectum imitati ſunt: hi 1230.

Senatus & Populus Antverp.

Anno 1230. hi enim omnibus de Bonis ſuis Hoſpitali conferentibus, Litteras ſuas patentes dabant, quibus libertates & immunitates ab oneribus Civitatis concedebant. Unde meritò ſecundum inter hujus temporis Hoſpitalis benefactores locum tenent. Unicum hìc ſufficiat hujus rei teſtimonium referre, litteras videlicet eorum datas anno hujus ſeculi trigeſimo, in quibus ſubſcripta ſunt nomina duodecim Scabinorum, quas ex originali ſubjungo.

Dant Privilegia contribuentibus Hoſpitali. *Ex Archivis Hoſpitalis.*

„ Univerſis tam preſentibus quam futuris SCA„ BINI Antwerpienſes in perpetuum.

„ Labi poteſt ex facili quicquid modò geri„ tur, niſi voce teſtium aut ſcripto authentico „ roboretur.

„ Cum igitur *Hildegardis* relicta *Balduini de* „ *Coppenole*, divine pietatis intuitu ac in ſuorum „ remiſſionem peccatorum, medietatem bonorum „ ſuorum tam mobilium quàm immobilium Hoſ„ pitali beate Marie in Antwerpia poſt obitum „ ſuum contulerit, reſervato ſibi dictorum bo„ norum, quoad vixerit, uſufructu; Nos in „ favorem dicte Domûs, ad cujus profectum „ modis omnibus aſpiramus, dictam *Hildegar*„ *dem* cum omnibus bonis, que rationabiliter „ poſſidet & quietè, ſub noſtra protectione reci„ pimus.

„ Inſuper de unanimi aſſenſu totius Commu„ nis Antwerpienſis & pari omnium voluntate, „ ipſam ab omni exactione, expectatione, noc„ turnâ cuſtodiâ, honere ac ſervitio Reipublicę „ liberam fore in perpetuum decrevimus & ab„ ſolutam.

„ Ut autem hec libertatis donatio rata perma„ neat ac inviolabiliter predicte vidue conſerve„ tur, preſentem paginam fieri fecimus ſigilli „ Monarchie Antwerpienſis munimine roboratam, „ ſubſcriptis nominibus noſtris.

„ Ego

„ Ego Willelmus Noſo Scabinus. Anno
„ Ego Balduinus filius Bettonis Scabinus. 1230.
„ Ego Willelmus de Werf Scabinus.
„ Ego Joannes de Molendino Scabinus.
„ Ego Hugo Bernecolve Scabinus.
„ Ego Arnulphus Hildeware filius Scabinus.
„ Ego Thibaldus de Foro Scabinns.
„ Ego Thomas Scabinus.
„ Ego Nicholaus Scabinus.
„ Ego Willelmus Draco Scabinus.
„ Ego Hugo Tuclant Scabinus.
„ Ego Thibaldus de Mare Scabinus.
„ Actum anno Domini milleſimo ducenteſimo
„ triceſimo."

Pietas hæc erga profectum Hoſpitalis uſque in hodiernum diem quaſi hæreditario jure in Senatu & Populo Antverpienſi laudabiliter perſeverat.

Willelmus Noſe.

Inter particulares, quibus hoc tempore Hoſpitalis profectus cordi erat, facilè primum locum tenet WILLELMUS NOSE Scabinus Antverpienſis, cujus nomen ſubſcriptum vidimus in duobus ſuprà relatis Litteris, tum Principis tum Scabinorum, quodque ſubſcriptum reperitur in omnibus ferè hujus temporis Litteris, quibus privilegia aut munera Hoſpitali conferuntur. Ita ut vel ex eo ſolo liceat colligere, eum zeloſum fuiſſe fautorem & promotorem omnium conducentium ad Hoſpitalis profectum.

Et non tantum ipſe, ſed & omnis ejus familia Hoſpitali piè affecta fuit & munifica: inter quos eminet Magiſter *Henricus Noſe* frater ejus, Canonicus & poſtmodùm annihilatâ Præpoſiturâ circà annum hujus ſeculi ſeptuageſimum tertium primus Capituli Antverpienſis Decanus.

Confert Bona Hoſpitali.

WILLELMUS autem, qui in omnibus promotor erat Hoſpitalis, allaboravit etiam plurimùm, ut in eo Divina celebrarentur: & licèt Hoſpi-

tale

Anno 1230. tale hactenùs non obtinuiſſet petitum Sacerdotem proprium; jaminde tamen cum uxore ſua *Lidilde* eidem contulerat de bonis ſuis in Borsbeek, ut de proventibus eorum haberet, quo ſuſtentaret Sacerdotem, qui in ejus Capella, quæ jam conſtructa erat, ſacra peragebat. Et deinceps occaſionem nactus, dum Princeps Antverpiæ morabatur in Caſtro, procuravit hoſpitali ſubjunctum ex originali Diploma, quo prædicta bona eidem confirmantur & ab oneribus liberantur.

Confirmantur Hoſpitali per Ducem. *Ex Archivis Hoſpitalis.*

„ HENRICUS Dei gratia Dux Lotharingie „ tam preſentibus quam futuris in perpetuum.

„ Etſi juxta ſententiam Apoſtoli bonum expe- „ dit operari ad omnes, propenſiori tamen ſtu- „ dio Fidei domeſticis opera ſunt impendenda „ pietatis, quatenùs eorum patrocinio faciliùs „ ſalus adquiratur, quos Dominus propenſiùs „ exaudit orando.

„ Cum igitur Magiſtra & Conventus Hoſpi- „ talis Antwerpienſis, bonis operibus jugiter inſtan- „ do, preſumantur ad ſuperne Civitatis domeſ- „ ticos pertinere, Nos pro augmento ſalutis noſtre „ ac remedio animarum Progenitorum noſtro- „ rum, eiſdem conceſſimus, ut poſſeſſiones & „ terras, quas Henricus Failge in Parochia de „ Borcebeke ſitas excolit, videlicet quindecim „ bonaria terre in aratoriis, tria in pratis, & „ dimidium in nemoribus & arbuſtis, à *Willelmo* „ *Noze* de Antwerpia & quondam uxore ejus „ *Lidilde* in eleimoſinam dicto hoſpitali piè col- „ latas ad opus ſacerdotis, qui perpetuò miniſ- „ trabit ibidem, ab omni exactione & talliâ, „ nec non & à ſolutione avene & denariorum, „ qui vulgariter *Plug-penninge* appellantur, libe- „ ras perpetuò poſſideant & abſolutas.

„ In cujus rei evidentiam & perpetuam ſta- „ bilitatem preſentem paginam conſcribi & ſigilli

„ noſtri

„ noſtri appenſione roboratam ſupradicto hoſ- Anno
„ pitali fecimus aſſignari ſubſcriptis teſtium no- 1230.
„ minibus : *Walterus Dapifer*, *Henricus Sterebeke*, *Walterus de Pulle*, *Nicholaus de Grobbendonck*, *Galterus magiſter de Lyra* & „ alii quàm plures.

„ Actum Antwerpie in Caſtro anno Domini „ milleſimo ducenteſimo triceſimo ſecundo in „ feſto S. Andree Apoſtoli."

Leproſaria in Belgio.

Expeditio Jeroſolimitana ſeu Bellum ſacrum, quod iteratis vicibus jam ultra ſeculum duraverat, ad quod Principes noſtri ſæpiùs copias ſubditorum aut duxerant aut miſerant, occaſio putatur fuiſſe erectionis Leproſariorum in Belgio : redeuntes enim ex eo itinere plures leprâ infecti erant. Cum autem communi voto eò iviſſent, ex itinere infectis ſuccurrere volentes & Principes & Fideles ad ſingulas ferè Civitates Leproſaria erexerunt.

1231. Antverpienſe Ter-Zieken.

Sic & in ſuburbio Antverpienſi erectum eſt Leproſarium, quod hodiè extat intrà muros Civitatis ſub vulgari nomine TER-ZIEKEN. Sed de tempore fundationis aut fundatoribus nihil habemus. Leproſarium juxtâ Lovanium vulgò *Ter-Banck* fundatum videmus per HENRICUM Ducem Brabantiæ anno hujus ſeculi decimo ſexto. *Supl. Dipl. Belg. part. II. cap.* 82.

Nicolaus Plebanus benefacit Hoſpitali & Leproſiæ.

Quod autem extiterit hoc tempore Leproſarium Antverpienſe patet ex his Litteris datis anno trigeſimo primo hujus ſeculi, quibus beneficium confertur hoſpitali & Leproſiæ per NICOLAUM Plebanum Antverpienſem.

Ex Archivis Hoſpitalis.

„ Univerſis Chriſti fidelibus Magiſter *Willelmus de Bigardis* Archidiaconus Cameracenſis „ in Antwerpia, Magiſter *Andreas* Decanus „ Chriſtianitatis, G. Scultetus & Scabini ejuſdem „ loci ſalutem in Domino.

„ Noverint univerſi, quod NICHOLAUS Ple-

„ banus

Anno 1231. „ banus beate Marie in Antwerpia ob ſue ſalutis „ augmentum & anime ſue remedium de terrâ „ aquosâ, quam habuit in *Morſaterlant*, tres „ ſpadas domui Leproſorum & tres ſpadas „ Hoſpitali beate Marie nomine eleimoſine con„ tulit, reſervato ſibi quoad vixerit uſufructu.... „ ſubſcriptis teſtium nominibus. Johannes Egulfi „ Canonicus, Johannes Nicholai, Nicholaus Ca„ pellanus ex Caſtro, Willelmus Noſe, Theo„ baldus de Foro, Willelmus Draco, Nicholaus „ de Molendino, Johannes de Molendino.

„ Actum Antwerpie in feſto beate Gertrudis „ anno Domini MCCXXX. primo."

In quo loco ſitum.

Leproſarium hoc, cujus primam notitiam habemus ex præmiſſis litteris, extabat eo tempore in loco, qui etiam nunc eſt in ſuburbio, extra portam S. Georgii ad ſtratam in angelo plateæ, quæ ducit in Wilryck versùs Civitatem, ubi adhuc hodie quædam rudera videntur. Sed circa annum 1578. tranſlatum eſt intra muros Civitatis ad locum, ubi nunc extat, juxta planitiem Caſtri.

Induit formam monaſticam.

Jaminde hoc tempore Leproſaria quædam in Belgio formam religionis ſeu monaſticam induerant. Leproſarium enim juxtà Lovanium, dictum *Ter-banck*, dicitur Religioni mancipatum anno 1216. *Supl. Dipl. Belg. part. II. cap.* 82. Leproſarium Mechlinienſe, dictum *Ter-Zieken*, vocatur Religioſa domus anno 1235. quando & Capellania ibidem fundatur. *Dipl. Belg. coll. nov. part. I. cap.* 117. Epiſcopus Tornacenſis præſcribit Regulam Leproſario Gandavenſi anno 1236. Miræi *Dipl. Belg. lib. I. cap.* 83. Epiſcopus autem Leodienſis anno 1242. Statuta & formam Profeſſionis præſcribit Fratribus & Sororibus domûs Leproſorum in Cornelio-monte juxta Leodium, ut videre licet *Dipl. Belg. Tom. IV. part. III. cap.* 65. Sic & Leproſarium Antverpienſe hoc

hoc tempore Religionis formam habebat, & in eo ſicut in aliis Leproſariis & Hoſpitalibus erant Fratres & Sorores. Anno 1232.

Nuper emanaverat Pontificium mandatum ad omnes Epiſcopos, ut ſinguli per Diœceſim ſuam reformarent Ordinem Præmonſtratenſem. Abbas autem Præmontratenſis cum aliis ejuſdem ordinis ſupplicârunt Pontifici, ut ſe non per extraneos, ſed per ejuſdem ordinis zelatores viſitari faceret. Pontifex precibus his gratiosè deferens ſtatuta quædam fecit pro reformando Ordine, & tres nominavit Commiſſarios Abbates trium Monaſteriorum, in quibus religio maximè vigebat, qui zelatores Ordinis erant; ut ſtatuta hæc publicarent & in ſingulis Monaſteriis reformanda reformarent, nempe Abbatem S. Alexii in Urbe, Middelburgenſem & Antverpienſem S. Michaëlis *Arnoldum de Erps*.

Abbas S. Michaëlis Commiſſarius Pontificius ad reformandū Ordinem.

Hic jam ſecundò Abbas erat hujus Monaſterii, primò electus anno ſeculi hujus decimo. Dein anno 1219. poſtulatus fuit Abbas *Bonæ ſpei*, veroſimiliter ut regularitatem, quæ in S. *Michaëlis* vigebat, ibidem introduceret: ſed cum hoc ad effectum ducere non potuiſſet, rediit ad ſuos, à quibus ſecundò hujus monaſterii electus eſt Abbas anno 1230., præfuitque iterum annis novem.

Cum autem hi zelatores Pontificium mandatum exequi cœpiſſent, oppoſuerunt ſeſe Abbas Præmonſtratenſis & alii, appellationem interponentes & excommunicationem promulgantes in hos Commiſſarios. Ceſſarunt itaque Commiſſarii. Tandem Abbas Præmonſtratenſis cum aliis ſe Pontifici ſubjecerunt, promittentes obedientiam: Unde Pontifex iterum Abbatem S. Michaëlis cum Middelburgenſi, quibus jungit duos Ciſtercienſes, committit, ut reformationem hanc perficiant, & puniant eos, qui ſeſe executioni oppo-

Iterum committitur & perficit.

Anno 1232.

oppoſuerant. Quod & laudabiliter perfecerunt. Paige *Bibl. Præm. lib. III. pag.* 659. *& ſeq.*

Hoſpitale petit Sacerdotem proprium.

Interim Fratres & Sorores Hoſpitalis, qui poſt primam pontificiam Bullam directam ad Epiſcopum Cameracenſem, obtinuerant licentiam conſtruendi Capellam, ſed necdum Sacerdotem proprium, iterum hunc in finem recurrunt ad ſanctam Sedem occupatam per GREGORIUM IX. Pontifex ſupplicatione eorum motus exemplo Prædeceſſoris hanc deſuper ad Epiſcopum Cameracenſem mittit Bullam, datam 22. Januarii anni 1232. quam ex originali ſubjungo.

Pontifex deſuper ſcribit ad Epiſ.Cam. *Ex Archivis Hoſpitalis.*

„ GREGORIUS Epiſcopus ſervus ſervorum „ Dei Venerabili Fratri... Cameracenſi Epiſcopo „ ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.

„ Dilecti Filii Rector & Fratres Hoſpitalis in „ Antwerpia tue diocefis Nobis humiliter ſupplicarunt, ut, cum Capellam habeant, habendi „ eis proprium Capellanum licentiam concedere „ dignaremur. Volentes igitur in hoc tue Fraternitati deferre, tibi per apoſtolica ſcripta „ mandamus, quatenus eis poſtulata, ſi videris „ expedire, concedas ſine juris prejudicio alieni.

„ Datum Anagnie XI. Kalendas Februarii Pontificatûs noſtri anno ſexto.

„ GREGORIUS PP. VIIII.

Modus computandi annos hujus Pontificis.

Pontifex hic in Bullis ſuis terminabat annos ad 1. Januarii, ita ut, licèt electus eſſet 19. martii anno 1227., menſe januario ſubſequente ſcriberet annum ſecundum Pontificatûs ſui, & conſequenter menſe januario anni 1232. ſcribebat annum ſextum ſui Pontificatûs, licet annus quintus ab electione ejus necdum completus eſſet. Quod autem ſic computaverit annos, patet ex ſubjunctis Litteris datis 25. Aprilis anni 1232.: in illis enim videmus, executionem mandati in præmiſſa ejus Bulla contenti, tribus menſibus poſt transmiſſum Româ mandatum. Vide Papebrochium

in

in *Conatu ad Cat. Rom. Pont. parte II. pag.* 37. *n.* 5. Anno 1232.

Epiſcopus Cameracenſis, poſt receptum hoc ſecundum pontificium mandatum, ſtatim cum Capitulo Antverpienſi deſuper egit: & tam brevì rem ad optatum finem perduxit, ut tribus ſolùm menſibus poſt datam hanc Bullam Capitulum hoſpitali diu petitum concesſerit Sacerdotem proprium, & Litteras ſuas ei deſuper expediri fecerit, quas Epiſcopus paucis diebus poſt per Litteras ſuas in omnibus confirmavit. Litteras Capituli ſubjungo ex originali.

Capitulum concedit Hoſpitali Sacerdotem proprium.

„ UNIVERSIS, quibus Litteras has videre „ contigerit, J. PREPOSITUS & Capitulum Ant„ werpienſis Ecclesie ſalutem & ſinceram in Do„ mino Karitatem.

Ex Archivo Hoſpitalis.

„ Noveritis, quod *Willelmus Noſe* de Ant„ werpia & quondam uxor ejus *Lidildis* pie „ devotionis affectu ac in remiſſionem pecca„ rum ſuorum contulerint in elemoſinam hoſpi„ tali Antwerpienſi ad opus Capellani, qui per„ petuo miniſtrabat ibidem, Manerium quoddam „ in *Borcebeke* cum appendiciis univerſis, & allo„ dium ſuum eidem adjacens......

„ Donatione autem ſic completâ, dictus W. „ Noſe ſuper inſtitutione ejuſdem Capellani fa„ vorem noſtrum humiliter requiſivit & aſſen„ ſum.

„ Cum igitur ſecundùm Apoſtolum membris „ infirmioribus ſit magis deferendum, Nos atten„ dentes, quòd pauperes & infirmi dicti hoſpi„ talis cum ſanis ad Eccleſiam convenire non „ poſſunt, divino pietatis intuitu liberaliter ipſis „ duximus indulgendum, quod, ſalvo in om„ nibus jure noſtro, *proprium* de ceterò habere „ poterunt *Sacerdotem*.... *Qui*.... ſi fuerit Cle„ ricus ſecularis.... Si verò fuerit Frater dicte „ domûs quoad Ordinem & profeſſionem....

Anno 1232. „ In memoriam etiam & recognitionem debite „ fidelitatis & obedientie ſepe dictus Capellanus „ ſolvet annuatim Eccleſie noſtre in Aſſumptio- „ ne beate Marie duos denarios Antwerpienſis „ ponderis & monete....

„ Volumus inſuper modis omnibus, ut quan- „ documque Capellanus ibidem primò fuerit inſti- „ tutus, ſi ante non contigerit, tunc dicte „ domûs Fratres & Sorores quoad Ordinem & „ Profeſſionem vivendo regulariter in communi „ certam obſervent Ordinis diſciplinam.

„ In cujus rei teſtimonium preſentes Litteras „ eidem contulimus hoſpitali, appenſione ſigilli „ noſtri roboratas. Actum in Feſto beati Marci „ Evangeliſte. Anno Domini milleſimo ducente- „ ſimo triceſimo ſecundo."

Conſtat ex his Litteris liberum fuiſſe hoſpitalariis aſſumere in Sacerdotem proprium vel ſecularem vel unum è Fratribus ipſius hoſpitalis, è quibus indubiè plures hoc munus obiverunt.

1233. Epiſ. Cam. præſcribit in Hoſpitali Statuta.

Godefridus Epiſcopus poſt inſtitutum in hoſpitali Sacerdotem proprium anno ſequenti menſe Julio Fratribus & Sororibus ejuſdem peculiaria Statuta præſcribit. Quantum ad Regulam, conſtat eos ab inſtitutione vixiſſe juxtà Regulam S. Auguſtini, ut infrà videbitur in Bulla, per quam Ordo in hoc hoſpitali inſtitutus in particulari à ſanctâ Sede approbatur. Inter Statuta autem hoc legebatur.

„ Statuimus, quòd quicumque, divinâ inſpi- „ ratione tractus in eâdem domo ſe Domino „ famulaturum obtulerit, non prorsùs ad obe- „ dientiam recipiatur, niſi ſex menſibus tam- „ quam Novitius inter Fratres & Sorores con- „ verſando probetur, & laborem domûs modum- „ que vivendi experiatur : tunc demùm, ſi... „ placuerit, ſeculo & propriis ac proprie vo-

„ luntati

„ luntati renuntiet, votum continentie ſub ſtola „ in manu Sacerdotis deponat, jugum obedien- „ tie ſuprà ſe tollat &c." Anno 1233.

Ex his patet, Novitiatum hoc tempore in hoſpitali non duraſſe niſi ſex menſibus: & hanc praxim ibidem per duo ſecula obſervatam fuiſſe conſtat ex declaratione horum Statutorum factâ anno 1429. ex commiſſione MARTINI PP. V. per *Olondum* Abbatem S. Michaëlis Antverpiæ, *Gherardum* Priorem Throni B. Mariæ juxtà Herendalium & *Theodoricum* Priorem Carthuſianorum propè Antverpiam. In quâ deſuper hæc leguntur.

Novitiatus ſex menſium.

„ Item prout in antiquis ejuſdem hoſpitalis „ ſtatutis pleniùs videmus contineri, ex eiſdem „ ſtatutis approbamus & confirmamus, quod „ quecumque divinâ tracta inſpiratione in eâdem „ domo ſe Deo famulaturam obtulerit, non „ prorsùs ab obedientiam recipiatur, niſi ſex „ menſibus tamquam Novitia inter Sorores con- „ verſando ad minùs probetur, & laborem „ domûs modumque vivendi experiatur. Per hoc „ tamen non excludimus, quin potiùs volumus, „ eas per annum integrum probari antequam „ vota ſua emittant."

Hoc tamen hi Commiſſarii ſuperaddiderunt, ut tribus menſibus ad minùs tamquam Scholares benè probarentur ſi idoneæ ſint, antequam admitterentur ad ſuſceptionem habitûs.

Variatio illius temporis.

Cæterum poſt hanc Commiſſariorum exhortationem annus Novitiatûs invaluit: undè annò 1551. in Reformatione hoſpitalis, factâ per *Godefridum de Croy* Epiſcopum Cameracenſem, ſupponitur annus in uſu; & ſtatuitur, ut per tres menſes aut diutiùs, ut videbitur, tamquam Scholares in decenti habitu probentur, antequam per aſſumptionem habitûs annus Novitiatûs inchoëtnr.

Anno 1233.

Tandem anno 1617. *Joannes Malderus* Epiſcopus Antverpienſis, antiqua hoſpitalis ſtatuta ad meliorem ordinem redigens, ſtatuit, ut per quindecim menſes ſint Scholares antequam ad Novitiatum admittantur, quod uſque in hodiernum diem obſervatur.

Numerus Fratrum & Sororum.

Quantum ad numerum Fratrum & Sororum hoc ſtatuitur : „ Ne verò domus per inutilium „ perſonarum ſuſceptionem gravetur, ſtatuimus, „ ut tantùm tribus Fratribus & ſeptem Sorori- „ bus de ceterò ſit contenta : ita tamen, ut ſi „ fortè ipſius domûs neceſſitas numerum requirat „ ampliorem, de Noſtra vel Officialis noſtri „ licentia ſpeciali, probatâ domûs neceſſitate, „ Frater vel Soror prediĉto numero poterit adau- „ geri. "

Præter hos autem determinatos Fratres & Sorores habebantur, qui ipſis & infirmis inſerviebant tum in habitu regulari, tum in habitu ſeculari.

Numerus Sororum difficulter obſervatur.

Septenarius autem hic Sororum numerus difficulter obſervatus fuit ob importunas preces Prælatorum, Principum, Magnatûm &c. à quibus continuò vexabantur, ut plures admitterent. His autem obviare volens Officialis Cameracenſis ad Religioſas hujus hoſpitalis tranſmittit anno 1337. mandatum, nè ultrà determinatum primitùs numerum ullam admittant; cui ſe obedituras promittunt.

Epiſ. Cam. mandat eum obſervare.

Interim anno 1356. duæ ultrà ſeptenarium numerum receptæ erant. Quod reſciens PETRUS Epiſcopus Cameracenſis factum fuiſſe per importunas preces, ad eas mittit Litteras ſequentes, quas ex originali ſubjungo.

Ex Archivis Hoſpitalis.

„ PETRUS Dei gratiâ Epiſcopus Camera- „ cenſis dilectis Nobis in Chriſto Magiſtre & „ Conventui Fratrum & Sororum hoſpitalis beate „ Elizabeth Antwerpienſis noſtre Dioceſis ſalutem

„ in

„ in Domino... Sanè... ad noſtrum pervenit Anno
„ auditum, quod, licèt in veſtro hoſpitali om- 1233.
„ nino eſſe debeant ſeptem Sorores velate juxta
„ Regulam ibidem inſtitutam & auctoritate apoſ-
„ tolica confirmatam, excepto quod, probatâ
„ domûs neceſſitate & utilitate, una ultra nu-
„ merum ſeptenarium de noſtro ſpeciali mandato
„ velari poſſet : nichilominùs ultra dictum nu-
„ merum jam due Sorores velate exiſtunt...
„ & veroſimiliter dubitatur, nè propter impor-
„ tunitates petentium adhuc plures Sorores recipi
„ ibidem quodammodò oportebit...

„ Nos igitur... decernimus & volumus, quod
„ amodò inſtitutio, quoad numerum Sororum
„ auctoritate Apoſtolicâ confirmatum, inviolabi-
„ liter obſervetur, & donec dicte Sorores ad
„ priſtinum numerum, videlicèt ſeptenarium,
„ reducte fuerint, nulla penitùs recipiatur ibi-
„ dem, inhibentes vobis ſub pena excommuni-
„ cationis... nè ex nunc in anteà aliquam So-
„ rorem in veſtro conſortio admittatis ſeu reci-
„ piatis, ſeu ad Velum promoveatis, donec &
„ quouſque numerus priùs Sororum infra ſep-
„ tenarium numerum ſit reductus... inhibentes
„ etiam quibuſcumque ſub penâ Canonicâ, nè
„ contrà premiſſam ordinationem noſtram quo-
„ modolibèt moliantur, ſeu ad receptionem ali-
„ quarum inſiſtant.

„ Datum apud Caſtellum noſtrum in Came-
„ racenſio ſub noſtro ſigillo anno Domini MCCC.
„ quinquageſimo ſexto primâ die menſis Octo-
„ bris."

Nec hoc Epiſcopi mandatum nec inhibitio cum pœnis adjunctis ſufficiens medium fuerunt contrà importunas preces : imò repulſis ob relatam inhibitionem precibus, minis etiam quorumdam vexabantur Religioſæ, ut ultrà ſtatutum numerum plures ad Velum reciperent. Quare

Anno 1233. tandem pro oportuniori remedio recurrunt ad ſanctam Sedem : unde ad illas anno 1372. hæc deſuper miſſa eſt Bulla.

Item Pontifex. *Ex Archivis Hoſpitalis.*

„ GREGORIUS Epiſcopus ſervus ſervorum „ Dei. Dilectis in Chriſto Filiabus... Magiſtre „ & Sororibus hoſpitalis pauperum S. Elizabeth „ Antwerpienſis, Ordinis ſancti Auguſtini, „ Cameracenſis dioceſis ſalutem & Apoſtolicam „ benedictionem.

„ Sincere devotionis affectus, quem ad Nos „ & Romanam Eccleſiam geritis, veſtreque reli-„ gionis honeſtas promerentur, ut petitionibus „ veſtris, illis preſertim, que veſtram & hoſpitalis „ veſtri utilitatem & tranquillitatem reſpiciunt, „ quantum cum Deo poſſumus, annuamus.

„ Exhibita ſiquidem nobis nuper pro parte „ veſtra petitio continebat, quod in prefato „ veſtro hoſpitali ab ejus fundatione trium fra-„ trum & ſeptem Sororum numerus, ad ſervi-„ tium infirmorum & pauperum hoſpitalis ejuſ-„ dem, fuit canonicè niſtitutus. Ita tamen, quod, „ ſi dicti hoſpitalis neceſſitas majorem Fratrum „ vel Sororum numerum requireret, de venera-„ bilis fratris noſtri.. Epiſcopi vel dilecti filii.. „ Officialis Cameracenſis licentia ſpeciali, pro-„ batâ tamen per vos neceſſitate hujuſmodi, „ poſſet idem numerus de uno Fratre vel una „ Sorore adaugeri.

„ Et quod licèt hujuſmodi numerus per longa „ tempora fuerit obſervatus, nec fuerit neceſſi-„ tas hujuſmodi numerum augmentandi, tamen „ propter importunas preces quorumdam Pre-„ latorum, Principum & Magnatûm ac aliorum „ potentûm & minas etiam aliquorum, non-„ nullas mulieres in Sorores hoſpitalis ipſius ultrà „ numerum predictum invite recepiſtis, in veſtrum „ ac hoſpitalis nec non infirmorum & pauperum „ predictorum prejudicium & gravamen.

„ Quar

„ Quare pro parte veſtra fuit Nobis humili- Anno
„ ter ſupplicatum, ut cum hujuſmodi trium 1233.
„ Fratrum & ſeptem Sororum numerus pro ſer-
„ vitio dictorum pauperum & infirmorum ſuffi-
„ ciat, & importunitati Potentûm predictorum
„ reſiſtere non poſſitis, providere vobis ſuper
„ hoc de oportuno remedio dignaremur.

„ Nos igitur de premiſſis fide dignis teſtimo-
„ niis informati, ſimilibus de cetero importunis
„ inſtantiis obviare volentes, hujuſmodi veſtris
„ ſupplicationibus inclinati, diſcretioni veſtre
„ tenore preſentium inhibemus & ſub pena ex-
„ communicationis mandamus, quatenùs aliquam
„ de cetero in Sororem dicti hoſpitalis non reci-
„ piatis, donec ad prefatum ſeptenarium nume-
„ rum ſit deventum; niſi evidens neceſſitas, per
„ vos & dictos Fratres probata primitùs & per
„ Epiſcopum vel Officialem prædictos etiam
„ approbata, id expoſcat.

„ Nulli ergo omnino hominum liceat hanc
„ paginam noſtre inhibitionis infringere vel ei
„ auſu temerario contraire. Si quis autem hoc
„ attemptare preſumpſerit indignationem omni-
„ potentis Dei & beatorum Petri & Pauli Apo-
„ ſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum
„ Avinione V. Kal. Maij Pontificatûs noſtri
„ anno ſecundo.

„ *G. de Martigniaco.*

„ GREGORIUS PP. XI."

Poſt hanc Pontificis Bullam ſeptenarius Sororum numerus pacificè obſervatus fuit uſque ad reformationem Hoſpitalis, factam anno 1551. per *Godefridum de Croy* Epiſcopum Cameracenſem, qui ſtatuit, ut dimiſſis ancillis & aliis ſecularibus perſonis, quas in adjutorium pro infirmorum ſervitio habebant, Sorores per ſe ſolas inſervirent ægrotis, ideoque numerum ſuum adaugerent ad viginti quatuor, eumque nume-

Numerus Sororum augetur.

Anno 1233. numerum non excederent, niſi neceſſitate urgente & de licentiâ Epiſcopi. Neceſſitate autem deinceps urgente conceſſum fuit, ut ultrà prædictum numerum octo aut decem adſumerentur, quod hodieque obſervatur.

Numerus Fratrum auctus. Quantum ad ternarium numerum Fratrum, non tot ſubiit ille difficultates. Sed equidem anno 1292. ſtatuit *Guillermus* Epiſ. Cameracenſis, nè numerus Fratrum quatuor excedat, niſi bonorum temporalium incrementum hoc popoſcerit & id de noſtra, inquit, proceſſerit licentiâ ſpeciali.

An fratres & ſorores fuerint laici. Quæſtio hic occurrit, num fratres & ſorores in Hoſpitalibus tam leproſorum quàm infirmorum fuerint laici, antequam ordo approbaretur à s. Sede, pro ut communis opinio eſt. Quantum ad ſorores in Hoſpitali Antverpienſi, illæ Ordinem à s. Sede ſpecialiter approbari obtinuerunt anno 1246., ut ad illum annum infra dicetur: verùm decem annis citiùs, id eſt anno 1236. GREGORIUS Papa IX. ſcribit ad ipſas *Dilectis in Chriſto filiabus Prioriſſæ & Conventui Hoſpitalis Antwerpienſis Ordinis S. Auguſtini*, ut infra ad eum annum patebit. Adeoque ſorores non erant laïcæ ante ſpecificam Ordinis ſui approbationem, ſed Religioſæ.

Quantum ad fratres, nec illi videntur fuiſſe laïci, quia, ut ſupra ad annum præcedentem vidimus, quando Capitulum concedebat Hoſpitali *Sacerdotem proprium*, liberum relinquebat fratribus & ſororibus eligere *clericum ſecularem* vel *fratrem dictæ domûs*; conſequenter fratres non erant laici ſed eccleſiaſtici.

Sicut autem fratres & ſorores in Hoſpitali Antverpienſi ante ſpecificam approbationem Ordinis, non erant laïci; ſic præſumendum, quod nec in aliis omnibus hoſpitalibus in Belgio fratres & ſorores fuerint laici, ſed eccleſiaſtici. Habemus enim apud Mireum *Dipl. belg. tom IV. pag.*

pag. 420. Statuta Hoſpitalis de REBECQUE, fratribus & ſororibus præſcripta anno 1308. per Epiſ. Cameracenſem, in quibus hæc leguntur: *ſtatuimus, ut tantùm quatuor Fratribus, videlicet duobus ſacerdotibus & duobus Converſis & ſex ſororibus ſit contentum.* quod ſatis indicat fratres fuiſſe eccleſiaſticos. Anno 1233.

An fratres in Hoſpitalibus deſierint.

Altera quæſtio eſt, num fratres deſierint. Inprimis conſtat in omnibus Hoſpitalibus tam leproſorum quàm infirmorum fuiſſe fratres & ſorores: & nullibi conſervata eſt memoria quomodo, quando aut qualiter fratres deſiiſſent, & ſorores ſolæ manſiſſent. Ex eo autem, quod tantæ mutationis nullibi conſervata ſit memoria, concludo quod fratres non deſierint, ſed tantùm deſierit nomen, quod in illis mutatum eſt, ſicut in omnibus Eccleſiaſticis mutatum eſt. Olim enim omnes eccleſiaſtici dicebantur *Fratres* & omnes eccleſiaſticæ *Sorores.* Sic vidimus ſuprà non tantùm canonicos præmonſtratenſes S. Michaëlis, ſed etiam Cononicos Capituli Antverpienſis dictos fuiſſe *Fratres*: ſeculo autem XV. ad cujus initium adhuc perſeverabant Fratres in Hoſpitalibns, cæperunt omnes eccleſiaſtici dici *Domini*, non tantum ſeculares ſed etiam Regulares, imo etiam mendicantium Ordinum; & Religioſæ dici cæperunt *Dominæ & Domicellæ.* Tunc itaque non fratres in Hoſpitalibus deſierunt, ſed nomen: ſic ut qui fratres dicebantur, dëin cum reliquo Clero dicti ſint Domini. Et tunc Moniales hujus Hoſpitalis non ampliùs dictæ ſunt ſorores ſed Domicellæ. Adeoque credendum eſt tantam mutationem, de qua non extat memoria, numquam factam fuiſſe, & Hoſpitalia nunc dirigi prout ab origine directa fuerunt.

Obligatio Hoſpitalis recipiendi ægrotos.

Cæterùm cum *Godefridus* Epiſcopus in his Statutis inſeruiſſet, quæ directionem interioris domûs & Religionis concernunt, etiam inſeruit obligationem

Anno 1233.

nem, quam à fundatoribus habebant, & ad quam ſeſe obligaverant, nempe ad ſervitium morbo infectorum. Obligatio hæc concepta eſt paucis his ſed claris verbis, in terminis excluſivis.

„In eodem Hoſpitali recipiantur pauperes tan„tùm, quorum actiones membrorum tali mor„bo impediuntur, nè poſſint diſcurrere per „vicos & victum ſuum hoſtiatim mendicare"

Hæc tota Hoſpitalis obligatio circà ægrotos. Termini ſunt excluſivi: excludebantur itaque non pauperes, non morbo infecti &c.

Patet inſuper ex relato textu, receptionem morbo infectorum creditam fuiſſe Religioſis.

Directio bonorum temporalium.

Quantum ad directionem Domûs & bonorum temporalium hæc in dictis Statutis leguntur. „In„dulgemus, quod cum Procurator dictæ domûs „obierit vel alias ceſſerit, alius Procurator de „conſilio fratrum & ſororum ejuſdem domûs „ſubſtituatur." Cum autem ſucceſſu temporis deſuper quæſtio mota fuiſſet, Comminiſſarii, de quibus ſuprà, a Martino PP. V. commiſſi ad declaranda & interpretanda hæc Statuta, habentes ante oculos primam hoſpitalis fundationem, hoc punctum ſic interpretati ſunt. „Electio„nem, inſtitutionem & deſtitutionem Recepto„toris, gubernatoris & adminiſtratoris rerum „& bonorum temporalium hoſpitalis ejuſdem ad „prefatam Prioriſſam & ejus dictum Conven„tum, quotiens expediens fuerit declaramus „liberè pertinere"

Electio Receptoris.

Electio Proviſorum.

Denique Epiſcopus concludens Statuta dicit: „Temporalia quoque domûs memorate de conſi„lio duorum virorum, timorem Dei habentium, „ad hoc electorum, qui Sacramento domui „fidelitatem exhibuerint, debent pertractari. Hi „autem prout opus fuerit vel poſt anni curri„culum amoveantur, vel ſi utiles inventi fue„rint ſollicitudinem eandem gerere permittantur".

Cum

Cum autem deinceps quæſtio deſuper mota eſſet, ad quos nempe ſpectaret electio illorum Virorum, ſupradicti Pontificii commiſſarii punctum illud interpretati ſunt hoc modo. Anno 1233.

„ Declaramus etiam auctoritate nobis commiſſa, „ quod electio illorum virorum, qui ex tenore prime „ fundationis timorem Dei habentium tamquam „ Proviſores debent aſſumi ad regimen tempora- „ lium dicti hoſpitalis, pertinere debet ad dictam „ Prioriſſam & ſuum Conventum; ut illi ad „ hoc deputari valeant, qui ſecundùm Deum „ & conſcientiam magis utiles & ydonei pro mi- „ niſterio pauperum inveniuntur."

Hæc autem Epiſcopi Statuta, & interpretationes eorundem deinceps approbata ſunt & confirmata inſingulis punctis & articulis per Ducem & Concilium Brabantiæ, ut infra ad annum 1473. dicetur.

Idem GODEFRIDUS Epiſcopus Cameracenſis, qui hoſpitali hæc Statuta præſcripſit, ſimiliter ſtatuta præſcripſit Leproſario *Ter Zieken.*

Epiſ. Cam. præſcribit Statuta Leproſiæ *Ter Zieken*.

Epiſcopi enim hoc tempore communiter omnibus Religioſis domibus præſcribebant Regulam & Statuta, idque juxta mentem Eccleſiæ, quæ anno 1215. in Concilio Lateranenſi Cap. 13. prohibuerat ad evitandam confuſionem adinvenire novas Religiones. Præſcripſerunt autem communiter, ob eandem rationem domibus ejuſdem inſtituti, ferè uniformia Statuta; niſi quod Statutis cujuſque domûs insererent obligationes à fundatoribus illi præſcriptas.

Quod autem GODEFRIDUS hic fratribus & ſororibus Leproſarii Antverpienſis præſcripſerit Statuta; conſtat ex Diplomate HENRICI DE BERGIS Ep. Cam., per quod anno 1493. reformat prædictum Leproſarium, quodque infra ad illum annum dabitur.

Non conſtat interim, quo anno Statuta iſta

præ-

præſcripta ſint, ſed certò data ſunt ante annum 1237., quo GODEFRIDUS obiit.

Numerus Sororum & Fratrum.

In illis Statutis Epiſcopus numerum Sororum reſtringit ad ſeptem & numerum Fratrum ad tres vel quatuor. In diplomate autem prædicto HENRICUS, cum Fratres tunc ab immemoriali (*ut putabat*) non extitiſſent, conceſſit numerum Sororum augeri ad novem.

Novitiatus 4. menſium.

Novitiatus determinatur ad quatuor menſes, quod tempus HENRICUS in dicto Diplomate anno 1493. adhuc approbat & renovat, ut ibidem videri poterit.

Obtinet Capellam & Sacerdotem proprium.

Vix dubitandum, quin Leproſarium hoc tempore, ſicut Hoſpitale ægrotorum, obtinuerit & Capellam & Sacerdotem proprium; ſi antea hæc non habuerit in vim Canonis XXIII. Concilii Lateranenſis III. celebrati anno 1179. in quo hoc deſuper legitur Decretum: „Cum „dicat Apoſtolus Paulus abundantiorem honorem „membris infirmioribus deferendum; contrà, „quidam, quæ ſua ſunt non quæ Jeſu Chriſti „querentes, leproſos, qui cum ſanis habitare „non poſſunt, *proprii* non permittunt juvari „miniſterio *Sacerdotis*: quod quia procul à „pietate chriſtiana eſſe dinoſcitur, de benignitate „apoſtolica conſtituimus, ut ubicumque tot „ſimul ſub communi vita fuerint congregati, „qui *Eccleſiam* cum cœmeterio conſtituere, & „*proprio* gaudere valeant *Preſbytero*, ſine con„tradictione aliqua permittantur habere".

Locus dictus *Domus S. Lazari*.

Illius autem prima Capella conſructa fuit ad honorem & ſub nomine S. Lazari, unde loco aliquando nomen, dictuſque eſt *Domus S. Lazari*, ut conſtat ex Litteris PETRI Epiſ. Cameracenſis datis anno 1311. infrà ſuo loco referendis.

Henricus de Hollander benefactor Leproſiæ.

Eminens Leproſarii hujus hoc tempore benefactor fuit HENRICUS DE HOLLANDER. Extant ad-

adhuc hodie in loco litteræ ejuſdem anni hujus 1233. , quibus ei aſſignat dimidium bonorum ſuorum, reſervato ſibi vitâ durante uſufructu, & Diploma Ducis Brabantiæ ejuſdem anni hanc donationem confirmantis. Gramaye & alii ex ipſo referunt eum ibidem extruxiſſe Sacellum S. Lazari & Leproſorum ſervitio ſe mancipaſſe, eo quod votum Jeroſolymitanum non valeret explere. Anno 1233.

Extat & aliud Leproſarium in ſuburbio cum Capella S. Jobo ſacra. ſed illud ſeriùs erectum eſt, nempè anno 1551. , quando Senatus illud conſtruxit pro leproſis, qui non inhabitabant domum S. Lazari, ſed ſparſim in ſuburbio. Conſtat ex Decreto Senatûs dato 27. aprilis 1552. de quo infrà latiùs ad annum 1488. Eſt & aliud Leproſarium in Suburbio.

Emerat hoc anno Hoſpitale duo bunaria terræ inſuburbio Antverpienſi cum onere anniverſari, ſuper quo Magiſtra Domûs has confecit litteras, quas ex originali ſubjungo. Gerungus miles benef. fecit Preſbytero in Hoſpitali.

„ UNIVERSIS quibus ſcriptum hoc videre „ contigerit MAGISTRA & CONVENTUS Hoſpi„ talis Antwerpienſis ſalutem in Domino.

„ Noveritis, quod *Gerungus Miles de Ant„ werpia* in duobus bonariis terre, que ergâ „ ipſum emimus, ad Anniverſarium Mabilie „ quondam uxoris ſue & ſuum, ſi ipſum diu„ tiùs ſupereſſe non contigerit, quatuor ſolidos „ Lovanienſes & duos capones ſolvendos annua„ tim in feſto beati Stephani, nomine elemoſine „ tradidit & aſſignavit Preſbytero, qui in domo „ noſtra perpetuò miniſtrabit. Teſtes *Henricus* „ *Belle*, & Magiſter *Nicholaus* Canonicus, *Nicho„ laus ex Curia* & *Nicholaus Tuclant*. In hujus „ etiam rei teſtimonium preſentes litteras conſcribi „ fecimus & ſigilli noſtri munimine roborari. *Ex Archivio Hoſpitalis.*

„ Actum apud ſanctum Michaëlem in preſen„ tia Abbatis ARNULPHI & ſui Conventûs an-

no

„ no Domini MCCXXX. tertio, menſe novem„ bri."

Dux confirmat Hoſpitali duo bunaria terræ.

Verùm has recognitionis litteras Magiſtra non dedit, niſi terræ iſtæ confirmatæ eſſent hoſpitali per Principem, qui paucis diebus ante has deſuper dederat litteras, quas ex originali ſubjungo.

Ex Archivis Hoſpitalis.

„ HENRICUS Dei gratiâ Dux Lotharingie „ univerſis Litteras has viſuris ſalutem.

„ Noveritis, quod cum terra *Gerungi militis* „ *de Antwerpia*, videlicèt duo bonaria paulò „ plus vel minùs, quæ habebat in agris Ant„ werpienſibus, exigentibus exceſſibus dicti Ge„ rungi, per ſententiam Scabinorum Antwerpien„ ſium Nobis olim fuerint annotata. Nos pro „ remedio anime noſtre & Anteceſſorum noſtro„ rum antedictam terram domui Hoſpitali de „ Antwerpia in elemoſinam contulimus liberè & „ abſolutè poſſidendam.

„ Et ut noſtre libertatis conceſſio ipſi domui „ firma permaneat in perpetuum, preſentes Lit„ teras dedimus ſigillo noſtro munitas. Actum „ anno gratie MCCXXX. tertio, in feſto Apo„ ſtolorum Symonis & Jude.

1235.

Moritur Henricus I. Dux Brab.

Haræus Annal. Duc. Brab.

HENRICUS hic anno trigeſimo quintò Moguntiæ frequenti Principum Concilio, per FREDERICUM Imperatorem convocato, aſſiſtens morbo correptus eſt, & Coloniam relatus ibidem nonis ſeptembris expiravit. Corpus ejus Lovanium dalatum in medio Chori conditum eſt monumento lapideo, cui formam corporis ejus ad vivum inſculptam eſſe ſatis liquet.

Ejus pietas.

Suprà vidimus, hunc Principem magnum Eccleſiæ Antverpienſis fuiſſe benefactorem, eumque à FREDERICO I. Imperatore laudatum vidimus ſuprà *pag.* 99., eò quod Abbatiam S. Michaëlis beneficiis & Eleëmoſinis ſuſtentaret.

Non tantum autem Antverpiæ, ſed & alibi in omni terra Dominii ſui pietatis ſuæ dona abundè effudit,

Anno ſiquidem 1190. fundavit Præpoſituram *Frigidi-montis* Bruxellis. *Diplom. Belg. Tom. IV. Part. II. Cap.* 53. Anno 1201. fundavit Abbatiam Monialium Ordinis Ciſterciensis in ſuburbio Bruxellenſi, quæ vulgò *Camera* nuncupatur. Miræi *Don. Belg. Lib. I. Cap.* 79. Huic Abbatiæ iterum benefacit anno 1207. Miræi *Not. Eccl. Belg. Cap.* 139. Fundationes. Abbatia *Frigidi-montis & Camera.*

Anno 1206. fundavit Nobilium præpoſituram *S. Gertrudis* Lovanii, nunc ab anno 1449. Abbatiam; cui anno 1652. mitræ & pontificalium uſus acceſſit. Miræi *Cod. Don. Pia. Cap.* 102. Abbatia S. *Gertrudis.*

Anno 1216. fundavit Monaſterium Fratrum & Sororum juxtà Lovanium dictum *Ter-Banck* ad opus Leproſorum. *Supl. Dipl. Belg. P. II. Cap.* 82. Cui anno ſequenti confert duodecim bonaria ſilvæ de Wincſenſele juxtà Berthem ad opus Leproſorum. *Ibidem Cap.* 83. Ter-bank.

Anno 1221. fundavit Thenenſe XII. Canonicorum Collegium ſancti Germani. Miræi *Dipl. Belg. Lib. I. Cap.* 79. Canonici Thenenſes.

Anno 1226. dum Bruxellis reædificabatur auguſtum D. Gudulæ templum, in eodem fundavit & dotavit, ultra Collegium XII. Canonicorum fundatum anno 1047., aliud minus Collegium X. Canonicorum; ad quas præbendas Decanus & Capitulum eligunt & præſentant Principi. Miræi *Dipl. Belg. Lib. I. Cap.* 80. Anno 1201. Capitulo Bruxellenſi ſubmittit Capellas ejuſdem Civitatis. *Dipl. Belg. Tom. IV. P. II. C.* 61. Anno 1216. cedit eidem Capitulo jus eligendi & præſentandi ad duas præbendas ſacerdotales. *Ibid. Cap.* 71. Et anno 1224. eidem Capitulo diverſas decimas confert. Ut *ibidem Cap.* 75. Canonici Bruxellenſes.

Anno 1184. auget dotem Abbatiæ Villarienſis. Miræi *Dipl. Belg. Lib. II. Cap.* 60. & iterum anno Pia dona.

Anno 1235. anno 1205. benefacit eidem Abbatiæ. *Dipl. Belg. Coll. Nov. Par. I. Cap.* 87. & 110.

Anno 1197. profecturus ad expeditionem Terræ ſanctæ pro felici ſucceſſu dona confert Abbatiæ Foreſtenſi & Eccleſiæ Cathedrali Cameracenſi. Ibidem *Cap.* 75. & 76.

Anno 1199. Collegio Canonicorum Liræ confert Perſonatum eccleſiæ ejuſdem loci. Miræi *Don. Belg. Lib. I. Cap.* 74. Jus autem Patronatûs ejuſdem eccleſiæ illi confert anno 1200. *Dipl. Belg. Col. Nov. P. I. Cap.* 81. Anno vero 1229. varia ad utilitatem ejuſdem Capituli conſtituit. Ut ibidem *Cap.* 105.

Anno 1200. Abbatiæ Affligemienſi confert terras in ſylvâ de Aſſcherolt. *Dipl. Belg. Tom. IV. P. II. Cap.* 59. & alia beneficia ei deinceps contulit. *Ibidem Cap.* 74.

Anno 1204. confert telonium lignorum Hoſpitali S. Joannis Bruxellis. Ibidem *P. IV. Cap.* 153.

Anno 1205. & 1226. Monaſterio Cortenbergenſi benefacit. *Supl. Dipl. Belg. P. II. Cap.* 79. & 88.

Anno 1209. Abbatiæ Tongerloënſi donat decimam de Broechem. Ibidem *P. I. Cap.* 51

Anno 1215. & ſeq. varias terras & decimas confirmat Parco Dominarum. *Dipl. Belg. Tom. IV. P. IV. Cap.* 155.

Anno 1222. varia Alodia confert Eccleſiæ Metropolitanæ Colonienſi. *Dipl. Belg. Col. Nova P. I. Cap.* 95. Fundatque ibidem præbendam in honorem B. Virginis & trium Magorum anno 1221. Ibidem *P. II. Cap.* 98.

Anno 1223. Abbatiæ S. Bavonis, nunc Capitulo Cathedrali, Gandavi bona in Bouchaut confirmat & liberat ab oneribus. Ibid. *P. I. Cap.* 96.

Anno

Anno 1224. fundat Miſſam quotidianam in Abbatia affligemienſi. Miræi *Dipl. Belg. Tom. IV. P. II. cap.* 74. Anno 1235.

Anno 1227. donat Abbatiæ Parcenſi jus Patronatûs Eccleſiæ de Vura inter Bruxellam & Lovanium. Miræi *Don. Belg. Lib. II. cap.* 101.

Eodem Anno varia bona confert Abbatiæ Diligemenſi. *Supl. Dipl. Belg. Par. II. cap.* 89.

Anno 1229. benefacit Monaſterio Monialium Præmonſtratenſium Inſulæ-Duciſſæ. Miræi *Not. Eccl. Belg. cap.* 165.

Anno 1231. donat Abbatiæ Bernenſi Ordinis Præmonſtratenſis prope Buſcum-Ducis Jus Patronatûs Eccleſiarum de Orthen & Buſco-ducis. *Dipl. Belg. col. Nov. P. I. cap.* 108.

Anno 1233. confert varia prædia in Weſtmalle & ſylvam Hoedonc ad fundandam Abbatiam, quæ nunc eſt S. Bernardi ad ſcaldim. Miræi *Don. Belg. Lib. II. cap.* 104.

Ex his ſufficienter patet, quantum huic Principi noſtro cordi fuerit profectus rei Eccleſiaſticæ & cultûs divini in terris Dominii ſui. Et vel ideo ei poſitum fuit hoc Epitaphium, quod refert le Roy *Not. March. pag.* 20. Epitaphium illi poſitum.

Hic primus jacet HENRICUS, *Dux ordine quartus*,
Cui conjux bina, Machthylt *prior*, *inde* Maria.
Prolem ſeptenam genuit prior, *ultima binam.*
Brabantinorum Dux, *Regni Marchio*, *Morum*
Regula, *Juſtorum ſpeculum*, *vindicta malorum*
Flos patriæ, *pax Eccleſiæ*, *Clypeus viduarum*,
Spes veniæ, *vas mundiciæ*, *tutela minorum.*

Anno Dni. MCCXXXV. nonis ſeptembris obiit Henricus quartus Dux Lotharingiæ bonæ & piæ memoriæ.

Anno 1235. Henricus II. Marchio. Patri in Marchionatu ſucceſſit HENRICUS II. Dux Lotharingiæ & Brabantiæ. Duxit hic primò *Mariam* filiam Philippi Imperatoris, ex quâ habuit *Henricum* ſucceſſorem, Mathildim, Mariam, Beatricem & Margaretam. Deinde anno ſeculi hujus quadrageſimo duxit *Sophiam* filiam S. Elizabethæ & Ludovici Lantgravii Thuringiæ Haſſiæque. Ex quâ habuit *Henricum* dictum Brabantinum, qui jure materno obtinuit Ducatum Haſſiæ, eumque ad poſteros uſque in hodiernum diem tranſmiſit.

Benefacit Abb. S Mich. Princeps hic vix Patri ſucceſſerat, quin patris veſtigia premens Eccleſiæ Antverpienſi ſe munificum exhiberet: ſecundo enim menſe poſt obtentum Principatum Antverpiæ exiſtens Abbatiæ S. Michaëlis libertatem donat conſtruendi muros circà ambitum Clauſtri, ubicumque vellent. Sanderus *Chor. Sac. S. Mich. cap. IV.*

Item Hoſpitali. Hoſpitali beneficium confert eodem tempore, ſicut & anno ſequenti, ut patet ex his ejus diplomatibus.

„ HENRICUS Dei gratiâ Dux Loth. univer-„ ſis, quibus Litteras has videre contigerit, „ ſalutem.

Ex Archivis Hoſpitalis. „ Noveritis, quod nos Hoſpitali Antwerpien-„ ſi divini amoris intuitu contulimus quatuor „ bonaria novæ terræ, in Parochia de Santho-„ ven ſita, libera ab omni cenſu perpetuò poſ-„ ſidenda. Teſtes Magiſter Walterus de Lyra, „ Willelmus de Halle, Willelmus Noſe & alii „ quàm plures. In cujus etiam rei teſtimonium „ has Litteras noſtras patentes ei contulimus. Actum „ Antwerpie in octava beati Martini anno Do-„ mini MCCXXX. quinto.

1236. „ HENRICUS Dei gratiâ Dux Loth. univer-„ ſis tam preſentibus quam futuris ſalutem & „ omne bonum.

Ex Archivis Hoſpitalis. „ Notum vobis facimus, quod Nos pro au-

„ augmento ſalutis noſtre ac ob remedium ani- Anno
„ marum progenitorum noſtrorum, terram, 1236.
„ quam habebamus in Betsade in elemoſinam
„ contulimus Hoſpitali Antwerpienſi perpetuò
„ poſſidendam.

„ Teſtes Nicholaus presbyter, Gerardus de
„ Iſcha, Willelmus de Eversberge Milites,
„ Willelmus Noſe, Nicholaus de Molendino
„ & Henricus de Herenthals. In cujus etiam rei
„ teſtimonium preſentes Litteras conſcribi feci-
„ mus & ſigilli noſtri munimine roborari. Da-
„ tum in Nativitate beati Johannis Baptiſte anno
„ Domini MCCXXX. ſexto.

Hoc anno Antverpia cum Imperio occaſione excommunicationis Imperatoris Frederici II. Interdicto ſubjacebat. Quare Prioriſſa Hoſpitalis, recurrens ad ſanctam Sedem pro obtinenda licentia celebrandi in ſua domo Divina, hanc deſuper à Gregorio IX. obtinuit Bullam, quam ex originali ſubjungo.

Autverpia ſub Interdicto

„ GREGORIUS Epiſcopus ſervus ſervorum
„ Dei Dilectis in Chriſto Filiabus Prioriſſe &
„ Conventui Hoſpitalis Antwerpienſis Ordinis
„ S. Auguſtini Cameracenſis Dioceſis ſalutem &
„ Apoſtolicam benedictionem.

Datur facultas celebrandi divina in Hoſpitali. *Ex Archivis Hoſpitalis.*

„ Devotionis veſtre precibus inclinati vobis
„ preſentium auctoritate indulgemus, ut cum
„ generale terre fuerit Interdictum, liceat vobis
„ clauſis januis, non pulſatis campanis, ex-
„ communicatis & interdictis excluſis, ſuppreſsâ
„ voce divina officia celebrare, dummodo cau-
„ ſam non dederitis interdicto, vel id vobis
„ non contingat ſpecialiter interdici.

„ Nulli ergo hominum liceat hanc paginam
„ noſtre conceſſionis infringere vel ei auſu teme-
„ rario contraire. Si quis autem hoc attemptare
„ preſumpſerit indignationem omnipotentis Dei
„ & beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus

Anno 1236. „ſe noverit incurſurum. Datum Viterbi X. Kal. „May Pontificatûs noſtri anno Decimo.

„GREGORIUS PP. IX.

Nota quod Magiſtra Hoſpitalis jaminde vocetur PRIORISSA, antequam Ordo ſolemniter eſſet approbatus à Pontifice, quod demùm factum eſt anno 1246. ut infra dicetur.

1237. Uſque in hæc tempora Hoſpitale ſitum erat in agro B. Mariæ, in quo fundatum fuerat. Cum autem poſt dilatationem Civitatis, factam à triginta quinque annis, civium & conſequenter pauperum numerus augeretur, & bona temporalia pietate Fidelium augerentur, major Hoſpitali locus neceſſarius erat. Sed cum per prædictam dilatationem mœnibus incluſum eſſet, & *Foſſatum* ſeu planities in agro B. Mariæ datum eſſet Capitulo ad conſtructionem Clauſtri Canonicorum, qui jam meditabantur diviſionem Præbendarum ſuarum, ſpes nulla ſupererat ibidem acquirendi majus territorium.

Hoſpitale parat locum ad tranſmigrandum.

Quia igitur, ut Litteræ ſubjunctæ notant, Hoſpitale ſic in arcto poſitum erat, Fratres & Sorores judicarunt tranſlationem Hoſpitalis ad alium commodiorem locum neceſſariam. Poſſidebant autem Curtem in Suburbio propè *Alnetum*; ad eam cum intenderent Hoſpitale transferre, ſenatus, ad promovendum hoc pium opus & ut commodiori modo locaretur, partem fundi adjecit, ſub conditione tamen illuc transferendi Hoſpitale, ut patet ex ejus Litteris deſuper confectis, quas ex originali ſubjungo.

In proprio fundo,

Et adjecto à Civibus.

„UNIVERSIS preſens ſcriptum intuentibus „*Henricus de Herenthals* Sculthetus & ſcabini „Antwerpienſes & univerſi ejuſdem loci Bur„genſes ſalutem.

Ex Archivis Hoſpitalis.

„Univerſitati veſtre notum facimus, quod „nos pie devotionis affectu Hoſpitali Antwer„pienſi in elemoſinam contulimus territorium jacens

„ jacens ante Curtim , quam dictum Hoſpitale Anno
„ habet prope Antwerpiam, prout à nobis per 1237.
„ limites determinatum apparet, ad hoc ſcilicet,
„ quod cum locus, nimis ſit arctus, in quo
„ nunc edificatum eſt dictum hoſpitale, de illo
„ cum ſuis edificiis & officinis auferetur, & infra
„ limites dicti territorii competenter reconſtruetur.

„ Ut autem hec donatio rata permaneat ſigil-
„ lum *Henrici de Herenthals* ſcultheti & Monarchie
„ Antwerpienſis preſenti pagine ſunt appenſa.

„ Et Nos Scabini Antwerpienſes nomina noſtra
„ ſubſcribi fecimus, *Hugo Tuclant*, *Willel-
„ mus Draco*, *Thomas*, *Hugo Bernecolf*, *Hugo
„ Bichan*, *Nicholaus de Molendino*, *Guerar-
„ dus*, *Thibaldus* & *Arnoldus*.

„ Actum in Epiphania Domini anno Domini
„ MCC. triceſimo ſeptimo." Stylo Cameracenſi,
adeoque ſtylo noſtro 1238.

Hunc igitur locum, qui idem ipſe eſt in quo uſque in hodiernum diem Hoſpitale extat, cœperunt præparare & ſepto circumducere, loca neceſſariis ædificiis & Eccleſiæ deſignare, quin & cemeterio ad ſepeliendos mortuos ſuos: hoc enim anno trigeſimo ſeptimo, & veroſimiliter occaſione hujus tranſlationis, per JOANNEM Præpoſitum & Capitulum conceſſum eſt Hoſpitali jus Sepulturæ. *Obtinet jus ſepulturæ.*

Sed interim, dum locum parant, nè vel in ipſa tranſmigratione vel impoſterùm circa occupationem hujus territorii quid adverſi paterentur, recurrunt ad Principem pro habenda confirmatione; à quo anno ſequenti deſuper hoc obtinuerunt Diploma, quod ex originali ſubjungo. *Locus ipſi confirmatur à Principe.*

„ HENRICUS Dei Gratiâ Lotharingie & Bra- 1238.
„ bantie Dux univerſis tam preſentibus quàm futu-
„ ris has Litteras intuentibus ſalutem. *Ex Archivis Hoſpitalis*

„ Notum vobis facimus, quod nos pio af-
„ fectu, de conſenſu Ville Antwerpienſis, in

 elemo-

Anno 1238. „ elemoſinam contulimus Hoſpitali Antwerpienſi „ locum, quem impreſentiarum occupavit & ſepto „ circumdedit prope *Alnetum*, ad locandum in eo „ dictum Hoſpitale cum ſuis horreis & officinis.

„ Ut autem hec noſtra donatio ipſis rata „ permaneat, preſentes Litteras ipſis fieri fecimus „ ac ſigilli noſtri munimine roborari. Datum anno „ Domini Milleſimo ducenteſimo triceſimo octavo.

Nota quod Princeps in his litteris in eleëmoſynam donet hoſpitali fundum, quem jam ante poſſidebat, quod pluries obſervavi.

Transfertur. Obtentâ hâc Principis confirmatione Hoſpitale ad hunc locum cum appendentiis ſuis tranſlatum eſt, idque, ut quædam memoriæ ferunt, in feſto SS. Philippi & Jacobi, & Eccleſia conſecrata 16. Octobris ejuſdem anni per GUIDONEM Epiſ. Cam. In eo loco commodam manſionem invenit, perſeveratque ibidem jam ultrà quinque ſecula: ſed non niſi per ſeptuaginta ſex annos extra muros fuit; anno ſiquidem 1314. mœnibus iterum circumductis ſecundò viſceribus Civitatis aggregatum eſt, quo à ruinis ſeculi XVI. præſervatum fuit.

Agitur de augendo Clero. Cum jam à triginta ſeptem annis, ut ſuprà viſum eſt, productis mœnibus Civitas ob abundantiam Civium dilatata eſſet, & numerus eorum adhuc indies augeretur, conveniens erat, ut & Clerus & Cultus divinus multiplicarentur. Cultus autem divinus hucuſque non tantùm non fuerat auctus, quin potiùs ob paucitatem Canonicorum, qui tantùm duodecim erant, collapſum pateretur in Eccleſia matrice. Quare maturé deliberatum fuit, quâ ratione opportunè reſtitueretur & ampliaretur.

Antverpia intendit vocare FF. Prædicatores. Jaminde Antverpia animo conceperat advocare Fratres Prædicatores, quorum ob ſingulare meritum in prædicando magnum erat nomen, quique vel ideo ubique quærebantur, & jam in vicinia,

Lova-

 Anno

Lovanii ſcilicet, recepti erant anno hujus ſeculi trigeſimo tertio, unde & ex remotioribus locis Antverpiam quandoque viſitaverant, ibidemque odorem ſuum ſparſerant. 1238. Miræi Not. Eccl. Belg. Cap 187.

Canonici interim, honori Eccleſiæ ſuæ providere volentes, opus hoc à ſe ipſis inceperunt. Conſiderantes enim in tantum reditus ſuos excreviſſe, ut quælibet Præbenda ſufficeret ad duarum perſonarum honeſtam ſuſtentationem, conceperunt Sectionem Præbendarum ſuarum, ſic ut poſt mortem cujuſque Canonici ſuccederent duo; cumque jam eſſent duodecim, poſt obitum omnium forent viginti quatuor, Præpoſiturâ manente in ſuâ integritate. Canonici intendunt Sectionem Præbendarum.

Ut autem pius hic conceptus ad legitimum duceretur effectum, *Joannes de Craeyhem* Præpoſitus & Capitulum deputarunt ad Epiſcopum Cameracenſem Magiſtrum *Henricum* (veroſimiliter *Noſe*, qui deinceps primus fuit Decanus) concanonicum, ut propoſitâ intentione Capituli & rationibus inducentibus conſenſum ejus in hujuſmodi diviſionem peterent. Epiſcopus auditis & probatis rationibus conſenſum benignè præbuit, & deſuper Litteras dedit anno ſeculi hujus quadrageſimo, quas refert Miræus *Dipl. Belg. Tom. I. Pag.* 580., unde illas ſubjungo. 1240. Conſenſus Epiſcopi.

„GUIDO Dei gratiâ Cameracenſis Epiſcopus „ dilectis filiis JOANNI Præpoſito totique Capi- „ tulo beatæ Mariæ in Antwerpia ſalutem in „ Domino. Litteræ ejus deſuper.

„Conſtitutus in præſentia noſtra Magiſter „ *Henricus* concanonicus veſter pro Eccleſia „ veſtra, habens ſuper hoc ſpeciale mandatum, „ Nobis humiliter ſupplicavit, quod cum inter „ vos pro utilitate Eccleſiæ veſtræ & ampliatio- „ ne Cultûs divini providè tractatum fuerit, una- „ nimiterque conſenſum ſuper Sectione Præben- „ darum in Eccleſia veſtra, ſicut eas in futu-

„ rum

Anno 1240. „ rum vacare contigerit, facienda; eo quod „ propter paucitatem Canonicorum in ſpiritua- „ libus collapſum patitur Eccleſia ſupradicta, „ & in tantum proſperante Domino excreverint „ reditus Eccleſiæ, quod quælibet præbenda „ ſufficere poſſit ad duarum perſonarum ſuffi- „ cientem ſuſtentationem & honeſtam, ut hu- „ juſmodi Sectioni Præbendarum benevolum im- „ pertiremur aſſenſum.

„ Nos ergo, penſatâ utilitate & honeſtate dictæ „ Eccleſiæ, devotæ ſupplicationi ipſius annuentes „ in hac parte, hujuſmodi Præbendarum Sectio- „ ni, quantum in nobis eſt, conſentimus; „ dummodo in eccleſia veſtra non ſit certus „ numerus Canonicorum jurisjurandi religione „ firmatus & ſuperioris auctoritate confirmatus.

„ Datum apud Cameracum anno Domini „ milleſimo ducenteſimo quadrageſimo feriâ ſe- „ cundâ ante feſtum B. Mariæ Magdalenæ.

Statuitur Præbendarum Sectio. Simulac conſenſus hic relatus eſſet ad Capitulum, Decretum capitulare deſuper fecerunt Canonici, quod refert Miræus *Ibidem pag.* 581. unde illud ſubjungo.

„ OMNIBUS Litteras has viſuris JOANNES „ Præpoſitus & CAPITULUM S. Mariæ in „ Antwerpia in Domino ſalutem.

Litteræ Capituli deſuper. „ Univerſitati veſtræ notum facimus, quod „ cum in Eccleſia noſtra duodecim eſſent Præ- „ bendæ tantùm, & propter paucitatem ſervi- „ torum defectum pateretur in divinis, & jam „ propitiante Domino adeo excreverint eccleſiæ „ facultates, quod de una præbenda duo poſſunt „ commodè ſuſtentari.

„ Nos de prudentum conſilio utilitati Eccleſiæ „ providere volentes & honori, ad ampliandum „ Cultum divinum & ut meliùs eccleſiæ noſtræ „ in divinis obſequiis & aliis neceſſariis plenariè „ conſulatur, venerabili patre GUIDONE Dei

„ Gratiâ

„ Gratiâ Cameracenſi Epiſcopo conſentiente , Anno 1240.
„ de communi aſſenſu noſtro & unanimi volun-
„ tate ſtatuimus & ordinamus , quod de cæte-
„ ro noſtrarum fiat Sectio Præbendarum , ſicut
„ eas de cætero vacare contigerit , donec ad
„ numerum viginti quattuor ſit perventum ,
„ promittentes ſub juramento , à nobis univer-
„ ſis & ſingulis præſtito , nos obſervaturos in-
„ violabiliter Ordinationem hujuſmodi ſeu ſtatutum.

„ Statuimus etiam & ordinamus , ſub reli-
„ gione præſtiti juramenti , quod quilibet Ca-
„ nonicus de cæterò inſtituendus in Eccleſia ſu-
„ pradicta , ſtatim poſt inſtitutionem ſuam inter
„ cætera jurabit expreſſè , ſe ſervaturum Ordinati-
„ nem præmiſſam & ſtatuta , prout ſuperiùs ſunt
„ expreſſa ; & quod contra ea non veniet quo-
„ quo modo.

„ In cujus rei teſtimonium ſigilla noſtra præ-
„ ſentibus Litteris ſunt appenſa. Datum Ant-
„ werpiæ in feſto B. Mariæ Magdalenæ anno
„ Domini milleſimo ducenteſimo quadrageſimo.

Confirmatur.

Decretum hoc confirmavit Fr. Jacobus Præneſtinus Epiſcopus Legatus apoſtolicus , diplomate dato ad pontem Gemum VIII. Idus Octobris ejuſdem anni.

Qualiter obſervatum.

Cæterùm ſicut piè conceptum ita & religiosè obſervatum fuit hoc Decretum ; niſi quod in erectione Decanatûs novo Decano & ſucceſſoribus ejus aſſignata fuerit Præbenda indiviſa , ita ut undecim tantùm Præbendæ ſint ſectæ , ut infrà videbitur.

8. Presbyt.
8. Diacon.
8. Subdiac.

Sicut autem dum duodecim ſolùm erant Canonici , quatuor erant presbiterales , quatuor diaconales & quatuor ſubdiaconales , qui in functionibus ſuis turnatim deſerviebant : ſic poſt præbendarum Sectionem octo erant presbiterales , octo diaconales & octo ſubdiaconales , prout adhuc hodiedum obſervatur.

Præ-

Prædicta ſectio Præbendarum ad multiplicandos Canonicatus non erat, ut quidam volunt, ſingularis his temporibus in Belgio. Uſus erat, qui etiam aliquando in abuſum degenerabat.

Similes hoc tempore ſectiones in Belgio.

Tornaci.

Inprimis enim videmus anno 1170. GUALTERUM Epiſcopum Tornacenſem cum Capitulo ejuſdem civitatis petiviſſe & obtinuiſſe ab ALEXANDRO PP. III. licentiam, ut de ſingulis tribus Præbendis facerent quatuor, id eſt de triginta quadraginta, ut patet apud Miræum *Dipl. Belg. Tom. II. Pag.* 973.

Furnis.

Dein Furnis in Flandria *Euſtachius de Aria* Præpoſitus Capituli anno 1208 procuravit plurium Præbendarum ſectiones in duas portiones, ut tandem perventum ſit ad numerum 30. Canonicorum, ut refert Sanderus *Fland. illuſt. Tom. III. Pag.* 109.

Brugis.

Similiter Brugis his temporibus in Capitulo ſectæ ſunt Præbendæ & redactus numerus Canonicatuum ad numerum XXXI., ut refertur apud Miræum *Dipl. Belg. Tom. IV. Pag.* 79.

Naeldwyk.

Deinde multò feriùs anno nempe 1369. ſimile exemplum videmus in Naeldwyk, ubi de conſenſu Epiſcopi Trajectenſis, & ob eaſdem rationes ob quas Antverpiæ, Collegium ſex Canonicorum duplicatum eſt, ut refert Miræus *Dipl. Belg. Tom. I. Pag.* 322.

Abuſus in eo.

Ex his ſatis patet ſectiones Præbendarum his temporibus fuiſſe communes. Verum uſus iſte etiam aliquando in abuſum degenerabat. Patet ex eo, quod, cum, ut ſuprà vidimus, GUALTERUS Epiſcopus Tornacenſis obtinuiſſet licentiam ab ALEXANDRO PP. III. ut de tribus Præbendis fierent quatuor, ſucceſſor Gualteri EVERARDUS conceſſionem hanc transgrediebatur & quaſdam Præbendas dimidiabat. Quod cum ad aures ALEXANDRI perveniſſet, ſcribit deſuper ad Epiſcopum & Capitulum, prohibens, ſub

gravi

graví pœna Epiſcopo, nè in diviſione Præbendarum procedat, niſi juxta tenorem conceſſionis ſuæ, neque de cætero Canonicum inſtituat, niſi priùs dimidiatæ Præbendæ juxta tenorem conceſſionis redintegratæ ſint: prohibet Canonicis nè anteà quemquam in Canonicum recipere præſumant, ut apud Miræum *Dipl. Belg. Tom. II. Pag.* 976. Anno 1240.

Hoc etiam tempore communes fuiſſe in Gallia Præbendarum Sectiones refert Fleury *Hiſt. Eccl. Liv. LXXXIII. N.* 43. abuſumque fuiſſe ex parte Epiſcoporum, qui præbendas ſecabant ad augmentandum Canonicorum numerum, reſervantes ſibi primæ vacantis inſtitutionem.

Willelmus Cornelii Can. Antv. hæreticus.

Inter Canonicos, qui prædictam præbendarum diviſionem in eccleſia Antverpienſi decreverant, erat *Willelmus Cornelii*: conſtat hoc ex litteris authenticis datis anno 1239. in quibus nomen ejus tamquam teſtis ſubſcriptum vidi. Hic autem *Willelmus* paupertatis meritum ultrà metas tollens, omnia peccata per eam dimitti cenſebat & docebat; meliorem reputabat meretricem pauperem, quàm caſtam aliquid poſſidentem, unde concludebat omnes Religioſos eſſe damnatos. Ut autem pauper vivens paupertatis hoc meritum conſequeretur Canonicatum dimiſit. Interim poſt obitum *Willelmus* honorificè ſepultus eſt in eccleſia B. Mariæ: ſed Nicolaus de Fontanis Epiſ. Cameracenſis vir doctus & æmulator ſanæ Religionis, examinatis & probatis ejus erroribus, in pœnam pertinaciæ & nè ſectatores in erroribus perſeverarent, corpus ejus quarto poſt obitum anno exhumari juſſit, quod conſequenter combuſtum eſt. Conſtant hæc ex relatione *Thomæ Cantipratani* contemporanei & ſuffraganei Cameracenſis, qui proinde in ſimili facto fide digniſſimus eſt, quare quæ deſuper ſcripſit ſubjungo ex Opuſculo ejus *De Apibus Lib. II. Cap.* 47. *N*. 3.

„ Qui-

Anno 1240.

„ Quidam, inquit, noſtro tempore in ur-
„ be Antverpienſi Brabantiæ ſuper maritimâ
Ejus errores. „ *Guillelmus Cornelius* nomine, hæreſi ſuprà
„ modum irrationabili ſcindere dominicam fidei
„ tunicam eſt conatus.

„ Hic quidem, in hypocriſi & ſimulatione diu-
„ tiùs converſatus, Præbendæ beneficium, quaſi
„ ſub prætextu perfectæ paupertatis dimiſit;
„ & tamen luxuriæ totus erat deditus.

„ Dicebat autem: ſicut rubiginem igne, ſic
„ omne peccatum paupertate conſumi & ante
„ Dei oculos adnullari. Meliorem eſſe publicam
„ meretricem pauperem, quam aliquem juſtum
„ perfectiſſimè continentem, aliquid in ſui ſub-
„ ſidium retinentem; & propter hoc omnes
„ prorſus Religioſos eſſe damnatos...

„ De iſto autem certiſſima relatione didici-
„ mus, quod cum defuncto eo atque in Eccleſia
„ beatæ virginis cum honore ſepulto, quidam
„ die tertiâ eandem Eccleſiam introiſſet, vidit
„ corporalibus oculis ſepulchrum dicti Wil-
„ lelmi Cornelii vacuum & apertum, mani-
„ feſtiſſimâ ſignificatione præſagiens futuræ dam-
„ nationis eventum.

„ Nam poſt annos quatuor, cognitâ denudatâ-
„ que ac probatâ nequiſſimæ hæreſis illius malitiâ,
„ per venerabilem Patrem noſtrum NICOLAUM
„ Cameracenſem Epiſcopum cadaver ejus de ſe-
„ pulchro, quaſi ſtirps inutilis, ſecundùm Iſaiam lo-
„ quentem de Nabuchodonoſor, projectum eſt &
„ combuſtum." Hæc Cantipratanus.

Agunt de hoc *Willelmo* ejuſque erroribus Gazet *Hiſt. Eccl. du païs-bas*, Alphonſus à Caſtro *Adverſus hæreſes Lib. XII.* verbo *Paupertas*, ac Molanus *Natal. SS. belgii ad* 6. *Junii* & *Cron. SS. Belgii cap* 27.; ſed nihil referunt ultrà jam relata ex Cantipratano.

Unde hi errores. Willelmus autem veròſimiliter mutuaverat erro-

errores à *Petro Waldo*, cujus diſcipuli, dicti Pauperes Lugdunenſes, nuper bello victi quaquaverſum diſperſi fuerant. Anno 1240.

Non eſt dubitandum, quin hæreticus hic ſectatores habuerit, qui fuerint Antverpienſes hæretici, contrà quos circà annum 1248. tendebat GUIARDUS Epiſcopus Cameracenſis, dum in itinere in Abbatia Affigemienſi obiit, de quo infrà ad iſtum annum. Quod autem Epiſcopus ille morte præventus perficere non potuit, perfecit NICOLAUS ejus ſucceſſor, qui demum anno 1251. factus eſt Epiſcopus. Hic autem *Willelmum* exhumari juſſit & comburi. Hinc habemus, exhumationem & combuſtionem prædictas peractas fuiſſe poſt illum annum.

Sectatores ejus.

Quando exhumatus.

Multum olim diſceptatum eſt de origine Begginarum & Begginagiorum. Alii originem ducunt à S. *Begga*, alii à *Lamberto Begho* præsbitero Leodienſi. Verùm origo Begginarum ſuperat apparenter ætatem Beghi & S. Beggæ, & referendus videtur ad initium Eccleſiæ: ab initio enim Eccleſiæ fuerunt filiæ & viduæ, quæ certo modo ſe Deo conſecrabant & manentes in ſeculo, vanitatem ſeculi abhorrentes, modeſtum habitum gerebant retinentes dominium bonorum ſuorum. Illæ vivebant in domibus parentum vel plures ſimul in eadem domo; quæ autem in eadem domo habitabant, eundem modum vivendi & agendi obſervabant, qui modus agendi vocabatur regula, & ſic regulariter vivebant. Quia autem filiæ iſtæ à ſecularibus differebant & pietate & habitu, peculiare etiam nomen tulerunt, varium in variis regionibus & variis temporibus. Non differebant iſtæ à noſtris devotariis, quæ ſeculo XI. vocabantur Begginæ in his regionibus, & nomen illud tulerunt uſque ad ſeculum XV. & adhuc

Origo Begginagiorum.

hodie

Anno 1240. hodie in quibusdam locis : hodie hic vulgò vocantur *Queſels* , in Hollandia *Clopjens*.

Vocabantur devotariæ noſtræ communiter Begginæ ſeculo XIV., poſtquam Begginagia ubique fundata erant ; & inde diſtinctio *Beggina clauſa* & *non clauſa*. Clauſæ dicebantur , quæ in Begginaſiis clauſis habitabant ; non clauſæ quæ habitabant in domibus parentum, aut plures ſimul in eadem domo , prout devotariæ noſtræ adhuc hodie. Vide van Eſpen *Jur. eccl. par. I. tit XXXIII. de quaſi Regul. cap.* 3.

Sicut autem olim per illas , quæ ſimul habitabant in eadem domo , quando domus illæ donabantur communitati , oriebantur congregationes devotariarum , quæ non ligabantur domui , ſed eam derelinquebant quando volebant, ſic etiam hodie.

Aliquando congregationes iſtæ aſſumebant Regulam approbatam , & ſic fiebant Monaſteria. Antverpiæ erecta eſt communitas devotariarum ſeculo XIV. quæ per ſeculum ſic vixit, donec ſeculo XV. aſſumpſit Regulam & inſtitutum approbatum ; & eſt hodie Cœnobium monialium tertii Ordinis S. Franciſci, dictum *Derd-Order*. Sic in fine ſeculi præcedentis convenerunt hic devotariæ, & inde communitates dictæ *Apoſtolina* & *Marolla* , quæ ſunt devotariæ ſimul habitantes, ſed non affixæ domui, derelinquentes domum quando volunt , & retinentes dominium ſuorum bonorum.

Congregationes autem , quæ Regulam approbatam non aſſumſerunt , retinuerunt nomen tempore inſtitutionis commune filiabus devotis , nempe Begginæ , & inde Congregationi nomen Begginagium. Sicut hodie Congregationes quædam filiarum devotarum retinent nomen ipſis hodie commune, dicunturque Queſulæ *Queſels* ; ut Tamiſii in flandria & fortè alibi.

Unde

Undè quærere, à quo nomen habeant Begginæ, idem eſt acſi nunc quæreremus, à quo filiæ noſtræ devotæ habeant nomen *Queſels*. Anno 1240.

Credendum itaque, quod Begginæ in ſua origine nihil aliud ſint quàm filiæ devotæ, quales ſemper fuerunt in eccleſia; & quod Congregationes illarum retinuerint nomen, tunc in his regionibus commune filiabus devotis, & non à Begho, nec à S. Begga.

Originem nominis Begginarum & Begginagiorum colligere utcumquè poſſumus, ex Bulla JOANNIS PP. XXII., quam anno 1320. 31. decembris dedit ad Epiſcopum Cameracenſem pro defenſione Begginarum Antverpienſium. Refert eam Miræus *Dipl. belg. tom. I. pag.* 215., in ea hæc leguntur. „Cum autem ad Apoſto„latus noſtri auditum relatio fide digna dedu„erit, eſſe plurimas in tuis civitate & diœceſi „hujuſmodi mulieres, BEGHINAS ſimpliciter „nuncupatas, quæ ... in ſancta & ſolida ſim„plicitate viventes, aliquæ proprias, aliquæ „parentum, aliquæ conductas, vel ſibi com„munes, & cum honeſta familia domos in„habitant; aliquæ vero rerum cogente defectu, „ſimul *in iiſdem domibus & diverſis Beghina„giis*, ad majorem caſtitatis obſervantiam, „commorantur." Etimologia nominis.

Clarum eſt, quod hic per Beghinagium intelligatur cubiculum, aut cubile, qualia plura in eadem domo; & ſingulæ iſtæ mulieres in ſingulis cubiculis ſeu Beghinagiis morabantur; & quidem ad caſtitatem perfectius ſervandam nequidem ejuſdem ſexûs admittebant illi ſuis cubiculis.

Cubicula autem dicebantur Beghinagia fortè à ſimplici linteo, quo nocturno tempore ad decumbendum caput involvebant mulieres, quod ſimplex linteum uſque in hodiernum diem in his regionibus vocatur *Begeyn*: & nomen

Anno 1240. iſtud adhuc in uſu eſt notanter pro infantibus; quando parantur ad dormiendum. Inde, inquam, fortè cubicula iſta dicta ſunt Beghinagia, & mulieres ipſæ Beghinæ, quòd nempe in ſancta & ſolida ſimplicitate viventes, in habitu etiam ſummam ſimplicitatem præferentes, nocturnum iſtud capitis tegumentum, ſeu ſimplex illud linteum, pro omni ornamento etiam de die geſtarent, prout etiam hodie evidenter geſtant.

Cum autem cubicula dicerentur Beghinagia, ipſa domus, in qua erant plura ſimilia Beghinagia, dicta eſt Beghinagium: & quando plures ſimiles domus contiguæ erant in eadem platea ſeu vico, ipſa platea dicta eſt Beghinagium; & dum plateam ipſam claudi impetrarunt, uniformiter vivere cœperunt, Superiorem elegerunt, templa ſibi obtinuerunt & ſervitium divinum, & dici cœperunt Beghinæ clauſæ ad diſtinctionem earum, quæ ſparſim habitabant.

Begginæ Antverpiæ. Anno autem hoc quadrageſimo Antverpiæ extitiſſe Begginagium indicat Gramaye in ſua *Antverpia Lib. II. Cap. I.* dicitque ſe vidiſſe diploma datum eo anno continens donationem cujuſdam prati dicti *het Dienſt-velt* factam à *Gerardo milite de Werpa* ad uſum Begginarum. Titulus hujus Begginagii erat *Sion* vel *mons Sion*. Vidi litteras anni 1246. in quibus beneficium confertur *Begginis clauſis*.

Begginagium ubi ſitum. Extabat autem Begginagium non in loco, ubi nunc extat, ſed extrà muros Civitatis circà Portam, quæ uſque in hodiernum diem à Begginis nomen habet.

Earum Inſtitutum. Begginæ verò vivebant ibidem pacificè & quietè ſub obedientia Magiſtrarum in habitu griſeo, humili & honeſto. Miræi *Dipl. Belg. Lib. I. Cap. 100.* Amplis indulgentiis eas ornavit

navit Hugo Barcinonenſis Nuntius Apoſtolicus anno 1252. ut refert Miræus *Don. Belg. Lib. I. cap.* 118. *in Notis.* Sed interim Inſtitutum Begginagiorum ; quorum plurima in Belgio , uſque in hodiernum diem approbatum non eſt à ſanctâ Sede : ideoque , ne fortè indirecta approbatio prætexeretur , in Litteris Pontificiis , quibus eis Indulgentiæ conceduntur , communiter inſeritur : *cæterum per præſentes non intendimus dicti Beghinagii Inſtitutum ſeu denominationem in aliquo approbare.* Anno 1240.

Cœmeterium & jus in eo ſepeliendi Begginas mortuas obtinuerunt anno 1247. eâ conditione , ut quælibet Beggina pro jure parochiali Capitulo ſolveret annuatim tres denarios Lov. in feſto Trinitatis , eamque pecuniam Sacerdos & Magiſtra Curtis tempore ſtatuto ſatisfacere tenerentur

Obtinent jus ſepulturæ.

Anno 1251. NICOLAUS Epiſcopus Cameracenſis promittit Canonicis ſuper fundatione Capellaniæ B. Mariæ Begginarum , de conſenſu Capellani & Begginarum , quod nec ipſe nec ſucceſſores eos ſuper augmentatione dicti Beneficii inquietabunt , nec de cætero cogendi ſint ad competentiam.

Statutum circa Capellanum earum.

Anno hujus ſeculi quadrageſimo primo collabitur Turris Abbatiæ S. Michaëlis , dum Sacrum ſolemne cantant Religioſi. Hoc notatum ex Regiſtris Civitatis refert Papebrochius in *Coroll. II. Norbert.* Eſtque , inquit , credibile eandem eodem loco reſurrexiſſe quantenus opus erat ad uſum campanarum , quæ ſic imperfecta manſit per annos ferè centum. 1241.

Cadit Turris S. Michaëlis.

Capitulum Antverpienſe jam quidem , per decretam Præbendarum ſuarum Sectionem , quantum in ſe erat , providerat augmentationi Cultûs divini : cum tamen effectus hic per annos expectandus eſſet , & etiam augmentum hoc

Fratres Prædicatores vocantur Antverpiam.

Anno 1241. ad effectum deductum inſufficiens judicaretur pro multitudine & pietate civium, cœpit agere cum Epiſcopo ad invitandos FF. Prædicatores, quatenus è ſuis huc mitterent Conventum, quod brevi ad effectum ductum eſt.

Præcipuus hujus rei promotor erat GUIDO ſeu GUIARDUS DE LAUDUNO Epiſcopus Cameracenſis cum Archidiacono Antverpienſi. Epiſcopus hic non tantùm intendebat augmentum pietatis & cultûs divini, ſed & præcipuè præſervationem Civium contrà ſeductionem hæreticorum, de quâ plurimum hoc tempore timendum erat. Waldenſes enim à tempore, quo victi erant bello, in quo ſeptuaginta millia perierant, diſperſi per totam galliam non ceſſabant divulgare errores. Et cum Inquiſitores eos ubique perſequerentur, diſpergebantur ferè per totam Europam. Præſens fuerat hic noſter Epiſcopus anno trigeſimo nono in ſolemni executione factâ in Campaniâ in Diœceſi Catalaunenſi, in quâ (præſente Navarræ Rege, Baronibus provinciæ, Archiepiſcopo Remenſi, ſeptemdecim Epiſcopis, pluribus Abbatibus, Prioribus, Decanis & aliis Eccleſiaſticis & populo ad centum millia) igni dati erant centum & octoginta tres hæretici dicti *Bulgari*, quod nomen commune erat omnibus Sectis ortis ex Waldenſibus. Factum hoc refert Fleury *Hiſt. Eccl.* ex Alberico contemporaneo Monacho Ciſterſienſi in dictâ Diœceſi.

1242. Agente Epiſ. Cameracenſi.

Quia timebat infectionem per Hæreticos

Inter Inquiſitores, qui hanc executionem procuraverant, erat *Robertus* dictus *Bulgarus* Ord. FF. Prædic. Hic autem hoc tempore agebat in Flandria, & hæreticos ejuſdem ſortis ibidem cum eodem fervore proſequebatur. Meritò igitur timebat Epiſcopus, nè fugientes proſecutionem Inquiſitionis è Flandriâ Antverpiam divertiſſent, eamque veneno ſuo infeciſſent.

Inſu-

Inſuper fortè hoc tempore cœperat *Willelmus Cornelii*, de quo ſuprà ad annum 1240., manifeſtare falſas opiniones circà meritum paupertatis, & fautores ac ſectatores habere. Hinc certè Epiſcopo plurimùm timenda erat infectio Antverpienſium. Anno 1242.

Non eſt autem dubitandum, quin hæc moverint Epiſcopum ad rem hanc promovendam; hoc enim ſatis indicat in Litteris, quas deſuper ſcripſit ad Capitulum FF. Prædicatorum, quod celebrabatur Argentorati; in illis enim dicit, quod petat Conventum Fratrum mitti Antverpiam propter *incumbentem ſibi & ſubditis ſuis neceſſitatem maximam*, ut in ejus Litteris infrà dandis videbitur.

Ratio autem, quare Epiſcopus judicaverit potiùs advocandos Fratres Prædicatores quàm alterius Ordinis Religioſos, hæc fuiſſe videtur, quòd illi non tantùm ab inſtitutione cum Fundatore S. DOMINICO, ſed etiam hoc tempore præ cæteris vigorosè ubique agerent contrà ſimiles hæreticos. Inde judicabat eos etiam maximé idoneos ad præſervandam Civitatem contrà infectionem, quæ timebatur. Quare potius Prædic. quam alios.

Epiſcopus itaque occaſionem nactus, dum Capitulum FF. Prædicatorum celebrabatur Argentorati, cœpit agere apud Principem ad obtinendum conſenſum ejus pro erectione Conventûs in Marchionatu. Facilè autem conſenſum hunc obtinuit, cum Princeps ab adoleſcentiâ Ordinem illum dilexiſſet. Et non tantum induxit Epiſcopus Principem ad Præſtandum conſenſum, ſed etiam ad ſcribendum ad Capitulum & petendam hunc in finem tranſmiſſionem Fratrum. 1243. Epiſcopus impetrat conſenſum Principis.

Egit etiam cum Senatu & populo Antverpienſi, quos facilè induxit non tantùm ad conſentiendum, ſed etiam ad ſcribendum & peten- Et Senatus Antverpienſis

 dam

Anno 1243.

dam prædictam tranſmiſſionem : populus enim Antverpienſis jaminde diſpoſitus erat ad eos recipiendos ; magni enim fecerant viſitationes iſtorum Fratrum jam identidem factas ex Conventu Lovanienſi & remotioribus locis.

Capituli Antverpienſis.

Non potuit autem Epiſcopus inducere Canonicos Antverpienſes ſaltem ad capitulariter ſcribendum & petendam tranſmiſſionem Fratrum, obſtante veroſimiliter *Willelmo Cornelii* cum fautoribus ſuis. Litteras tamen deſuper ſcripſit Archidiaconus Antverpienſis, qui, licèt propria Dignitatis ejus præbenda eſſet in Eccleſiâ Cameracenſi, veroſimiliter, prout ſæpiùs, Canonicus etiam erat Antverpienſis.

Dux Epiſc. Archidiaconus & Senatus vocant FF. Prædic. per epiſtolas.

Litteras itaque ad Capitulum FF. Prædicatorum, in Argentinâ celebrandum, miſerunt Dux, Epiſcopus, Archidiaconus & Senatus Antverpienſis, quibus ſupplicant, ut Patres Capituli procurent Antverpiam deſtinari Conventum Fratrum ſui Ordinis.

Litteræ Archidiaconi hactenûs non ſunt inventæ. Sed uſque in hodiernum diem in Archivis Conventûs FF. Prædicatorum adſervantur Litteræ Ducis, Epiſcopi & Senatûs Antverpienſis ; adſervantur & reſponſiones Capituli ad Epiſcopum & ad Senatum, ac Epiſtola ad Suppriorem Lovanienſem, cum mandato ut cum ſociis Antverpiam vadat. Harum autem Epiſtolarum Originalia exhibuit mihi Exm. P. Joſephus van Petegem Exprovincialis & actualis ejuſdem conventûs Prior, ex quibus eas ſubjungo.

Epiſtola Ducis.

Et in primis ſubjicio Litteras Ducis Brabantiæ datas die 1. Auguſti 1243., in quibus indicat, ſe ad eam ſcribendam inductum ab Epiſcopo Cameracenſi.

Ex Archivis FF. Prædic.

„ VIRIS venerabilibus & diſcretis H. Priori „ Provinciali Fratrum Predicatorum Teutonie & „ Fratribus Diffinitoribus Capituli Provincialis in „ Argen-

„ Argentino celebrandi HENRICUS Dei gratiâ Anno
„ Dux Lotharingie & Brabantie ſalutem & ſin- 1243.
„ cere dilectionis affectum.

„ Cum , ſicut multi de veſtris noverunt , & „ experimentis evidentibus ſatis declaratum eſt , „ Eccleſie ſancte promotionem & Fratrum veſtro„ rum converſationem ab annis adoleſcentie no„ ſtre dilexerimus , Venerabilis patris Epiſcopi „ Cameracenſis inſtinctu , ob divini cultûs & „ ſalutis animarum promotionem , Litteris pre„ ſentibus aures veſtras duximus dignum excitare , „ commonentes & rogantes affectuoſe , quate„ nùs Dominum , cujus miniſterium profitemi„ ni , pre oculis habentes , apud Antwerpiam „ in terra noſtra & Epiſcopatu Cameracenſi , „ Collegium Fratrum veſtrorum Nobis tranſmit„ ti procuretis ; tantum in hâc parte pro Ec„ cleſia Dei & Nobis facientes , ut omnibus „ Fratribus veſtris favorabiles maneamus ; & illis „ ſpecialiter , quos ad jam dictum locum mit„ tere decreveritis , ſingularem affectum pro„ mittimus.

„ Datum ad Vincula Petri anno Domini „ MCCXLIII. ”

Litteræ Epiſcopi eodem die datæ ſunt , nempè 1. Auguſti. In illis autem non petit Epiſcopus , ut Patres Capituli Antverpiam tranſmittant Conventum ; ſed ut apud Generalem Ordinis agant ad impetrandam erectionem illius : ſciebat enim Epiſcopus Capitulum Provinciale non poſſe erigere novum Conventum ſine ſpeciali licentiâ Generalis Ordinis. *Epiſtola Epiſcopi.*

Deinde indicat Epiſcopus , ſe petere erectionem hujus Conventûs propter neceſſitatem maximam , ſibi & ſubditis ſuis incumbentem.

Itaque Litteras ejus ex originali ſubjungo.

„ VIRIS venerabilibus & religioſis Fratribus „ H. Priori provinciali Fratrum Predicatorum *Ex Archivis FF. Prædic.*

Anno 1243. „ Theutonie & Fratribus diffinitoribus Capituli „ Provincialis in Argentinâ celebrandi, GUIDO „ ordinatione divinâ Cameracenſis Eccleſie mini- „ ſter humilis & indignus ſalutem, &c. in concilio „ Sanctorum & congregatione ſpirituum non „ deeſſe.

„ Profectò credimus Vos & Fratres veſtros „ nullatenùs ignorare, quod ſpeciali dilectionis „ affectu Fratres & Religionem veſtram uſque „ nunc fecimus amplecti. Attendentes autem & „ utilitatem animarum, que ex preſentiâ & „ cohabitatione Fratrum veſtrorum in noſtrâ „ dioceſi & vicinorum Coëpiſcoporum noſtrorum „ dioceſibus contigit, & ſingulis diebus contin- „ git, & Illuſtriſſimi Viri HENRICI Ducis „ Lotharingie affectuoſam dilectionem & volun- „ tatem, quam ergà vos & Religionem veſtram „ oſtendit ſe habere, & neceſſitatem maximam „ Nobis & ſubditis noſtris incumbentem; „ veſtram in Domino, de quâ quàm plurimum „ confidimus, licèt immeriti, charitatem roga- „ mus attentiùs, quatenùs preces Domini Ducis „ & noſtras benignè recipientes, divine pietatis „ intuitu, & noſtrarum & prefati Ducis pre- „ cum humilium interventu, Nobis concedere „ velitis, ut apud Antwerpienſe Caſtrum Ducis „ ſupradicti domum Ordinis veſtri edificandam, „ impetrare à Magiſtro Ordinis & concedere „ velitis.

„ Nos enim Fratres miſſos à Vobis & com- „ morantes ibidem affectu paterno & benigno „ pertractare proponimus & fovêre; & eorum „ negotia, ſecundùm Regulam veſtram & in- „ ſtitutiones Ordinis, pro noſtro poſſibilitatis „ modulo in omnibus expedire.

„ Datum in die B. Petri ad vincula anno „ Domini MCCXLIII."

Litteræ Senatûs Antv. Litteræ Senatûs & Populi Antverpienſis datæ ſunt

ſunt duobus diebus ſeriùs, id eſt 3. Auguſti. In illis autem patet deſiderium habendi Conventum Ordinis hujus, & quanti fecerint viſitationes Fratrum illius Ordinis olim factas. Illas etiam ex Originali ſubjungo. Anno 1243.

„ RELIGIOSIS VIRIS & diſcretis H. PRIORI „ provinciali Fratrum Predicatorum Teutonie & „ FRATRIBUS Diffinitoribus Capituli provincialis „ apud Argentinam SCABINI & COMMUNI- „ TAS Antwerpie Cameracenſis Dioceſis ſalutem „ & ſinceram in Domino charitatem. *Ex Archivis FF. Prædic.*

„ Quamvis mundanis pulveribus offuſcati com- „ paratione felicitatis ſpiritualis multarum civitatum, „ quibus in populo & aliis temporalibus termini „ noſtri ſuperabundant, noſtram neceſſitatem vo- „ bis invitamur exponere.

„ Cum itaque ſecundùm preſentem ſtatum „ miniſterium veſtrum ſancte Dei Eccleſie com- „ probetur perneceſſarium, & nos hucuſque „ conſolatione veſtrâ, quod cum dolore proferre „ poſſumus, caruerimus; niſi in quantum „ beati Fratres veſtri Domûs Lovanienſis vel „ alii remotiores nos duxerint viſitare: omni „ devotionis affectu veſtram propulſamus exo- „ rantes charitatem, quatenùs nobis & noſtris „ compatiamini, & COLLEGIUM FRATRUM „ veſtrorum Antwerpiam deſtinari faciatis. Nos „ enim ipſos affectu ſincero & dilectione ſtabili „ pertractare compromittimns: firmam tenentes „ fiduciam, quod cum Dominus benedixerit „ domui Egypti propter introitum Joſeph & „ domui Laban propter Jacob, benedictionis „ divine munus ad introitum eorumdem con- „ ſequemur.

„ Datum in Inventione Stephani annno MCC- „ XLIII."

Quando Litteræ hæ datæ ſunt, veroſimiliter Capitulum necdum congregatum erat: ſi enim con-

congregatum fuiſſet, Patres certè ultrâ menſem non diſtuliſſent reſponſum. Litteræ ad Epiſcopum datæ notantur 9. Septembris. In Reſponſione ad Senatum & in epiſtolâ ad Suppriorem Lovanienſem nec annus nec dies notatur: ſed interim non dubitandum, quin datæ ſint eodem die, quo reſponſum ad Epiſcopum

Capitulum FF. Prædic. ſtatuit mittere quatuor Fratres.

Provincialis itaque & Definitores Capituli, cum Litteras has recepiſſent, quantum in ſe erat ſtatuerunt ſatisfacere piæ huic petitioni. Non licebat quidem eis novum Conventum erigere ſine conſenſu Generalis Capituli, quod demùm celebrandum erat Bononiæ proximâ æſtate: ſed propter neceſſitatem notatam ab Epiſcopo judicarunt ſibi licere mittere aliquot Fratres, qui ibidem tamquam in refugio manerent. Statuerunt itaque mittere quatuor, quorum tres ſemper Antverpiæ manerent, donec anno proximo à Capitulo Generali conſenſum impetraſſent ad plenum Conventum mittendum, prout Patres indicant in reſponſo ad Litteras Epiſcopi, quod ex Originali ſubjungo.

Reſponſum ad Litteras Epiſ. *Ex Archivis FF. Prædic.*

„ Reverendo Patri.... in Dei filio plurimùn „ diligendo Domino GUIDONI dei gratiâ Ca„ meracenſi Epiſcopo Fr. H. dictus Prior PRO„ VINCIALIS & DIFFINITORES Capituli apud „ Argentinam celebrati Ordinis Predicatorum ſa„ lutem & honorem & orationum ſuarum in„ ſtantiam.

„ Benignum veſtre Paternitatis affectum, quem „ ad Ordinem noſtrum integrum & ſincerum „ tenetis, cum multâ devotione recolimus & „ cum magnâ gratiarum actione proſequimur, „ ſperantes quod, cum hactenùs nos dilexeritis, „ etiam in finem diligetis.

„ Proinde celeſti Providentie gratias agimus, „ qui talem in Vobis Paſtorem gregi ſuo provi„ dit, quem pio cruore ſuo redemit, cujus

exem-

„ exemplo ceteri deterreantur à vitiis & ad que- Anno
„ que optima provocentur. 1243.

„ Sanè Pater venerande Litteras veſtras accepimus & gratanter accepimus : nam gratam in eis rem petiviſtis ; gratam utique , quod ſperamus , hominibus , gratam Angelis , gratam Deo ; Domum Ordinis noſtri in Antwerpiâ à nobis inſtaurari petiviſtis ; ſubſidium promiſiſtis. Preces igitur veſtras benignè ſuſcipimus , eas admittimus ; Fratres quatuor ad memoratum locum Paternitati veſtre transmittimus , quos & veſtre committimus ſanctitati.

„ Litteras autem Veſtras , ſuper hoc à benignitate veſtra nobis tranſmiſſas , ad noſtrum Generale Capitulum , proximè Bononiæ celebrandum , cum noſtris Litteris volumus deſtinare . & ut plenum Conventum Vobis poſſimus tranſmittere apud Magiſtrum & Diffinitores ejuſdem Capituli fideliter laborare.

„ Datum Argentine in Craſtino Nativitatis beate Virginis."

Reſponſum ad Litteras Senatus.

Reſponſum Capituli ad Senatum eadem continens ſubjungo ex Originali.

Ex Archivis FF. Prædic.

„ Viris catholicis & in Chriſto dilectis SCHOLTETO , SCABINIS ac toti COMMUNITATI de Antwerpiâ Fr. H. Prior & Diffinitores provincialis Capituli Fratrum Predicatorum apud Argentinam celebrati ſalutem & ſuas devotas orationes apud Deum.

„ Dilectionem veſtram , quam ad Ordinem noſtrum habetis , cum multo devotionis affectu recolimus , & cum magnâ gratiarum actione proſequimur ; agentes nihilominùs gratias Angelo magni conſilii , à quo omne bonum & omne donum optimum eſt deſcendens , qui vobis tam ſalubre conſilium inſpiravit , ut à nobis communiter peteretis , quod

„ Domum

Anno 1243. „ Domum Ordinis noſtri apud vos inſtaurare „ vellemus.

„ Nos igitur perſuaſum habentes, divinam „ ſic velle Providentiam, que in ſui diſpoſitio- „ ne non fallitur, que omnibus ad Deum cum „ pio mentis deſiderio pulſantibus conſilium ape- „ rit veritatis; quantum in nobis eſt petitionem „ veſtram admittimus, & Fratres quatuor, uſ- „ que ad generâle Capitulum noſtrum in futurâ „ eſtate apud Bononiam celebrandûm, vobis „ tranſmittimus; quos & veſtre committimus „ charitati.

„ Omnem autem operam, quam poſſumus, „ ad hoc dare volumus, ut hanc conceſſionem „ noſtram ſive inchoationem Magiſter noſter & „ Diffinitores ejuſdem Capituli ratam habeant & „ confirment. Tantùm Fratres noſtros ad vos „ Miſſos interim charitativè tractetis, ejus intui- „ tu, qui omnium bonorum retributor eſt & „ largitor.

„ Datum Argentine in Capitulo provin- „ ciali."

Epiſtola Capituli ad Suppriorem Lovanienſem.

Epiſtola autem Patrum Capituli ad Supprio- rem Lovanienſem continet mandatum, ut ipſe cum tribus aliis Fratribus vadat Antverpiam, & quidem ſecretò, nè res divulgaretur; ut ibidem conetur obtinere locum commodum, & ibidem domunculas conſtruat ad recipiendum, poſt obtentum conſenſum, plenum Conventum. De- inde quomodo ſe gerere debeat ergà amicos Ordinis, ergà Cives, & notanter ergà Cano- nicos, de quibus dubitabatur, num conſen- ſiſſent in hanc evocationem: prout magis patet ex ipſâ epiſtolâ, quam ex Originali ſubjungo.

Ex Archivis FF. Prædic.

„ Fr. H. Prior provincialis & Diffinitores Ca- „ pituli apud Argentinam celebrati, dilecto in „ Chriſto Fratri *Theobaldo* Suppriori Lova- „ nienſi gaudium, ſpem & ſalutem.

„ Litteras

„Litteras venerabilium Dominorum Camera- Anno
„ cenſis Epiſcopi, Ducis Brabantiæ, Archidi- 1243.
„ aconi & etiam Civium Antwerpienſium acce-
„ pimus; quatuor accepimus & gratanter acce-
„ pimus. Petiverunt autem in illis, quod do-
„ mum Ordinis noſtri in Antwerpia inſtaurare
„ vellemus; quod Nos, credentes à celeſti fore
„ Providentiâ procuratum, ipſis conſenſimus;
„ & quantum in nobis eſt, ibidem domum
„ recepimus; ſpem firmam fiduciamque tenentes,
„ imo & pro certo ſcientes, quod Magiſter
„ Ordinis & Diffinitores generalis Capituli fac-
„ tum noſtrum in hâc parte ratum habebunt,
„ & illud ſuis Litteris confirmabunt.

„Nos igitur, de diſcretione tuâ plurimùm
„ confidentes, Fraternitati tuæ committimus,
„ ut aſſumpto tecum Fratre *Willelmo de Eyke*,
„ quem ſemper cooperatorem habetis (ita tamen
„ quod à te principaliter dependeat negotium)
„ & duobus aliis in domo Lovanienſi (quos
„ nunc iſtos nunc illos potes accipere, prout
„ tibi viſum fuerit expedire) vadas Antwerpiam;
„ & ibidem de diſcretorum Burgenſium conſilio
„ & amicorum ſpecialium Ordinis, locum talem
„ ſtudeas occupare, qui ad capiendos homines
„ in predicationibus ſufficiens ſpatium habeat, &
„ ad quem hominibus Civitatis aditus ad Fratres pa-
„ teat accedendi; non attendens ſive ſit infrà
„ Civitatem ſive extrà, dummodo iſta duo
„ conveniant in eodem.

„Volumus autem propter aliquos, ut iſtud
„ non multum publices, nec ab aliis fratribus
„ publicari permittas; donec licentiam à Capi-
„ tulo generali ſuper hoc habeamus; quam tamen
„ bene habebimus, ſicut ſcimus. Sed hoc, quod
„ iſtud nolimus multum publicari, facimus ad
„ cautelam.

„Volumus autem, ut tu cum Fratre *Willel-*

„ *mo*

Anno 1243. „ mo & aliis duobus, quos juxtà pretaxatum „ modum aſſumendos tibi duxeris, nec omnes „ quatuor in Antwerpiâ ſimul ſitis; nec duo, „ nec omnes quatnor in Lovanium pro tempo- „ re redeatis, juxtà quod diſcretioni tue viſum „ fuerit expedire.

„ Medio verò tempore, hoc eſt uſque ad „ Capitulum generale, ſtudeas amicos & adju- „ tores tibi conquirere, quorum ſubſidio & „ aream compares, & aliquas in ea domuncu- „ las facies, in quibus Fratres, cum plenus „ ibidem conventus (*fuerit*) deſtinatus, poſſint „ ſe recipere competenter.

„ Ceterum, quia Canonici nihil ſcripſerunt „ ſuper hoc ad Capitulum, dubitamus, ſi eo- „ rum voluntas ſit, quod domus inſtauretur „ ibidem. Unde ſi contrà eorum vel omnium „ vel aliquorum eſt voluntatem, ſtudeas cautè „ eos inducere, quod conſenſum eorum ad- „ hibeant in hoc facto.

„ Datum Argentine in Capitulo provinciali."

Forma priſtina monaſteriorum.

Notandum in hac epiſtola, quod Prior Provincialis ſcribat Suppriori Lovanienſi, ut tendens Antverpiam ibidem *Aream comparet & aliquas in ea domunculas faciat*, in quibus Fratres ſe reciperent. An hinc colligere non liceat priſtinam formam monaſteriorum hactenùs conſervatam fuiſſe, ut ſinguli Religioſi ſingulas domonculas inhabitarent, haberentque communia templum & refectorium; ſicut adhuc videmus apud Carthuſianos, qui hactenùs reformationem non admiſerunt. Et hinc fortè Religioſi perſeveraverint dici Monachi, licet in civitatibus monaſteria haberent; quia perſeverabant ſinguli ſingulas domunculas, quas Cellas vocabant, inhabitare, ſicut ante fecerant in Eremo; ita ut novi juris ſit, in monaſteriis ſplendida ædificia erigere, in quibus Religioſi ſingu-

ſinguli parvum cubiculum, quod Cellam vocant, habeant. Anno 1243.

Præmiſſis itaque ſic peractis Supprior Lovanienſis, cum aliis aliquot Fratribus juxtà mandatum Capituli provincialis venit Antverpiam, ibidemque ſummo cum honore prælatis Crucibus & vexillis, ſummâ & incredibili totius Civitatis adeoque Senatûs, Cleri populique lætitia ſunt excepti. Ita Auctor *Chor. FF. Prædic. Antv. apud Sanderum.* Si autem hoc verum ſit, credendum ſolemnem illam receptionem factam fuiſſe anno ſequenti, dum poſt obtentum Capituli generalis conſenſum receptus fuit plenus Conventus.

Locus eis aſſignatur.

Confeſtim autem eis locus domicilii eſt deſtinatus in Vico extrà (nunc intrà) muros Civitatis, in quo uſque in hodiernum diem platea quædam veroſimiliter ab ipſis vernaculum nomen retinet *de Prekers-ſtraet* vel *Preke-ſtraet.* Sed locum hunc paucis annis inhabitarunt.

Anno 27. poſt approbatum Ordinem.

Annus hic erat vigeſimus ſeptimus poſt approbatum Ordinem per HONORIUM III. Vigeſimus ſecundus poſt obitum & octavus poſt Canonizationem ſancti DOMINICI fundatoris eorumdem.

Capitulum acquirit homines ſervilis conditionis.

Eodem hoc anno dono *Hugonis* Caſtellani Gandenſis acquirit Eccleſia B. Mariæ plures Familias in Waſia ſervilis conditionis, qui, quorumque poſteri quotannis in Aſſumptione B. Mariæ, & dum nubebant aut moriebantur, tenebantur Capitulo ſolvere cenſum capitalem. Solemnitas ceſſionis hujus peracta eſt pro more ævi in ipſa Eccleſia.

Litteras deſuper confectas refert Miræus *Dipl. Belg. Lib. II. Cap.* 101. unde illas propter antiquitatem & exoletum uſum ſubjungo.

Litteræ deſuper.

„EGO HUGO Caſtellanus Gandenſis & „MARIA uxor mea notum facimus univerſis „litteras has viſuris, quod Nos ad Eccleſiam

S. MA-

Anno 1243. „S. MARIÆ in Antwerpia perſonaliter accedentes, divinæ pietatis intuitu ac in remiſſionem peccatorum noſtrorum, per ſententiam Hominum noſtrorum, & cum debita ſolennitate, ad uſum ejuſdem Eccleſiæ perpetuò manumiſimus homines noſtros de Waſia, ſervili conditione nobis addictos (quorum nomina ſunt inferiùs adnotata) cum omni poſteritate ipſorum, tam præſenti quàm futurâ; abſolventes eos ab omni ſervili conditione, quâ nobis tenebantur adſtricti.

„Manumiſſi autem ſinguli, in præſentia noſtra, obtulerunt ſemetipſos dictæ Eccleſiæ cum omni poſteritate ſua, ad duos denarios flandrenſes ſolvendos annuatim in Aſſumptione B. Mariæ nomine cenſûs capitalis, & quando nubunt ſex Denarios flandrenſes, duodecim vero quando moriuntur.

„Teſtes, Dominus Joannes de Gandavo Miles, Sigerus Frater noſter, Colinus de Varendonc, Egidius Bhuc, Balduinus de ſpolden, Sigerus de Roeden Homines noſtri, Joannes Egulphi, Joannes de Ordren, Folpertus Cantor, Nicolaus de Molendino, Godeſcalcus Canonicus Sacerdotes, Magiſtri Henricus Noze, Nicolaus Canonicus diaconus, Henricus de Bella, Nicolaus Romanus Canonicus ſubdiaconus & quamplures alii tam Clerici quàm Laici.

„In teſtimonium præmiſſorum contulimus litteras noſtras tam Eccleſiæ quam manumiſſis ſupradictis, appenſione ſigilli noſtri roboratas.

„Actum Antwerpiæ in Eccleſia B. Mariæ anno Domini milleſimo ducenteſimo quadrageſimo tertio IV. kal junii.

„NOMINA manumiſſorum ſunt hæc.

„IN MELSELE Willelmus, Joannes, Theodericus, Eliſabeth de Driſche, fratres & ſoror.

„Walte-

„ Walterus Calewart de Beke. Helewigus, Gertrudis, Margareta, ſorores ejus. Magtildis filia Helewigis. Filii ſororis Calewart; Willilmus, Ghiſelbertus, Liſana. Helewigus de Driſce: Filii ejus Rodulphus; Sigerus; Joannes, Gertrudis; Adaliſia. Arnoldus Sceve, Magtildis ſoror ejus, Sigerus de Rode; Margareta: filii filiæ Margaretæ ſoiman, Henricus, Ebin & ſoror eorum. Ontulphus, Margareta, Helewigis, Clementia, ſorores. Sigerus Margaretæ filius. Maria, Magtildis, filiæ Margaretæ. Gertrudis, Beatrix, filiæ Hamers. Anno 1243.

„ ET in SUINDRECHT Willelmus, Michaël, Sigerus de Molendino, Eliana eorum ſoror; Sigerus, Henricus, Balduinus, filii Geilæ de Scotſele, Margareta ejuſdem filia; Walterus de Piro; Bernart; Arnoldus fratres.

„ IN CRUDBEKE Amelbergis & ipſius filii.

„ *In Vraſinen* Adeliſa cum ſua poſteritate; Balduinus, Gerlindus filius Margaretæ, Helewidis; Geila ſorores ejus. Adaliſa Gocelini Scevels filia; Helewigis ultra Acker; Henricus & Balduinus.

„ ISTI à Caſtellano Gandenſi manumiſſi ſe obtulerunt Eccleſiæ B. Mariæ in Antwerpia; Sigerus Wade, Balduinus, Willelmus, fratres filii ſororum ejus."

Anno quadrageſimo quarto INNOCENTIUS IV. confirmat Hoſpitali Antverpienſi poſſeſſiones ſuas, eaſque contrà moleſtantes ſub protectione S. Sedis recipit per hanc Bullam, quam ex originali ſubjungo. 1244. Pontifex confirmat Hoſpitali poſſeſſiones.

„ INNOCENTIUS Epiſcopus ſervus ſervorum Dei dilectis Filiis... Magiſtro & fratribus Hoſpitalis in Antwerpia Cameracenſis Dioceſis ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. *Ex Archivis Hoſpitalis.*

„ Sacroſancta Romana Eccleſia devotos & humiles filios ex aſſuete pietatis officio propen-

Anno 1244. „ ſiùs diligere conſuevit, & nè malorum ho-
„ minum moleſtiis agitentur, eos tamquam pia
„ mater ſue protectionis munimine confovere.
„ Quapropter dilecti in Domino Filii, veſtris
„ juſtis poſtulationibus grato concurrentes aſſenſu
„ Perſonas veſtras & locum, in quo divino
„ eſtis obſequio mancipati, cum omnibus bonis,
„ que impreſentiarum rationabiliter poſſidet aut
„ in futurum juſtis modis preſtante Domino
„ poterit adipiſci, ſub beati Petri & Noſtrâ
„ protectione ſuſcipimus: ſpecialiter autem ter-
„ ras, poſſeſſiones, redditus & alia bona veſ-
„ tra, ſicut ea omnia juſtè & pacificè poſſide-
„ tis, vobis & per vos domui veſtre auctori-
„ tate Apoſtolicâ confirmamus & preſentis ſcrip-
„ ti patrocinio communimus.

„ Nulli ergo omnino hominum liceat hanc
„ paginam noſtre protectionis & confirmationis
„ infringere aut ei auſu temerario contraire. Si
„ quis autem hoc attemptare preſumpſerit, indi-
„ gnationem omnipotentis Dei & beatorum Petri
„ & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſu-
„ rum.

„ Datum Laterani IV. Idus Januarii Pontifi-
„ catus noſtri anno primo.

„ INNOCENTIUS PP. IV.

1245. Pontifice anno ſequenti Lugduni agente, ubi convocato Concilio FREDERICUM II. Imperatorem ſolemniter excommunicavit, eâque occaſione Antverpiâ cum Imperio Interdicto ſubjacente aut Interdictum timente, petit ab eo & obtinet Hoſpitale Antverpienſe licentiam audiendi Divina in Eccleſia ſua per Bullam conſimilem ei, quam ſuprâ retuli pag. 229., ſic tamen ut non pulſatis campanis & ſubmiſsâ voce Divina celebrarentur.

Antverpia ſub Interdicto

Dubium circà approbationem Hoſpitalarium.

In Concilio Lateranenſi ſub INNOCENTIO III. celebrato anno 1215. factum fuerat hoc ſtatu-

tum

tum *Cap.* 13. „Nè nimia Religionum diver- „ſitas gravem in Eccleſia Dei confuſionem in- „ducat, firmiter prohibemus, nè quis de cæ- „terò novam Religionem inveniat.... Similiter, „qui voluerit religioſam domum de novo fun- „dare, Regulam & inſtitutionem accipiat de „approbatis." Propter hanc inhibitionem aliqui contendebant, directam Pontificis approbationem neceſſariam eſſe pro quibuſcumque religioſis Domibus.

Anno 1245.

Cap. Nè nimia ſi de Relig. dom.

Hinc hoc tempore ſcrupulus, num Religio inſtituta in Hoſpitalibus tum in Belgio, tum in Gallia, in quibus Fratres & Sorores regulariter viventes pauperes infirmos curabant, numerari deberet inter Religiones approbatas.

Rationes pro parte affirm.

Plures affirmabant allegantes primò: plura ſimilia Hoſpitalia extitiſſe ante Concilium Lateranenſe, ex quibus aliqua confirmationem habuerant à Pontifice, alia inſtituta erant authoritate Epiſcopali; qualis approbatio ſufficiens fuerat ante prædictum Concilium.

Secundò: Etiam poſt relatam inhibitionem Epiſcopos aliqua Hoſpitalia confirmâſſe, eiſque peculiaria Statuta præſcripſiſſe; quod certè non feciſſent, ſi judicaſſent pro illis domibus neceſſariam ſpecialem Pontificis approbationem.

Tertio: Hoſpitalia illa ſaltem indirectè à ſanctâ Sede approbata cenſeri debêre propter communicationem, quam habuerant cum eâdem, petentes & obtinentes à Pontificibus, etiam poſt prædictam inhibitionem, privilegia & immunitates per Bullas ad Hoſpitalia tranſmiſſas.

Quartò & præcipuè: prohibitum quidem eſſe invenire novam Religionem, ſed prohibitum non eſſe fundare novas religioſas Domos, modò aſſumeretur Regula & inſtitutio de approbatis: unde, inquiebant, omnes religioſæ Domus, inſtitutæ authoritate Epiſcoporum, inter

Anno 1245. approbatas Religiones recenſendæ ſunt, ſi modò inſtitutæ ſint ſecundum Regulam & Inſtitutionem cujuſvis approbati Ordinis: cui nequaquam officit, quod hæc aut illa domus huic aut illi pietatis operi ſeſe addicat. Jam autem Hoſpitalia, de quibus quæſtio, inſtituta erant ſecundum approbatam S. Auguſtini Regulam; & ſic reputari debebant de approbato S. Auguſtini Ordine. Quod deinceps Epiſcopus Cameracenſis, occaſione hujus contenſionis, declaravit, ut mox infrà videbimus.

Interim nè diutiùs ſcrupulus angeret, Hoſpitale Antverpienſe petivit & obtinuit à ſanctâ Sede approbationem Ordinis in domo ſuâ inſtituti.

1246. Hoſpitale Antverp. petit & obtinet Approbationem cum variis Privilegiis. à Pontifice.

Bullam, quam deſuper obtinuit anno ſeculi hujus quadrageſimo ſexto, integram hic ex originali ſubjungo. Per eam non tantum Ordo in eo inſtitutus approbatur, ſed & alia beneficia & privilegia conferuntur: tam circà confirmationem bonorum, quàm circà ea, quæ debitam eorumdem conſervationem concernunt, circà Sepulturam, electionem Prioriſſæ, immunitatem loci &c. Bulla autem hæc deinceps per Principem eſt approbata & Hoſpitali confirmata in omnibus privilegiis, gratiis, punctis & articulis in eâ contentis.

Ex Archivis Hoſpitalis.

„INNOCENTIUS Epiſcopus ſervus ſervo„rum Dei dilectis in Chriſto Filiabus Prioriſſe „Hoſpitalis ſancte Marie in Antwerpia; ejuſ„que Sororibus tam preſentibus quàm futuris „regularem vitam profeſſis in perpetuum.

„Religioſam vitam eligentibus Apoſtolicum „convenit adeſſe preſidium, nè forte cujuſlibet „temeritatis incurſus aut eos à propoſito revo„cet, aut robur, quod abſit, ſacre Religio„nis enervet.

Hoſpitale ſub protectione S. Sedis.

„Eapropter dilecte in Chriſto Filie veſtris „juſtis poſtulationibus clementer annuimus, &

„Hoſpita-

„ Hoſpitale ſancte Marie in Antwerpia Camera- Anno
„ cenſis Diocesis , in quo divino mancipate eſtis 1246.
„ obſequio , ſub beati Petri & Noſtrâ protectio-
„ ne ſuſcipimus & preſentis Scripti privilegio
„ communimus.

„ In primis ſiquidem ſtatuentes , ut Ordo Approbatio Ordinis.
„ canonicus , qui ſecundùm Deum & beati Au-
„ guſtini Regulam in eodem Hoſpitali inſtitutus
„ eſſe dinoſcitur , perpetuis ibidem temporibus
„ inviolabiliter obſervetur.

„ Pretereà quaſcumque poſſeſſiones , quecum- Confirmatio Poſſeſſionum
„ que bona idem Hoſpitale impreſentiarum juſtè
„ & canonicè poſſidet aut in futurum conceſſio-
„ ne Pontificum , largitione Regum vel Princi-
„ pum , oblatione Fidelium ſeu aliis juſtis mo-
„ dis preſtante Domino poterit adipiſci , firma
„ vobis & hiis , que vobis ſucceſſerint , & illi-
„ bata permaneant. In quibus hec propriis duxi-
„ mus exprimenda vocabulis : Locum ipſum ,
„ in quo prefatum Hoſpitale ſitum eſt cum om-
„ nibus pertinentiis ſuis , cum pratis , vineis ,
„ terris , nemoribus uſuagiis , paſcuis in buſco &
„ plano , in aquis & molendinis , in viis & ſemi-
„ tis , & omnibus aliis Libertatibus & Immuni-
„ tatibus ſuis.

„ Sanè novalium veſtrorum , que propriis Libertatio à decimis,
„ ſumptibus colitis , de quibus aliquis hactenùs
„ non percepit , ſive de veſtrorum animalium
„ nutrimentis nullus à vobis Decimas exigere vel
„ extorquere preſumat.

„ Liceat quoque vobis perſonas liberas & ab- Libertas acceptandi Novitias.
„ ſolutas è ſeculo fugientes ad Converſionem re-
„ cipere & eas abſque contradictione aliquâ re-
„ tinere.

„ Prohibemus inſuper , ut nulli Sororum Firmitas profeſſionis.
„ veſtrarum , poſt factam in Hoſpitali veſtro
„ Profeſſionem , fas ſit ſine Prioriſſe ſue licen-
„ tiâ , niſi arctioris Religionis obtentu , de

Anno 1246.

„ eodem loco diſcedere : diſcedentem verò abſ-
„ que communium Litterarum veſtrarum cautio-
„ ne nullus audeat retinere.

Tempore Interdicti.

„ Cum autem generale Interdictum terre fue-
„ rit, liceat vobis clauſis januis, excluſis ex-
„ communicatis & interdictis, non pulſatis cam-
„ panis, dummodò cauſam non dederitis in-
„ terdicto, ſuppreſſâ voce divina Officia cele-
„ brare.

Conſecratio Clericorum &c.

„ Conſecrationes verò Altarium ſeu Baſilica-
„ rum, Benedictiones Sororum, Ordinatio-
„ nes Clericorum veſtrorum, qui ad ſacros
„ fuerint Ordines promovendi, à dioceſano ſuſ-
„ cipietis Epiſcopo; ſiquidem catholicus fuerit,
„ & gratiam & communionem ſacroſancte Ro-
„ mane Sedis habuerit, & ea vobis voluerit
„ ſine pravitate quâlibet exhibere.

Libertas intrà fines.

„ Prohibemus inſuper, ut intrà fines Paro-
„ chie veſtre nullus, ſine aſſenſu dioceſani
„ Epiſcopi & veſtro, Capellam ſeu Oratorium
„ de novo conſtruere audeat, ſalvis privilegiis
„ Pontificum romanorum.

Prohibitio exactionum.

„ Ad hec novas & indebitas exactiones ab
„ Archiepiſcopis, Epiſcopis, Archidiaconis ſeu
„ Decanis aliiſque omnibus Eccleſiaſticis ſeculari-
„ buſve Perſonis à vobis omnino fieri prohibe-
„ mus.

Libertas ſepulturæ.

„ Sepulturam quoque ipſius loci liberam eſſe
„ decernimus, ut eorum devotioni & extreme
„ voluntati, qui ſe illic ſepeliri deliberaverint,
„ niſi fortè excommunicati vel interdicti fuerint
„ aut publicè uſurarii, nullus obſiſtat : ſalvâ
„ tamen juſtitiâ illarum Eccleſiarum, à quibus
„ mortuorum corpora aſſumuntur.

Libera electio Priorissæ.

„ Obeunte vero Te, nunc ejuſdem loci Prio-
„ riſsâ, vel earum aliquâ, que tibi ſucceſſerit,
„ nulla ibi quâlibet ſurreptionis aſtutiâ ſeu vio-
„ lentiâ preponatur, niſi quam Sorores com-

„ muni

„ muni conſenſu vel earum major pars conſilii Anno
„ ſanioris ſecundùm Deum & beati Auguſtini 1246.
„ Regulam providerint eligendam.

Immunitas loci.

„ Paci quoque & tranquilitati veſtre Paternâ
„ impoſterùm providêre ſolicitudine volentes,
„ auctoritate Apoſtolicâ prohibemus, ut infrà
„ clauſuras locorum ſeu grangiarum veſtrarum
„ nullus rapinam ſeu furtum facere, ignem ap-
„ ponere, ſanguinem fundere, hominem te-
„ merè capere vel interficere, ſeu violentiam
„ audeat exercere.

Confirmatio privilegio. rum.

„ Preterea omnes libertates & immunitates à
„ Predeceſſoribus noſtris Romanis Pontificibus
„ Hoſpitali veſtro conceſſas, nec non & liber-
„ tates & exemptiones ſecularium exactionum à
„ Regibus & Principibus vel aliis Fidelibus ratio-
„ nabiliter vobis indultas auctoritate Apoſtolicâ
„ confirmamus & preſentis ſcripti privilegio
„ communimus.

Prohibitio vexarum.

„ Decernimus ergo, ut nulli omnino homi-
„ num liceat prefatum Hoſpitale temerè pertur-
„ bare aut ejus poſſeſſiones auferre vel ablatas
„ retinere, minuere ſeu quibuſlibet vexationibus
„ fatigare: ſed omnia integra conſerventur,
„ eorum, pro quorum gubernatione ac ſuſten-
„ tatione conceſſa ſunt, uſibus omnimodìs pro-
„ futura: ſalvâ Sedis apoſtolice auctoritate &
„ dioceſani Epiſcopi canonicâ juſtitiâ.

Execrationes in contravenientes.

„ Si qua igitur in futurum Eccleſiaſtica ſecu-
„ lariſve perſona hanc noſtre conſtitutionis pa-
„ ginam ſciens contrà eam temere venire temp-
„ taverit, ſecundo tertiòve commonita, niſi
„ reatum ſuum congruâ ſatisfactione correxerit,
„ poteſtatis honoriſque ſui careat dignitate, re-
„ amque ſe divino judicio exiſtere de perpetratâ
„ iniquitate cognoſcat, & â ſacratiſſimo Cor-
„ pore & Sanguine Dei & Domini noſtri Jeſu
„ Chriſti aliena fiat, atque in extremo examine

Anno 1246.

„ diſtricte ſubjaceat ultioni. Cunctis autem eiſ„ dem Loco ſua jura ſervantibus ſit pax Domi„ ni noſtri Jeſu Chriſti, quatenùs & hic fruc„ tum bonæ actionis percipiant, & apud diſ„ trictum judicem premia eterne pacis inve„ niant. Amen Amen.

„ ✠ Ego INNOCENTIUS Catholice Eccle„ ſie Epiſcopus

„ ✠ Ego Petrus tt. S. Marcelli presb. Card.

„ ✠ Ego Willelmus Baſilice duodecem Apoſ„ tolorum presb. Card.

„ ✠ Ego Fr. Hugo tt. S. Sabine presb. Car„ dinalis

„ ✠ Ego Octavianus S. Marie in viâ latâ dia„ conus Card.

„ ✠ Ego Petrus S. Georgii ad velum aur. „ diacon. Card.

„ ✠ Ego Willelmus S. Euſtachii diacon. Card.

„ ✠ Ego Oto Portuenſis & ſte Rufin. Epiſ„ copus

„ ✠ Ego Petrus Albinenſis Epiſ.

„ ✠ Ego Willelmus Sabinenſis Epiſ.

„ Datum Lugduni per manum Magiſtri Ma„ rini ſancte Romane Ecclesie vice Cancellarii „ II. Nonas Decembris, Indictione v., Incar„ nationis dominice anno MCCXLVI. Pontifi„ catûs verò Domini INNOCENTII PP. quarti „ anno quarto.

Alia Hoſpitalia petunt & obtinent approbationem

Dipl. Belg. Coll. Nov. P. I. Cap. 100. Hiſt. du Clergé Sec. & Regul.

Inſuper invenio & alia Hoſpitalia tum in Belgio noſtro, tum in Gallia ſimiliter hoc tempore petiviſſe & obtinuiſſe approbationem Pontificiam pro ſuis reſpectivé Domibus. Unde non dubitandum, quin omnia hoc tempore exſtantia (exſtabant autem plurima, ut Cameracenſe, Bruxellenſe, Lovanienſe, Vilvordienſe, Liranum, Aloſtanum, Brugenſe, Iprenſe, Inſulenſe, Aldenardenſe & alia) ob eandem rationem petierint & obtinuerint approbationem

nem pro ſuis reſpective domibus, licèt Bullæ deſuper obtentæ hactenùs lateant.

Anno 1246.

Hæ autem particulares Hoſpitalium approbationes non omnibus notæ erant, & fortè Hoſpitalia quædam negligebant petere pontificiam approbationem: & ſic ſcrupuloſi & zeloſi quidam non ceſſabant quæſtionem hanc fovere, & anxietates & diſcordias deſuper excitare.

Epiſ. Cam. declarat Hoſpitalia eſſe Ord. S. Aug.

Quare tandem Epiſcopus Cameracenſis, ut omnium ora obturaret, & diſputationi huic optatum finem imponeret, publicè declarat & definit, omnia ſimilia Hoſpitalia in diœceſi ſua eſſe Ordinis S. Auguſtini, prohibetque, nè quis de cæterò audeat contrà hanc ſuam definitionem venire. Diploma ejus deſuper editum anno 1258. ex originali ſubjungo.

Ex Archivis Hoſpitalis.

„ NICOLAUS Dei gratiâ Cameracenſis Epiſcopus Univerſis preſentes Litteras viſuris ſalutem in Domino ſempiternam.

„ Cum Nos de cordibus Fidelium tollere velimus ambiguum, nè lites & diſcordie oriantur, ſuper eo videlicet, cujus Ordinis Hoſpitalia, in noſtra dyoceſi ſita, exiſtant; Univerſitati veſtre tenore preſentium Litterarum ſignificamus decernentes, omnia Hoſpitalia noſtre Dyoceſis, habentia Ordinem ſeu Regulam vel Statuta, à Nobis ſive à noſtris Predeceſſoribus Epiſcopis eis conceſſa, Ordinis exiſtere beati Auguſtini.

„ Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtre diffinitionis infringere vel ei auſu temerario contraire.

„ Datum anno Incarnationis dominice milleſimo ducenteſimo quinquageſimo octavo Sabatho ante Feſtum Barnabe Apoſtoli."

Quantum vero ad illa Hoſpitalia, quæ ſeriùs fundata ſunt, cenſendum eſt ea legitimè ex approbatis derivata eſſe: ſicut *Hulſtenſe*, quod hodie

Hoſpit deinceps data.

Anno 1246. „ Anwerpienſis roboravi. Actum anno Domini „ MCCXL. ſexto, Feriâ ſecundâ ante feſtum bea„ te Lucie Virginis.

Decimæ minutæ ibidem.

Imo videtur Hoſpitale ante has poſſediſſe in Weſele, Decimas minutas: extant enim Litteræ ejuſdem *Joannis de Ordren* datæ ante hìc ſuprâ relatas, quibus Hoſpitali confert in elemoſinam unam ſpadam è ſpadis ſuis in Ordren in Norſant, & conventionem facit cum Hoſpitali pro certâ pecuniæ ſummâ, ut de decimâ minutâ in Weſele daret annuatim certis diebus refectionem infirmis &c.

Dux Brab. eas liberas facit à relevio.

Quod autem emptio hæc approbata ſit per Ducem Brabantiæ, Decimæque prædictæ, & aliæ quas poſſidebat ibidem, Hoſpitali per eum confirmatæ ſint & allodiales factæ, patet ex diplomate Commendatoris Templariorum, per quod Hoſpitale ob eam rationem liberum declaratur à relevio & homagio eiſdem debito ratione prædictarum decimarum; quodque hìc ex originali ſubjungo.

Litteræ Templariorum deſuper.

Ex Archivis Hoſpitalis

„ UNIVERSIS preſentes litteras inſpecturis H. „ COMMENDATOR omnium Domorum *MI-* „ *LITIE TEMPLI* in Brabantia & in Haſba„ nia, ſalutem & noſcere veritatem.

„ Noverint univerſi tam preſentes quàm poſ„ teri, quod Fratres & Procuratores Domûs Hoſ„ pitalis de Antwerpia ſub teſtimonio Virorum „ venerabilium F. Cantoris, Nicholai dicti de „ Hoſpitali, & Magiſtri Henrici dicti Noſe „ Canonicorum Antwerpienſium & aliorum Pro„ borum, qui huic facto interfuerunt, de „ Relevio Domum Militie Templi ex Homa„ gio Decime dicti Hoſpitalis jacentis apud „ Weſele contingente, ſatisfecerunt ad plenum.

„ Ita quidem, quod jam dicta Domus Hoſ„ pitalis Anttwerpienſis à *Relevio* & *Homagio* „ predicte Decime, maximè *eum ipſa Decima* „ *jam Domûs Hoſpitalis Allodium ex conceſſione*

„ *felicis*

„*felicis memorie Ducis Brabantie ſit effecta me-* Anno
„*morate*, libera in perpetuum manebit & pe- 1246.
„nitùs abſoluta.

„In cujus rei teſtimonium ſigillum noſtrum „preſentibus duximus apponendum. Datum „anno Domini MCCLX. primo, Dominicâ „poſt Purificationem beate Virginis.

Vidimus ſuprà ad annum 1142. GODEFRIDUM II. conceſſiſſe Militibus Templi, ut nullus ſuccederet in Feudum, Curiæ Principis debens relevium, quin eiſdem perſolviſſet certam quotam. Cum igitur Decimæ hæ per Principem Allodiales factæ eſſent, conſequens erat, ut Hoſpitale ſolveretur à prædictâ quotâ: quod per has Litteras factum eſſe liquet.

Latuerunt hæc Baronem le Roy ſcribentem *Not. March. S. R. J. Lib. II. Cap. XI.* Hoſpitale ſeu Noſocomium majus Antverpiæ ſub Dominio de Weſtweſel poſſidere Decimas ex dono (anni 1295.) *Henrici de Wilre* Domini de Weſele. Adfert diploma donationis, quod, inquit, hactenùs integrum in prædicti Noſocomii archivo aſſervatur, & quod dum hæc ſcriberem manibus contrectavi. Verum quidem eſt, quod diploma Henrici de Wilre adhuc hodie integrum ibidem ſervetur, ſed D. le Roy numquam vidit Originale: vidit autem Copiam illius temporis, quæ defectuoſa eſt & ab Originali differt in eſſentiali. Infrà ad prædictum annum exhibebo diploma illud ex Originali, cum diplomate JOANNIS Ducis Brabantiæ illud approbantis & confirmantis, ſimul & quà occaſione data ſint.

Anno quadrageſimo ſeptimo INNOCENTIUS PP., qui anno præcedenti, ut vidimus, Ordinem in Hoſpitali inſtitutum approbaverat & confirmaverat, adhuc Lugduni agens Prioriſſæ ejuſdem & Sororibus concedit licentiam adeundi 1247. Privilegium Hoſpitalarium poſſidendi bona.

Anno 1247. di & poſſidendi bona acſi manſiſſent in ſeculo, per hanc Bullam ad eas deſuper tranſmiſſam, quam ex originali ſubjungo.

Ex Archivis Hoſpitalis. „INNOCENTIUS Epiſcopus ſervus ſervorum Dei dilectis in Chriſto Filiabus Magiſtre & „Sororibus Hoſpitalis in Antwerpia, Ordinis ſancti Auguſtini Cameracenſis dioceſis, ſalutem & „Apoſtolicam benedictionem.

„Devotionis veſtre precibus inclinati, ut „poſſeſſiones & alia bona mobilia & immobilia, „exceptis feudalibus, que perſonas Sororum ad „domum veſtram mundi relictâ vanitate volantium & Profeſſionem facientium, ſi manſiſſent „in ſeculo, ratione ſucceſſionis vel quocumque „alio juſto titulo contigiſſent, petere, recipere ac „retinere liberè valeatis vobis auctoritate preſentium indulgemus.

„Nulli ergo omnino hominum liceat hanc „paginam noſtre conceſſionis infringere vel ei „auſu temerario contraire. Si quis autem hoc „attemptare preſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei & beatorum Petri & Pauli „Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum.

„Datum Lugduni XII. Kal. Aprilis Pontificatus noſtri anno quarto.

„INNOCENTIUS PP. IV.

Privilegium hoc deinceps Sororibus Hoſpitalis approbatum & confirmatum fuit per Principem & Concilium Brabantiæ, ut infrà dicetur.

Item Abbatiæ S. Michaëlis. Abbatia S. Michaëlis ab eodem Pontifice ſimile privilegium pro ſuis Religioſis obtinuerat per Bullam datam anno quadrageſimo quarto, ut refertur apud Sanderum *Chor. S. Mich. Cap. IV.* Unde colligere datur, hoc tempore deſuper motas fuiſſe difficultates. CLEMENS IV. privilegium hoc eiſdem confirmavit anno 1267. & MARTINUS IV. anno 1281., ut *ibidem.*

Papebrochius *in II. Corollario Norbertino ad VI.*

VI. Junii. pag. 949. referens privilegium hoc conceſſum Canonicis S. Michaëlis, dicit Pontifices illud conceſſiſſe & confirmaſſe *nihil id officere exiſtimantes ſolemnitati Profeſſionis religioſæ. Quod,* inquit, *ii notent velim, quibus nunc difficile captu videtur, quomodo ejuſmodi jus cum veritate Religioſi Statûs conſiſtat in Societatis noſtræ hominibus ante ſolemnia Profeſſorum & publica Coadjutorum formatorum vota.* — Anno 1247.

Hoc anno Kalendis Februarii obiit Marchio noſter HENRICUS II. Dux Brabantiæ poſt regimen duodecim annorum, conditus in Abbatia Villarienſi, ubi extat magnificum ejuſdem monumentum, ſed ſine Epitaphio. — Henricus II. moritur.

Vidimus ſuprà quam munificus fuerit Princeps iſte Hoſpitali Antverpienſi; quomodò etiam ad ampliandum Antverpiæ cultum divinum per litteras eò advocaverit Fratres Prædicatores. — Ejus pietas,

Non tantum autem Antverpiæ, ſed & alibi pietatis ſuæ dona ſparſit. Anno ſiquidem 1235. ſeu 1236. ante Paſcha donum Ægidii de Berthout in Vremde, Millegem, Brouchem & Ouwen Abbatiæ S. Bernardi confirmat, & eidem ad conſtruendum novum monaſterium, ubi nunc extat, in eleimoſinam confert omne allodium in Weſtmalle cum omnibus decimis, ſilvis, pratis, terris, & totali ſilvâ, quæ vocatur Hodunc. Miræi *Not. Eccl. Belg. Cap.* 171. Addit ibidem *in notis* Miræus, eum fundaſſe Abbatiam Vallis-Ducis propè Lovanium, benefeciſſe Prioratui de Ter-banck & Abbatiæ Villarienſi, in quâ moriens ſepeliri voluit. — Et munificentia.

Anno 1239. cedit omne jus, quod habebat in Capella de *Nurode*, Monialibus Præmonſtratenſibus Inſulæ Ducis. *Supl. Dipl. Belg. Par. I. Cap.* 78. Anno 1240. bona confert cœnobio monialium in Parco Dominarum juxtà Lovanium. *Dipl. Belg. Tom. IV. Par. IV. Cap.* 155.

Anno

Anno 1243. allodialem facit fundum, in quo ædificata eſt Abbatia S. Bernardi in Heimiſſen. Miræi *Cod. Don. Pia. Cap.* 105.

Anno 1247. Anno 1247. cum filio ſuo benefacit Indenſi S. Cornelii Abbatiæ Benedictinorum ſecundo lapide ab Aquiſgrano. Miræi *Dipl. Belg. Lib. I. Cap.* 84. Eodem anno iterum cum filio ſuo omnem terram dominio ſuo ſubjectam liberam facit ab exactione & extorſione; quæ vulgariter dicebatur *manus mortua.* Ibidem *Cap.* 85.

Henricus III. March. Antv. Patri in Marchionatu ſucceſſit HENRICUS III. Brabantiæ Dux, uxorem habens *Aleidem* Hugonis Burgundiæ Ducis filiam. Uterque Eccleſiæ Antverpienſi munificus fuit. Eorum anniverſarium uſque in hodiernum diem quotannis in Cathedrali ſolemniter celebratur.

1248. Antverpia hæreſi infecta. Graſſabatur hoc tempore Antverpiæ hæreſis, quæ Cives multos infecerat; ita ut, cum Clerus Antverpienſis jam multimodis auctus inſufficiens judicaretur contra hunc torrentem; GUIARDUS Epiſcopus Cameracenſis, qui à quinque annis FF. Prædicatores Antverpiam vocaverat ad muniendos cives contra imminentem ſeductionem, ſtatueret ire Antverpiam, ut auctoritate ſuâ, operâ & conſilio hæreticos inde extirparet: Sed dum Epiſcopus hic pio zelo Antverpiam tendit, in itinere vitam finit anno ſeculi hujus quadrageſimo octavo. De hac re Thomas Cantipratanus, qui hoc tempore vivebat, ita meminit *Lib. I. de Apibus Cap. IV. P.* 4. „Venerabilis „& Deo dignus GUIARDUS Cameracenſis Epiſco„pus... cum in via contra Antverpienſes hæreti„cos apud Affligenienſe Monaſterium... vitam „ſuam fine beatiſſimo terminaſſet: in ipſo tempore „migrationis cuidam Fratri Prædicatorum per „ſomnum apparuit in Gandavo, *cui... dicebat* ni„mia ſerveritas me culpabilem reddidit & purgan„dum. Sed via iſta, quâ contra hæreticos pro

„expur-

„ expurganda Eccleſia avidiùs inhiabam, pœnam „ meam imminuet, & accelerabit gloriam nunc „ dilatam. Anno 1248.

Incertum eſt, qualis fuerit hæc hæreſis. Bollandus & Henſchenius *in Præfatione ad Tom. III. Februarii* eam longè quærunt: *In eo*, inquiunt, *ſita fuiſſe videtur*; *quod* FREDERICO II. *Imperatori excommunicato obſtinatè adhærerent*; *contemptâ Pontificis*; *Conciliique Lugdunenſis I. auctoritate*. Papebrochius *Annal. Mss.* ad annum 1243 putat fuiſſe reliquias hæreſis Tancheliniana ſeu eandem hæreſim reſuſcitatam, quæ ante ſeculum hîc graſſata fuerat, ac per S. Norbertum & ſocios debellata. Veroſimillimum autem eſt, fuiſſe ſpeciem hæreſis *Waldenſium* ſeu *Pauperum Lugdunenſium*; qui nuper quaquaverſum diſperſi fuerant; primariumque errorem verſaſſe circa meritum Paupertatis: eo enim errore hoc tempore infectus erat *Willelmus Cornelii* Canonicus Antverpienſis, (de quo ſuprà ad annum 1240.) qui poſt mortem honorificè ſepultus in Eccleſia B. Mariæ, quarto poſt obitum anno juſſu NICOLAI DE FONTANIS ſucceſſoris hujus *Guiardi* exhumatus fuit & conſequenter combuſtus. Quo autem præcisè anno hæc exhumatio facta ſit, non liquet. Interim certum eſt factam fuiſſe poſt annum 1251.; eo enim demùm anno NICOLAUS prædictus factus eſt Epiſcopus Cameracenſis. qualis

Cæterum *Fleuri Hiſt. Eccl. lib. LXXXI. n. 29.* refert, poſt annum 1239. plurimos hujus generis Hæreticos in Flandria condemnatos & igni datos fuiſſe per *Robertum* dictum *Bulgarum*, Ord. Fratrum Prædicatorum Inquiſitorem. Unde veroſimillimum eſt plures è Flandria Antverpiam divertiſſe; ibidemque errores ſuos inſinuaſſe. Nominantur quidem ibidem hæretici illi *Manichæi*, ſed alibi nominantur *Bulgari*, quo nomine Plures ſimiles hæretici in Flandria.

Anno 1248. cenſebantur omnes ſectæ prognatæ ex Waldenſibus.

Contrà eos vocati FF. Prædic. Hinc nullatenùs dubitandum eſt, quin FF. Prædicatores, ut ſuprà ad annum 1242., Antverpiam vocati ſint ad muniendam Civitatem contrà inundantiam horum hæreticorum, & extinguendam hæreſim illam jaminde tunc pullulantem. Ipſi enim præ cæteris ab origine ſua ſemper egerant contra ſimiles hæreticos; unde *S. Dominicus*, & univerſus ab eo inſtitutus Ordo, magnum nomen tulerunt.

1249. Capella S. Walburgis reædificatur. Capella S. Walburgis in Burgo, à quatuor ſeculis immediatè poſt Nortmannicam deſtructionem conſtructa per Monachos Epternacenſes, præ vetuſtate ruinam minabatur. Hâc autem veroſimiliter occaſione Monachi Affligemienſes inhabitantes Cellam D. Mauri, qui in regimine hujus Capellæ ſucceſſerant Monachis Epternacenſibus, ceſſarunt in eâ divina peragere, & eam totaliter dereliquerunt. Hinc Cives, quibus incommodum erat, quod tantùm in Eccleſiâ Matrice, quæ unica hoc tempore erat intra muros, officia divina peragerentur, eam reædificarunt, ut in eâ ſicut anteà divina fierent.

Conſecratur. Quædam Chronica MSS. notant eam conſecratam eſſe anno 1236.; alia verò, citata per Papebrochium *Annal. MSS.*, anno 1249.; Grammaye autem differt conſecrationem ad annum 1256.

Notant inſuper conſecratam fuiſſe in honorem *S. Walburgis* & *S. Catharinæ*. Quantùm ad *S. Walburgem* non mirum, cum jam fere à quatuor ſeculis cultus ejus in ea eſſet celebris & ſucceſſu temporis facta eſſet Titularis hujus Eccleſiæ. Additam fuiſſe *S. Catharinam* putat Papebrochius, propter dejectam nuper Capellam in hâc Civitate ejus nomini dicatam. Sed certò in hâc conſecratione omiſſi non fuerunt *S. Amandus*

mandus & *S. Eligius*, in quorum honorem conſecrata fuiſſe putatur poſt Nortmannicam devaſtationem: illi enim uſque in hodiernum diem in illa Eccleſiâ coluntur ut Patroni. Anno 1249.

Cæterùm in hac Eccleſia ſic conſecratâ inſtitutùs eſt Sacerdos ſecularis, qui pro commoditate populi divina perageret, & inſuper pœnitentiæ & Euchariſtiæ Sacramenta miniſtraret; ac etiam nubentium benedictionem impenderet. Hinc Chronica quædam notant, Eccleſiam hanc hoc tempore in Parochiam erectam fuiſſe; cum tamen conſtet eam non niſi anno 1479. obtinuiſſe fontem baptiſmalem, extremam unctionem & jus ſepulturæ, ut infrà ad illum annum làtiùs dicetur.

Inſtituitur in ea Sacerdos ſecularis.

Interim Sacerdos in hac eccleſia inſtitutus dictus eſt PLEBANUS: ſic enim lego in litteris authenticis, aſſervatis inter ſchedas hoſpitalis, datis anno 1258.: *Huic facto interfuerunt F. Cantor beate Marie in Antwerpia, H. Plebanus ejuſdem eccleſie. F. Plebanus beate Walburgis ejuſdem loci.* Similiter inter ſchedas Capituli, in litteris, datis anno 1295. ſabbato ante feſtum diviſionis Apoſtolorum, legitur: *Johannis Tuclant & Ægidii de Tichelt Plebanorum eccleſiarum beate Marie & Bte. Walburgis.*

Dictus Plebanus.

Ante viginti novem annos dono HENRICI I. Brabantiæ Ducis, Henrici hodie regnantis Proavi; obtinuerat Capitulum Antverpienſe *Foſſatum* ad conſtruendum juxta Eccleſiam Clauſtrum Canonicorum, ſub eâ conditione, ut nulli in area illa liceret domos ædificare. Cum autem area hæc ampla nimis eſſet pro Canonicorum Clauſtro; & Civium numerus poſt producta mœnia continuò augeretur, & ſic plura opus eſſet fieri ædificia; cumque minimè hoc Eccleſiæ utilitati obeſſet, ſupplicatum eſt apud Principem pro tollendâ hâc conditione. Annuit HENRICUS

Dux permittit ædificia fieri intrà Foſſatum.

Vide ſuprà pag. 189.

Anno 1249. RICUS anno hoc quadrageſimo nono, dato deſuper diplomate, quod refert Miræus *Dipl. Belg. Tom. I. pag.* 582., unde illud ſubjungo.

Diploma ejus deſuper.

„ HENRICUS Dei gratiâ Lotharingiæ & Brabantiæ „ Dux univerſis tam præſentibus quam futuris, „ quos ſcriptum præſens videre contigerit, ſa„ lutem.

„ Licet Capitulum B. Mariæ Antwerpienſis „ olim à Progenitoribus noſtris obtinuerit ſibi „ dari in eleëmoſynam *Foſſatum*, jacens inter do„ mum Hugonis Volardi & pontem Reinoldi, „ ita quod idem Foſſatum perpetuò vacuum „ jaceret ad opus ipſius Eccleſiæ, ſicut in lit„ teris ipſorum ſuper hoc confectis, quas dic„ tum habet Capitulum, continetur expreſſum.

„ Nos tamen attendentes dictæ Eccleſiæ minùs „ obeſſe, quod ædificia in præfato Foſſato „ conſtruantur, dictum foſſatum de aſſenſu „ ipſius Capituli ad annuam cenſus penſionem „ dari decrevimus iis, qui ædificia conſtruent „ in eodem. Ita quidem, quod totalis cenſus, qui „ inde proveniet pro una medietate ad Nos & „ ſucceſſores noſtros pro alia vero ad dictum „ Capitulum perpetuò pertinebit.

„ Teſtes hujus rei ſunt Godefridus Dominus „ de Perweis, Walterus Clutinc, Henricus de „ Sterbeke, Henricus de Vilforden & Petrus de „ Haren. In cujus rei teſtimonium ſigillum noſtrum „ cum ſigillo ejuſdem Capituli præſentibus eſt „ appenſum.

„ Actum anno domini milleſimo ducenteſimo „ quadrageſimo nono in octava B. Mariæ Mag„ dalenæ.

Datâ hâc conceſſione, area illa opulentis ædificiis ſine dilatione oppleta fuit.

FF. Prædic. obtinent fundum, in quo nunc habitant. Miræi *Dipl. Belg. Tom. I pag.* 766.

Fratres Prædicatores commodiorem ſibi in ipſa Civitate habitationem quærentes, locum illum, quem etiam nunc inhabitant, delegerunt.

Fundum

Fundum illum, ſitum ſuper *Drieſch*, poſſederant *Arnoldus de Lira* & poſt eum *Willelmus* filius ejus, eumque tenuerant in Feudum ab Hugone Noze, ſed non niſi contentioſè. Anno 1249.

Willelmus, cui uxor Sibylia de Cromfliet in teſtamento ſuo fundum hunc & domum ſuperpoſitam legaverat FF. Prædicatoribus eâ conditione, ut dicti Fratres Hæredibus ſuis ſolverent LX. libras Lov. Conſenſum ſuum præbuerat Hugo Noze: ſed cum Princeps contenderet Arnoldum & Willelmum fundum illum minùs juſtè occupaſſe, eumque ad ſuum dominium pertinere, pro pacificâ poſſeſſione neceſſarius erat ejus conſenſus, quem anno quadrageſimo nono obtinuerunt, dato deſuper hoc diplomate.

„ HENRICUS Dei gratiâ Dux Lotharingiæ, „ Scolteto, Scabinis ceteriſque Opidanis Ant„ verpienſibus ſalutem. *Ibidem.*

„ Cum Fratres Ordinis Prædicatorum elege„ rint in noſtro Opido manſionem illum fun„ dum, quem quondam *Arnoldus de Lira* & „ *Willelmus* poſt eum natus ejus occuparant mi„ nùs juſtè, eò quod ad Noſtrum Dominium „ noſcebatur pertinere; inſuper & foſſata anti„ qua & nova, quibus area ipſorum dignoſcitur „ circumcingi, cum via à tergo eorum exeunte „ verſus portam vaccarum, eorumdem Fratrum „ uſui deputamus..

„ Datum apud *Lunderſtele* in vigilia Pente„ coſtes MCCXLIX.

Poſt obtentum hoc diploma locum hunc ſibi aptare cœperunt: ſed non niſi anno quinquageſimo ſexto eò tranſmigrarunt, ut refert *le Roy*, apparenter propter ſubortas contenſiones cum pluribus de familia *de Lira*: & notanter quia *Willelmo* natus fuerat filius poſthumus nomine etiam Willelmus: quo tandem, cum ad pubertatem veniſſet, anno ſexageſimo quarto dona- 1256. Eò tranſmigrant.

Anno 1256. tionem à patre factam approbante, contentiones omnes ceſſarunt, & Fratres prædicti in pacifica fundi illius poſſeſſione manſerunt.

Pius zelus FF. Prædic.

Interim Fratres Prædicatores zeloſiſſimi erant in diſſeminando Verbo Dei, & in animabus convertendis plurimum fructum referebant, non tantùm Antverpiæ ſed & ubicumque in circumviciniâ. Cumque termini diœceſis Leodienſis versùs ſeptentrionem ferè contigui eſſent Civitati, magnam illius diœceſis partem prædicando peragrabant, Zelandiam quoque, quæ Ultrajectino Epiſcopo parebat, imo & terminos diœceſis Colonienſis identidem viſitabant. Inde videmus ſingulos illarum diœceſium Epiſcopos Fratres illos & Locum ipſorum ſpiritualibus gratiis favoribuſque dotaſſe.

Epiſcopi ſpirituales favores eis conferunt.

Cameracenſis Antiſtes *Nicolaus* eis auctoritatem dat prædicandi in ſuâ diœceſi, confeſſiones audiendi & viginti dierum indulgentias conferendi, quoties eis videbitur expedire. Leodienſis hoc anno quinquageſimo ſexto pro Clauſtro ædificando concedit eis annum unum & quarenam de injuncta pœnitentia. Colonienſis quoque varias conceſſit venias eis, qui eleemoſinas ſuas ad templi & Clauſtri ſtructuram conferrent. Ultrajectini tandem Antiſtites *Henricus* & *Joannes* eis non ſolùm auctoritatem fecerunt prædicandi & confeſſiones audiendi per diœceſim ſuam, ſed dandi etiam triginta dierum indulgentias. Singulari etiam favore Fratres illos proſecutus eſt *F. Hugo* Cardinalis S. Sabinæ Apoſtolicæ Sedis Legatus, ut patet ex ejus litteris datis Coloniæ anno 1252. Vide Sanderum *Chor. S. FF. Prædic. Antv.*

Cardinalis hic erat *Hugo de S. Theuderio* primus ex Ordine FF. Prædiç. ad hanc dignitatem elevatus, qui, ut ſuprà ad annum 1246., Lugduni ſubſcripſerat Bullæ, per quam Pontifex

tifex approbabat Ordinem in Hoſpitali Antverpienſi inſtitutum, quique Legatum agens ad Electores Imperii Antverpiam tranſiens anno 1252. ibidem Diploma dederat in favorem Leproſarii Bruxellenſis, quod refertur *Dipl. Belg. Tom. III. Part. IV. Cap.* 51. Anno 1256.

Obtinet hoc anno Hoſpitale ab ALEXANDRO IV. privilegium ſeu potiùs confirmationem poſſeſſionis percipiendi Decimas Novalium in illis Parochiis, in quibus habebat veteres per hanc Bullam, quam ex originali ſubjungo. Hoſpitali conceduntur decimæ novales ubi habet veteres.

„ ALEXANDER Epiſcopus ſervus ſervorum „ Dei dilectis in Chriſto Filiabus . . . Magiſtre & „ Sororibus Hoſpitalis beate Marie in Antwerpia „ Ordinis S. Auguſtini Cameracenſis diocelis ſa- „ lutem & Apoſtolicam benedictionem. *Ex Archivis Hoſpitalis.*

„ Cum à Nobis petitur, quod juſtum eſt & „ honeſtum, tam vigor equitatis, quàm ordo „ exigit rationis, ut id per ſollicitudinem officii „ noſtri ad debitum producatur effectum.

„ Eapropter dilecte in Domino Filie veſtris „ juſtis poſtulationibus grato concurrentes aſſen- „ ſu, auctoritate vobis preſentium indulgemus, „ ut in Parochiis veſtris, in quibus vobis vete- „ res decime ſunt conceſſe, pro eâ portione, „ qua veteres vos contingunt, novalium deci- „ mas, de quibus hactenùs aliquis non perce- „ pit, percipere valeatis.

„ Nulli ergo omnino hominum liceat hanc „ paginam noſtre conceſſionis infringere vel ei „ auſu temerario contraire. Si quis autem hoc „ attemptare preſumſerit indignationem omnipo- „ tentis Dei & beatorum Petri & Pauli Apoſto- „ lorum ejus ſe noverit incurſurum.

„ Datum Anagnie Idibus Octobris Pontificatûs „ noſtri anno ſecundo.

„ ALEXANDER PP. IV.

Item Abbatiæ S. Mich.

Simile privilegium ante duos annos obtinue-

Anno 1256. rat Abbatia S. Michaëlis ab INNOCENTIO Papa IV., ut refertur apud Sanderum *Chor. Sac. Abb. S. Mich. Cap. IV.*

Hoſpitale erat tunc in poſſeſſione illius juris.

Quod autem Hoſpitale fuerit hoc tempore in poſſeſſione hujus juris, patet ex hoc teſtimonio Curati de Weſele, dato triginta novem annis poſt hanc Pontificis bullam, per quod teſtatur, Hoſpitale tunc fuiſſe in poſſeſſione juris illius ab immemoriali.

Ex Archivis Hoſpitalis

„ Univerſis preſentes litteras inſpecturis *Gerar-„ dus* Rector ſeu Inveſtitus Eccleſie de Weſele „ Leodienſis dyoceſis ſalutem & notitiam veri-„ tatis.

„ Noverit univerſitas veſtra, quod cum „ Hoſpitale Antwerpienſe, ac Magiſtra & Con-„ ventus nomine Hoſpitalis ejuſdem, in poſſeſ-„ ſione decimas novales percipiendi & habendi „ in Parochia de Weſele, Eccleſie priùs tacte, „ pro portione illâ, quâ veteres Decimas ibi-„ dem percipuerit, pacifice ſint & fuerint, „ antequam ejuſdem Eccleſie Rector efficerer, à „ tempore etiam, à quo non extat memoria, ipſi „ quoque legitimè preſcripſerint, & ad idem Hoſ-„ pitale ac ad Magiſtram & Conventum predic-„ tos ejus nomine pertineant pleno jure ac con-„ ſuetudine predictâ legitimè preſcriptâ, prout „ ego veritatem tenore preſentium recognoſco, „ meque nihil juris in eiſdem habere nec etiam „ habuiſſe. Promitto bonâ fide, quod de ce-„ terò in ipſis Decimis me non contendam jus habe-„ re, nec veniam contrà premiſſa vel aliquod „ premiſſorum, volens quod predictum Hoſ-„ pitale ac Magiſtra & Conventus predicti de-„ cimis predictis cum univerſis earum pertinen-„ tiis gaudeant pacificè & quietè.

„ In quorum omnium teſtimonium preſentem „ meam Litteram Hoſpitali predicto ſigillo meo „ & ſigillis diſcretorum Virorum dilectorum meo-„ rùm

„ rum de Zundert & de Loenhoit dicte dyoce- „ ſis Inveſtitorum, qui premiſſis interfuerunt, „ contuli ſigillatam. Anno 1256.

„ Datum anno Domini MCC. nonageſimo „ quinto Dominicâ poſt feſtum beati Martini „ hyemalis.

Ex his etiam Litteris patet, Hoſpitale Antverpienſe diu ante annum 1295. poſſediſſe in Weſt-weſel non tantùm Decimas, ſed etiam Novales. Vide ſuprà pag. 177.

Exemptio Præmonſtratenſium.

Hoc anno Ordinem Præmonſtratenſem ab Alexandro IV. obtinuiſſe exemptionem, eundemque Pontificem anno 1258. ſtatuiſſe, quod non debeant viſitari niſi per viſitatores Ordinis ejuſdem, refert Sanderus *Chor. Sac. S. Mich. Cap. IV.*, pro ut & Alexandrum V. Bullam deſuper edidiſſe anno 1409. & Joannem XXIII. anno 1410.

Defectio Eccleſiæ Antverpienſis.

Hæreſis, de quâ ſuprâ pag. 272. magnam confuſionem cauſaverat in Eccleſia Antverpienſi: ex hæreſi enim contenſiones, ex contenſionibus diſcordiæ, ex diſcordiis imminutio charitatis & pietatis: unde tandem negligentia & confuſio tum in temporalibus tum in ſpiritualibus, notanter dum ex ipſo Clero perverſi ſunt, ut hìc factum fuerat.

Inde, inquam, Eccleſia Antverpienſis plurimùm collapſa erat in temporalibus & ſpiritualibus, & quotidie magis ac magis corruebat in defectum, ut patet ex diplomate mox infra referendo.

Negligentia Præpoſitorum Antverp.

Malum hoc partim imputabatur abſentiæ & defectui eorum, qui præ cæteris invigilare debebant, & curam habebant Cleri, id eſt, Præpositorum Capituli. Præpoſiti enim Capituli ſemper habuerant curam animarum Canonicorum, Capellanorum & Clericorum prædictæ Eccleſiæ (*vide ſuprà pag. 110.*) & quoad

curam

Anno 1256. curam & officium in veritate erant Decani ; quare de jure debebant eſſe Sacerdotes & continuò in Eccleſia prædicta reſidere. Sed hucuſque hoc debitè obſervatum non fuerat : quandoque tantùm fuerant ſacerdotes & quandoque tantùm reſederant ; occaſionem non reſidendi trahentes à nomine, quia videlicet *Præpoſiti* vocabantur.

1257. Canonici autem, qui nuper providerant Cultui divino per ſectionem Præbendarum ſuarum, etiam huic malo obviare volentes, nomen *Præpoſiti* commutandum judicarunt in nomen *Decani*. Quare tandem anno ſeculi hujus quinquageſimo ſeptimo feriâ ſecundâ poſt Feſtum omnium Sanctorum Capitulariter congregati deſuper Statutum fecerunt, quod omnes obſervandum jurarunt ; in quo annihilatio Præpoſituræ & erectio Decanatûs ſtatuitur poſt deceſſum aut ceſſionem Præpoſiti, qui tunc erat. Decretum Capituli deſuper refertur apud Miræum *Dipl. Belg. Tom. II. Pag.* 1003. unde illud ſubjungo.

Statuitur annihilatio Præpoſituræ & erectio Decanatus.

„ UNIVERSIS præſentes litteras inſpecturis „ CAPITULUM B. MARIÆ in Antverpia, Ca„ meracenſis Diœceſis, ſalutem & noſcere verita„ tem.

Statutum Capituli deſuper.

„ Noveritis, quod Nos anno Domini mille„ ſimo ducenteſimo quinquageſimo ſeptimo fe„ riâ ſecundâ poſt feſtum *omnium Sanctorum*, „ die ad hoc deſignatâ & vocatis qui fuerant „ evocandi, in Capitulo noſtro conſtituti, de „ Decano in eccleſia noſtra de novo creando ſta„ tutum fecimus & juravimus obſervandum, „ cujus tenor talis eſt.

Rationes Statuti.

„ Cum Præpoſiti eccleſiæ noſtræ prædictæ, „ qui pro tempore fuerunt, ſemper habuerint cu„ ram animarum Canonicorum, Capellanorum, „ Clericorum ipſius eccleſiæ ; & ipſi Præpoſiti

„ quoad

„ quoad curam & officium ſuum in veritate ſint „ Decani, & propter hoc de jure debeant eſſe „ ſacerdotes, ſicut quandoque fuerunt, & con„ tinuè in eadem reſidere, ſicut quandoque fecerunt: „ quidam Præpoſiti tamen occaſionem non reſi„ dendi trahentes à nomine, videlicet quia Præ„ poſiti ſunt vocati, reſidere contradixerunt in „ ipſa eccleſia. Propter quorum abſentiam & de„ fectum dicta eccleſia in ſpiritualibus & tempo„ ralibus graviter eſt collapſa & quotidie magis „ ac magis corruit in defectum. Anno 1257.

„ STATUIMUS, quatenùs poſt deceſ„ ſum vel ceſſionem Præpoſiti, qui nunc „ eſt, nomen *Præpoſiti* commutetur in nomen „ *Decani*, & quod deinceps in dicta Eccleſia „ non ſit PRÆPOSITUS, ſed DECANUS tantum, „ qui habeat penitùs eandem juriſdictionem, „ quam habuit hactenùs & habet Præpoſitus „ memoratus, & ad idem teneatur omninò ad „ quod ſui prædeceſſores Præpoſiti tenebantur. „ Ita quidem quod ipſe Decanus duplicem Præ„ bendam habeat, unam ſicut Canonicus, „ reliquam verò, videlicet viceſimam, quam nunc „ tenet Præpoſitus, habeat ratione Decanatûs.

Erectio Decanatûs.

Fructus illi aſſignati.

„ Et quia reditus Præbendarum dictæ eccleſiæ „ noſtræ tenues ſunt & exiles per ſectionem ip„ ſarum de novo factam ibidem, & fere omnes „ proventus ipſius eccleſiæ noſtræ ſub periculo „ fluviorum & maris ſunt conſtituti; reditus & „ proventus ad ipſam Præpoſituram nunc ſpec„ tantes (cum nullæ ad præſens tempus quoti„ dianæ diſtributiones ad Horas canonicas ſint in „ eadem eccleſia) poſt deceſſum vel ceſſionem „ Præpoſiti, qui nunc eſt, in perpetuum ce„ dant ad quotidianas diſtributiones in eadem „ eccleſia ad Horas canonicas diſtribuendi.

Fructus Præpoſituræ pro diſtributionibus.

„ Ipſe vero Decanus ſtatim poſt electionem „ ſuam ſolemniter & expreſſe jurabit bonâ fide, „ quod

Decanus debet eſſe Sacerdos.

Anno 1257. „ quod infrà annum ſe faciet promoveri ad Sa-
„ cerdotium, ſi non fuerit ſacerdos.

Et reſidere. „ Et quod in ipſa Eccleſia continuè, ſicut
„ Canonici hebdommadarii ipſius Eccleſiæ, re-
„ ſidebit. Et quod nihil percipiet de Præbendâ
„ vel fructibus Decanatûs, niſi reſidens fuerit &
„ ſacerdos.

Sub pœna privationis. „ Quod ſi aliquid iſtorum non fuerit vel
„ facere recuſaverit, ſtatim vacet Decanatus ipſo
„ facto, & alii per noſtrum Capitulum, ad
„ quod ſpectat collatio, conferatur. Quod ſi
„ infrà ſex menſes alii non contulerimus ipſum
„ Decanatum, Superior eundem conferendi
„ habeat poteſtatem.

„ In cujus rei teſtimonium præſens ſtatutum
„ ſigillo eccleſiæ noſtræ prædictæ duximus robo-
„ randum. Actum & datum anno & die præ-
„ dictis."

Decretum hoc firmavit actualis Præpoſitus *Gobertus de Perweis*, & conſenſum ſuum deſuper in ſcriptis dedit die ſequenti. Litteras ejus ſubjungit *ibidem* Miræus ſic ſonantes.

„ UNIVERSIS præſentes litteras viſuris GO-
„ BERTUS *de Perweis* Præpoſitus eccleſiæ
„ Antverpienſis ſalutem in Domino.

„ Noverit univerſitas veſtra, quod nos, uti-
„ litatem eccleſiæ noſtræ in hoc attendentes, te-
„ nore præſentium conſentimus, quod ſtatutum
„ editum à Capitulo eccleſiæ noſtræ prædictæ
„ ſuper creatione Decani in eadem eccleſia &
„ quotidianarum diſtributionum, poſt deceſſum
„ vel ceſſionem noſtram robur obtineat perpe-
„ tuæ firmitatis, juxta continentiam Litterarum
„ ſuper dicto Statuto ab ipſo Capitulo confecta-
„ rum.

„ In cujus rei teſtimonium ſigillum noſtrum
„ præſentibus eſt appenſum.

„ Datum anno Domini milleſimo ducenteſimo

quin-

„ quinquageſimo ſeptimo feriâ tertiâ poſt *Omnium* „ *Sanctorum.*" Anno 1257.

Decretum hoc circà reſidentiam Decani firmarunt & obſervari mandarunt LEO PP. X. & ADRIANUS PP. VI. per Bullas ſuas reſpectivè datas annis 1521. & 1522.

Canonici nihil percipiunt in abſentia.

Sicut autem hic ſtatuitur, quod futurus Decanus nihil de fructibus percipiet, niſi reſidens fuerit; ſic ſors erat omnium Præbendarum in Capitulo Antverpienſi, ut nullus niſi reſidens quidquam perciperet de fructibus, quod uſque in hodiernum diem ibidem obſervatur. Conſuetudo hæc laudata eſt & juſſa obſervari in Concil. Tridentino *ſeſſ. XXI. Cap.* 3. *de Refor.*

Decano aſſignatur duplex præbenda.

Statuitur inſuper in hoc Decreto, quod Decanus pro reditibus ſuis haberet duplicem Præbendam, unam ut Canonicus, alteram, videlicet vigeſimam, quam tenebat Præpoſitus, ratione Decanatûs. Hoc autem obſervatum non fuit: ſed in electione primi Decani aſſignata fuit Decanis præbenda indiviſa, ut infrà dicetur.

Reditus Præpoſituræ reſervantur corpori.

Reditus autem & proventus Præpoſituræ aſſignantur & reſervantur Corpori ad augendos reditus Canonicorum. Hujus reſervationis duæ adferuntur rationes: prima, quod ferè omnes proventus ipſius Eccleſiæ ſub periculo fluviorum & maris ſint conſtituti; altera, quod reditus præbendarum tenues ſint & exiles per ſectionem ipſarum de novo factam.

Vide ſuprà pag. 214.

Statutum autem pro ſectione præbendarum factum fuerat anno 1240., in eoque dicebantur facultates Eccleſiæ adeo excreviſſe, ut de una præbenda duo poſſent commodè ſuſtentari: & hîc poſt ſeptemdecim ſolùm annos, dum certè omnes præbendæ necdum ſectæ erant, dicuntur reditus præbendarum tenues & exiles.

Quia

Anno 1257.

Pro diſtributionibus quotidianis.

Quia vero uſque ad id tempus nullæ in eorum Eccleſia fuerant diſtributiones quotidianæ, ſtatuitur, ut proventus Præpoſituræ in perpetuum cedant ad quotidianas diſtributiones in horis canonicis.

Confirmatur per Epiſ. & Pontifices.

Cum autem mutatio tam notabilis ulteriorem exigeret confirmationem, Præpoſitus cum Capitulo eam petunt ab Epiſcopo & Pontifice. Confirmationem ſuam NICOLAUS Epiſcopus Cameracenſis dedit anno 1260. per diploma, quod refertur apud Miræum *ibidem pag.* 1003. ALEXANDER IV. ſuam dedit Pontificatûs ſui anno ſeptimo; id eſt anno 1261. URBANUS IV. verò anno Pontificatûs primo; id eſt anno 1262., ut *ibidem in Notis.*

Decretum hoc effectum ſuum habuit poſt deceſſum GOBERTI circà annum hujus ſeculi ſeptuageſimum tertium, & fundationis Capituli centeſimum ſeptuageſimum ſextum.

Præpoſiti Antverpienſes.

Pauci, qui in hac Eccleſia Præpoſituræ Dignitatem poſſederunt, noti ſunt. Nomina eorum ſubjungo.

HILDUINUS, qui anno 1119. ab HENRICO Imperatore petivit & obtinuit confirmationem decimarum à Santvliet uſque Olmeremuthen. Vide ſuprà ad dictum annum.

HILDOLPHUS, qui anno 1122. S. Norbertum cum Sociis Antverpiam accerſiri curavit; & eiſdem anno 1124. ceſſit Eccleſiam S. Michaëlis &c. *Suprà ad dictos annos.*

REYNERUS erat Præpoſitus anno 1148. & 1155. *Suprà ad illos annos.*

ROBERTUS, qui anno 1201. probavit fundationem Præbendæ factam per *Jotham* piam Matronam. *Suprà ad illum annum.*

WILLELMUS qui anno 1220. cum fratre contulit bona de CRAILE ad uſum Sacerdotis in Eccleſia B. Mariæ. *Suprà ad eum annum.*

JOANNES

JOANNES DE CRAEYHEM Præpoſitus ab anno 1224. uſque ad annum 1240. Anno 1257.

GOBERTUS DE PERWEYS filius Guillelmi de Lovanio, cujus pater erat GODEFRIDUS III. Loth. Dux & Marchio noſter. Fuit hic Præpoſitus S. Gertrudis Nivellæ & hoc tempore Antverpiæ uſque ad annum 1273.

Perſonatus de Weſt-weſel.

Poſſidebat Hoſpitale Antverpienſe hoc tempore Perſonatum Eccleſiæ de Weſt-weſel, ſed à quo tempore hactenùs neſcitur. ALEXANDER PP. IV. illum hoc anno quinquageſimo ſeptimo confirmat Hoſpitali per hanc Bullam, cujus Originale ſe vidiſſe teſtantur anno 1294. Jacobus Abbas S. Bernardi & HENRICUS Prior FF. Prædicatorum, ex quorum litteris bullam iſtam ſubjungo.

Confirmatur Hoſpitali per Pontif.

„ ALEXANDER Epiſcopus ſervus ſervorum „ Dei Dilectis in Chriſto Filiabus Magiſtre & „ Sororibus Hoſpitalis beate Marie in Antwer- „ pia Ordinis ſancti Auguſtini Cameracenſis dio- „ ceſis ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.

„ Juſtis petentium deſideriis dignum eſt Nos „ facilem prebere conſenſum, & vota, que „ à rationis tramite non diſcordant, effectu „ proſequente complere.

„ Eapropter dilecte in Chriſto Filie veſtris „ juſtis poſtulationibus grato concurrentes aſſen- „ ſu Perſonas veſtras & locum, in quo divino „ eſtis obſequio mancipate, cum omnibus bo- „ nis, que impreſentiarum rationabiliter poſſide- „ tis aut in futurum juſtis modis preſtante Do- „ mino poteritis adipiſci, ſub beati Petri & „ noſtra potectione ſuſcipimus, ſpecialiter autem „ *Eccleſiam de Weſele* Leodienſis dioceſis cum „ omnibus pertinentiis ſuis, terras, poſſeſſio- „ nes & alia bona veſtra, ſicut ea omnia juſtè „ & pacificè poſſidetis, vobis & per vos Hoſ- „ pitali veſtro auctoritate Apoſtolicâ confirma-

„ mus

Anno 1257. „mus & preſentis Scripti patrocinio commu„nimus.

„Nulli ergo omninò hominum liceat hanc „paginam noſtre protectionis & confirmationis „infringere vel ei auſu temerario contraire. Si „quis autem hoc attemptare preſumpſerit, in„dignationem omnipotentis Dei & beatorum Pe„tri & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit in„curſurum.

„Datum Laterani tertio Nonas Januarii Pon„tificatûs noſtri anno tertio.

„ALEXANDER PP. IV.

Hæc Bulla etiam latuit Baronem le Roy, dum ſcribebat *Not. March. S. R. J. Lib. II. Cap. XI.* Hoſpitale ſeu Noſocomium majus Antverpiæ ſub Dominio de Weſt-weſele poſſidere Jus Perſonatûs Eccleſiæ de Weſele ex dono (anni 1295.) *Henrici de Wilre* Domini de Weſele. vide ſuprà ad annum 1246.

1258. Decimæ & Perſonatus de Stabroek. Contenſio hoc tempore agitabatur inter Capitulum & Principem ſuper Decimis & Capellâ de *Stabroek*. Princeps eas dominio ſuo appropriaverat. Capitulum, prætendens ſibi quondam donatas & confirmatas, eas continuo repetebat; offerens quidem Principi in perpetuum obſervare anniverſarium pro animæ ejus refrigerio, & proventus dictarum Decimarum applicare ad diſtributiones in horis canonicis. Tandem Capitulum Epiſcopum Cameracenſem rogavit, ut jus ſuum examinaret. Hic examinatis Capituli Litteris judicavit eas ad Capitulum pertinere, & prædictas Decimas comprehendi ſub Parochia de *Lillo*, & conſequenter ſub primæva donatione Decimarum à Santvliet uſque Olmeremuthen. Quare Epiſcopus rogatus à Canonicis prædictas Decimas & Capellam Capitulo confirmavit, dato deſuper hoc diplomate, quod ex Originali communicatum ſubjungo.

„NICO-

„ NICHOLAUS Dei gratiâ Cameracenſis Epiſ- Anno 1258.
„ copus univerſis Litteras has viſuris ſalutem in
„ Domino ſempiternam.

„ Noverit univerſitas veſtra, quod nos diligenti inquiſitione factâ ſuper fundatione Capelle de *Stakebroeck* noſtre diocesis & ſuper Decimis ejuſdem loci, invenimus dictam Capellam & decimam dicti loci, infrà limites Parochiæ de Lillo exiſtentes, ad Capitulum Eccleſie beate Marie Antwerpienſis pertinere.

Epiſcopus confirmat eas Capitulo.

Ex Archivis Capituli.

„ Nos igitur dicti Capituli devotis precibus inclinati memoratam Capellam de Stakebroeck cum decimis dicti loci prefato Capitulo Eccleſie Antwerpienſis duximus confirmandas.

„ In cujus rei teſtimonium preſentes Litteras ſigilli noſtri munimine duximus roborandas. Datum & actum Dominicâ, quâ cantatur *Factus eſt*, anno Domini milleſimo ducenteſimo quinquageſimo octavo.

Poſterâ die ſcribit deſuper idem Epiſcopus ad Ducem Brabantiæ, exponens quomodo examinaverit jus Capituli, & rogans eum, ut Canonicis relinquat pacificam prædictarum Decimarum & Capellæ poſſeſſionem. Litteras ejus ex originali communicatas ſubjungo.

„ ILLUSTRI Principi & Compatri ſuo HENRICO Dei gratiâ Duci Loth. & Brabantiæ NICHOLAUS eâdem gratiâ Cameracenſis Epiſcopus ſalutem & paratam ad beneplacita voluntatem.

Scribit deſuper ad Ducem Brab.

„ Cum nos, diligenti inquiſitione factâ ſuper fundatione Capellæ de *Stakebroeck* noſtræ diocesis & decimis ejuſdem loci, invenerimus dictam Capellam & Decimas dicti loci, exiſtentes infrà limites Prochiæ de Lillo, & ad Capitulum Eccleſiæ beatæ Mariæ Antwerpienſis

Ex Archivis Capituli.

Anno 1258. „ pertinere, Dominationem veſtram requirimus „ & rogamus affectuosè exhortantes in Domino, „ quatenùs dictum Capitulum Capellâ & deci- „ mis prædictis propter Deum & noſtrum amo- „ rem liberè gaudere permittas : ſcituri pro certo, „ quod, ſicut in dicti Capituli privilegiis con- „ tineri vidimus, Prædeceſſores veſtri bonæ me- „ moriæ Duces Loth. & Brabantiæ præfatam „ Eccleſiam beatæ Mariæ Antwerpienſem dictis „ decimis dotaverunt, ac ipſas decimas eidem „ Eccleſiæ confirmari à Pontificibus ac Impera- „ toribus impetraverunt.

„ Datum anno Domini milleſimo ducenteſi- „ mo quinquageſimo octavo, ferià ſecundâ poſt „ Dominicam, quâ cantatur *Factus eſt*.

Qui eas reddit Capitulo. HENRICUS Dux, informatione hac & precibus Epiſcopi motus, Capitulo pacificam prædictarum decimarum & Capellæ poſſeſſionem conceſſit, ut conſtat ex duobus diplomatibus ALEYDIS, relictæ ejus viduæ, regnantis pro filiis, directis ad Capitulum reſpective anno 1261. feriâ quartâ poſt feſtum B. Mathiæ, & 1262. feriâ ſecundâ poſt Octavam Epiphaniæ ſtylo Cameracenſi, adſervatis in Archivis Capituli.

Pro diſtributionibus. Anniverſarium promiſſum ex parte Capituli obſervatur quotannis uſque in hodiernum diem pro HENRICO & ALEYDE conjuge ejus. Et proventus memoratarum decimarum aſſignatæ ſunt pro diſtributionibus in Matutino & Primâ per totum annum, ut conſtat ex iiſdem Diplomatibus.

1260. Marchio noſter HENRICUS III. Brabantiæ

Henricus III. moritur. Dux extremum diem claudit ultimâ februarii anni 1260. ſtylo Cameracenſi. Obitum & laudem ejus ſic refert Haræus ex Molano & Divæo : HENRICUS III. inter Principes ſui temporis ſanguinis nobilitate præclarus, qui ſuæ nobili-

nobilitatis lineam moribus atque virtutibus clariorem effecit, ad ſubſidium Terræ ſanctæ Cruce ſignatus, antequam proficiſceretur, morte præventus in juventute florida & in bona confeſſione Lovanii obiit anno MCCLX. pridie Kal. Martii, conditus ibidem in cœnobio Prædicatorum, quod ipſe cum uxore condiderat, cuique etiam alias benefecerunt, ut patet ex eorum diplomatibus relatis à Miræo *Don. Belg. Lib. I. Cap.* 113. Anno 1260.

Pium ejus teſtamentum, quod condidit paucis diebus ante mortem, refert Miræus *Dipl. Belg. Lib. I. Cap.* 90., in quo mandat Judæos & Cawarſinos (publicos uſurarios) de terra Brabantiæ expelli & penitùs extirpari. Reſtituitque generaliter per totam terram Brabantiæ decimas novalium Eccleſiis & Eccleſiaſticis perſonis, ad quas, inquit, pleno jure pertinent. Licèt autem reſtitutio hæc ſtatuatur in ejus teſtamento, differenda tamen non erat poſt mortem: nam ipſo die, quo conditum eſt teſtamentum, data ſunt deſuper ad præcipua Corpora diplomata, per quæ eiſdem novales decimæ reſtituebantur. Diploma datum Capitulo S. Rumoldi Mechliniæ refertur, *Dipl. Belg. Coll. Nov. Par. I. Cap.* 142. Diploma ſimile eodem die datum ſervat Capitulum Antverpienſe.

Ejus pia opera.

Reſtituit Decimas novales Eccleſiis.

Eccleſiæ S. Odæ Rodenſis in diſtrictu Silvæducenſi benefacit annò 1248. & Capitulum ibidem collapſum reſtaurat *Supl. Dipl. Belg. Par. III. Cap.* 130.

ALEYDIS, quæ HENRICO pepererat *Henricum*, *Joannem* & *Godefridum* filios & filiam *Mariam* uxorem Philippi III. Regis Francorum, poſt obitum ejus pro filiis tum Marchionatum tum Ducatum Brabantiæ rexit per ſeptennium.

Aleydis Marchioniſſa.

Religioſa fuit & æqui rectique tenax hæc Princeps, quod ſatis ſuperque patet ex vigeſimo ſeptimo in-

Anno 1260. ter Opuſcula D. Thomæ Aquinatis, quod huic Duciſſæ inſcripſit ſanctus ille Doctor, eſtque reſponſum ad propoſita ab eâ dubia circà regimen ſubditorum.

Ejus pia opera. Fundavit hæc Cœnobium Dominicanarum in Oudergem, cui etiam confirmavit jus Patronatus Eçcleſiæ de Eekeren. Diploma deſuper datum anno 1270. refert le Roy *Not. March. S. R. J. Lib. VII. cap. VIII.* Anno 1261. decimas de Rotzelaer confirmavit Abbatiæ de Parco Dominarum *Dipl. Belg. Tom IV. Per. IV. Cap.* 155.

Moritur. Obiit autem pia hæc Princeps anno 1273. ſepulta juxta conjugem in monaſterio Prædicatorum Lovanii, ubi hæc eis poſita ſunt Epitaphia.

Hic ſubtus jacet D. HENRICUS *hujus nominis tertius; Princeps illuſtris Lotharingiæ Dux & Brabantiæ ſextus, hujus Clauſtri fundator ac fundi totius dator, qui obiit anno MCCLX. ultimâ Februarii.*

Hic jacet Domina ALEYDIS *de Burgundia Duciſſa ejus uxor, iſtius Clauſtri & Clauſtri de Oudergem pia fundatrix, nec non Ordinis Prædicatorum benigna amatrix, quæ obiit anno Domini MCCLXXIII. XXIII. Decembris.* Ita Le Roy.

Territorium FF. Prædic. augetur. Interim fratres Prædicatores noſtri ad Fundum, quem obtinuerant ſuper *Drieſch*, quemque jam inhabitabant, acquirunt fundum eidem adjacentem, dono *Hugonis Noze* Viri Conſularis, ut patet ex his Litteris, quibus filia ejus cum marito donationem hanc approbant.

„ Gerardus de Ischa Miles & uxor ejus „ Oda de Anderstat notum facimus, quod „ bonæ memoriæ *Hugo Noze* ſocer noſter, „ habens affectum ſpecialem ad promotionem „ Fratrum Ordinis Prædicatorum in Antwerpia, „ contulit eis in eleëmoſynam Allodium ſuum „ jacens ante portam ipſorum, quod protendi- „ tur à domo quondam Everardi Noze uſque „ ad molendinum aquaticum. Nos igitur & Li- „ beri noſtri, quantum in nobis eſt, præ- „ dictam donationem approbamus. Datum MCC- „ LXII.

Anno 1260.

Miræi *Not. Eccl. Belg. cap.* 193.

Cum autem prædicti Fratres jam amplum ſatis haberent territorium, cœperunt conſtruere amplum Cœnobium & Templum magnificum, quod demùm anno 1276. completum ſtetit, & conſecratum eſt per *B. Albertum magnum*, ut infra ſuo loco dicetur.

1262.

Conſtruunt cœnobium & Templum.

Canonici verò timentes, nè fortè indè futuris temporibus orirentur contenſiones inter Capitulum & prædictos Fratres, & volentes pacem, quam hactenùs conſervaverant, ſtabilire; anno ſexageſimo ſecundo cum eis inierunt Pacta circà viſitationem infirmorum & mortuorum ſepulturam, concedentes eis varia ob fidelitatem & auxilium hactenùs præſtita, ut patet ex his deſuper confectis Litteris, quas ex originali ſubjungo.

„ Univerſis preſentes Litteras viſuris CAPI- „ TULUM B. Marie Antwerpienſis & PLEBA- „ NUS ibidem ſalutem in Domino.

Concordatum inter Capitulum & FF. Prædc.

„ Cum ſecundum Apoſtolum bonum ſit ha- „ bere pacem cum omnibus hominibus, ſi fieri „ poſſit; & maximè etiam hoc expediat cum „ domeſticis & vicinis.

Ex Archivis Capituli.

„ Cum igitur Viri Religioſi & in Chriſto „ dilecti Fratres noſtri Predictores in Ant- „ werpia ſemper & ubique fideles nobis fuerint

Anno 1262.

„ & amici, onus nobis commiſſum humeris
„ ſuis fideliter ſupportantes ; Nos habere volentes
„ cum ipſis unitatem pacis & ſincere dilectionis,
„ & communionem omnium bonorum, que
„ faciunt & deinceps facturi ſunt, preſentium
„ teſtimonio indulgemus eiſdem & firmiter con-
„ cedimus propter Dominum, quod, omni
„ penitùs queſtione ſemotâ, que nobis hactenùs
„ competere poterat contrà ipſos, liberè & pa-
„ cificè gaudeant ſuis privilegiis, & fidelium
„ beneficia quietè recipiant abſque ulla recom-
„ penſatione ſuper hoc nobis facienda, & Domi-
„ no famulentur in pace.

1. Circà Privilegia & oblationes.

„ Si quis autem impoſterum oriri poſſit ſcru-
„ pulus aut occaſio contentionis vel litis inter
„ Nos & dictos Fratres ſuper viſitationibus in-
„ firmorum & teſtamentis & legatis Fidelium,
„ ac etiam ſuper ſepulturis mortuorum eligen-
„ dis ibidem, hec volumus Nos & Fratres
„ predicti in perpetuum inviolabiliter obſervari,
„ & mutuo promiſimus bonâ fide.

2. Circà præſentiam in confectione teſtamentorum.

„ Quod quandocumque aliquis parochianus
„ noſter aut tranſiens vel hoſpes decidit in lec-
„ tum egritudinis infrà Parochiam noſtram Ant-
„ werpienſem, & voluit condere teſtamen-
„ tum, debet illud ordinare & diſponere &
„ communicare preſente ſemper Plebano noſtro
„ vel ad hoc ſaltem vocato, & debet recipere
„ ab eo Eccleſiaſtica Sacramenta : Plebanus enim
„ debet agnoſcere vultum pecoris ſui & conſcien-
„ tias ſingulorum.

3. Circà viſitationem infirmorum.

„ Nichilominùs tamen Fratres noſtri ſupradicti
„ poterunt infirmos viſitare & intereſſe teſtamen-
„ tis, ſi voluerint teſtatores, preſente tamen
„ Plebano noſtro ſemper, vel ipſo ad hoc
„ vocato ut domeſtico : hoc proviſo diligenter,
„ ut non ſollicitent eos aut inducant ad eligendum
„ apud ipſos ſepulturam.

Nota,

Nota : Praxis ævi habebat, quod teſtamenta confici deberent coram proprio Sacerdote, id eſt, Parocho vel ſaltem de conſenſu ejus coram alio eccleſiaſtico ; & aliter facta vigorem non habebant. Ita ſtatutum videmus in Concilio Toloſano celebrato anno 1229. cap. XVI. Et praxis hæc diu duravit : idem enim poſt duo ferè ſecula præſcriptum eſt FF. Minoribus in Concordato cum ipſis inito anno 1448. ut infrà ad illum annum patebit.

Anno 1262.

Teſtamenta coram proprio Sacerdote.

„ Si quis autem corporis ſui elegerit ſepulturam ſuam apud ipſos, ſub teſtimonio eligat competenti, & ſuper hoc fiat Nobis plena fides : & tunc corpus defuncti primò erit ad Eccleſiam noſtram Antwerpienſem portandum, &, ibidem debitis exequiis celebratis, deferetur ad Fratres eccleſiaſtice ſepulture tradendum : niſi forſan amici defuncti ſic nobiſcum compoſuerint, quod ſtatim abſque medio deferatur ibidem : proviſo hinc & indè, quod nec fraus nec dolus interveniat in premiſſis.

4. Circà ſepulturam.

„ In ſignum igitur hujus federis & mutue charitatis augmentum, inter Nos eſt & dictos Fratres ordinatum & condictum, quod in omnibus licitis & honeſtis tenebimur nos & ipſi alter alterius ſupportare onera & fideliter negotia promovere, & exequiis noſtrorum defunctorum hinc indè proceſſionaliter intereſſe, quando commodè poterit obſervari.

5. Circà mutuam amicitiam.

„ In horum autem teſtimonium ſigillum Capituli noſtri cum ſigillo Plebani & ſigillis Prioris & Fratrum Predicatorum preſentibus Litteris eſt appenſum. Actum & datum ſabbato ante feſtum beati Barnabe Apoſtoli anno Domini MCC. ſexageſimo ſecundo.

Queſtiones variæ hoc tempore agitabantur inter Capitulum & Senatum. Canonici autem & Scabini, nè bonum pacis inter clerum & po- 1263.

Queſtiones inter Capitutum & Senatum terminantur.

 pulum

Anno 1263. pulum diutiùs pateretur, in ALEYDEM Duciſſam, quæ in Abbatia S. Michaëlis agebat, compromiſerunt ſub pœna centum librarum Lov. eidem à parte, quæ contrà ejus arbitrium veniret, ſolvendarum. Duciſſa onus hoc ſuſcepit, & auditis querelis Canonicorum & reſponſionibus Civium, habitoque conſilio cum Epiſcopo Leodienſi, Comite Gelriæ & aliis nobilibus & viris prudentibus, coram partibus pronuntiavit ſententiam anno ſeculi hujus ſexageſimo tertio, per quam pax totaliter reſtituta fuit.

Harzi *Annal. Duc. Brab.*

1268. Anno ſexageſimo octavo obtinet Capitulum jus Patronatûs & Perſonatûs Eccleſiarum de *Schooten* & *Merxem* dono HENRICI Domini de Breda. Patet ex his ejus litteris, quas ſubjungo ex Miræo *Dipl. Belg. Tom. I. Pag.* 316.

Capitulum acquirit Perſonatum de Schooten & Merxem.

Litteræ deſuper.

„UNIVERSIS præſentes Litteras viſuris HENRICUS Dominus de Breda ſalutem & noſcere veritatem.

„Noverit univerſitas veſtra, quod ego intuitu Dei, & ob reverentiam & honorem glorioſæ virginis Mariæ, nec non & remedium animæ meæ & Progenitorum meorum, jus Patronatûs & Perſonatûs, ſive Altaria Eccleſiarum de *Scoten* & *Mercſem*, cum omni jure & pertinentiis ſuis, prout dictæ Eccleſiæ ad me ſpectare noſcuntur, Viris venerabilibus Capitulo Eccleſiæ beatæ Mariæ in Antwerpia confero liberaliter & aſſigno: ſalvo per omnia in dictis locis meo Dominio temporali.

„In cujus rei teſtimonium ſigillum meum, unà cum ſigillis virorum nobilium Domini *Walteri* dicti *Berthaut* Domini de Machlinia & Domini *Raſonis* domini de Lidekerka præſentibus eſt appenſum.

„Interfuerunt autem his viri nobiles Dominus *Walterus Berthaut*, Dominus *Raſo* præ-

„dicti,

„ dicti , Dominus *Ægidius Berthaut* , nec „ non & Dominus *Henricus de Bouterſem* , „ Dominus *Goſcelinus Boc* & *Arnoldus de Lira* „ Milites ; *Godeſcalcus de Berbelghem* , *Nico-* „ *laus de Stene* & alii quam plures. Anno 1268.

„ Actum & datum Sabbato ante *Lætare Jeru-* „ *ſalem*, anno Domini milleſimo ducenteſimo „ ſexageſimo ſeptimo." *Stylo Cameracenſi* , *ad-eoque Anno* 1268.

Sequenti anno NICOLAUS Epiſcopus Cameracenſis donationem hanc approbat & confirmat, rogatus ab Henrico ſupradicto & à Capitulo : decernitque fructus & proventus dictorum Perſonatûum convertendos in uſus Canonicorum ad quotidianas diſtributiones , per litteras relatas apud Miræum *ibidem*. Quas inde ſubjungo. 1269.

Confirmat Epiſcopus & fructus aſſignat pro diſtributionibus.

„ NICOLAUS Dei Gratiâ Cameracenſis Epiſ- „ copus dilectis in Chriſto filiis , CAPITULO ec- „ cleſiæ beatæ Mariæ in Antwerpia ſalutem in „ Domino.

„ Ex parte ſiquidem veſtra fuit propoſitum „ coram nobis , quod nobilis vir HENRICUS „ Dominus de Breda jus Patronatûs & Perſo- „ natûs, ſive Altaria eccleſiarum de SCOTEN & „ de MERCSEM , cum pertinentiis ſuis , libera- „ liter donavit vobis , prout ad ipſum ſpectare „ noſcebantur ab antiquo ; Litteras ſuas paten- „ tes vobis ſuper hoc concedendo , quarum „ tenor talis eſt.

„ UNIVERSIS præſentes Litteras &c. *ut ſu-* „ *prà.*

„ Nos itaque devotis tam veſtris, quàm dicti „ Nobilis precibus inclinati , perpendentes etiam „ pium & ſalubrem ipſius affectum ; id quod per „ eum circa prædictas eccleſias factum eſt , „ ratum & gratum habentes , eaſdem vobis „ Eccleſias cum pertinentiis ſuis auctoritate ordi- „ naria confirmamus.

„ Præte-

Anno 1269. „ Prætereà, quia, ſicut intelleximus, redi-
„ tus Præbendarum Eccleſiæ veſtræ tenues ſunt
„ & exiles propter ſectionem Præbendarum fac-
„ tam ibìdem (*ex Decreto anni* 1240.) vobis in-
„ dulgemus, ut fructus & proventus, quos per-
„ ſonæ dictarum Eccleſiarum ratione Perſonatus
„ hactenùs percipere conſueverunt, convertere
„ poſſitis in uſus veſtros ad quotidianas diſtribu-
„ tiones, ut eò ferventiùs & ampliùs Domino
„ ſerviatis.

„ Salvâ tamen Capellanis, qui pro tempore
„ fuerint in iiſdem Eccleſiis inſtituendi... legiti-
„ mâ & competenti fructuum portione.

„ In cujus rei teſtimonium præſentibus litteris
„ ſigillum noſtrum duximus apponendum. Da-
„ tum anno Domini milleſimo ducenteſimo ſexa-
„ geſimo octavo, feriâ quartâ poſt *Invocabit me.*"
id eſt poſt Dominicam primam quadrageſimæ, adeoque ſtilo hodierno 1269.

Patronatus S. Job in't Goor.

S. JOB IN'T GOOR vicus olim fuit ſub *Schooten*, ut refert le Roy *Not. March. S. R. J. Lib. III. Cap.* 3. unde ſub hâc donatione comprehendebatur. Sed deinceps Capella ejus per Capitulum erecta eſt in parochialem Eccleſiam. Et hinc Patronatus ejuſdem ad Capitulum ſpectat.

Henricus cedit Marchionatum fratri.

Haræi *Annal. Duc. Brab.*

Eodem hoc anno ſexageſimo octavo *Henricus*, filius natu maximus HENRICI III. Brabantiæ Ducis, Ducatum & Marchionatum cedit JOANNI fratri ſecundò genito, Cameraci præſente *Richardo* Cornubiæ comite, qui Imperatoris Romani titulum eo tempore gerebat. Seceſſitque Divionem in Burgundiam, monaſticenque profeſſus in Canonicorum regularium cœnobio vitam finivit.

Joannes I. Marchio Antverp.

JOANNES I. itaque Brabantiæ Dux menſe Junio Marchionatum & Ducatum adivit, rexitque annis viginti ſeptem.

Gerardus

Gerardus de Antwerpia Clericus vixit in Gallia circà annum 1270. ſedente Romæ Gregorio X. Pon. Max., cui *Biblia tabulata* inſcripſit, quem librum ſe ſcripſiſſe ad inſtantiam Guidonis de Turre Arvenorum Epiſcopi præfando teſtatur. Legitur MS. Ultrajecti ad S. Joannem in Bibliothecâ publica. *Fop. Bibl. Belg. Pag.* 344.

Anno 1270.

Gerardus de Antwerpia.

Anno hoc HENRICUS NOSE Canonicus Antverpienſis, frater *Willelmi* quondam Scabini, *de quo ſuprà ad annum* 1230., condiderat teſtamentum, ſed deinceps per Codicillos ſeu particulares litteras pluribus Legata conſcripſit. Et notanter per ſpeciales litteras Libros ſuos legat FF. Prædicatoribus, eâ conditione, quod numquam divendi poſſint aut aliò transferri, & quod ad petitionem Canonicorum & Capellanorum & Fratrum S. Michaëlis ipſis commodari debeant. Quod Legatum cum conditionibus acceptarunt prædicti Fratres, datis deſuper Litteris, aſſervatis cum prædicto ejus teſtamento.

Henricus Noſe benefacit FF. Prædic.

1271.

Quia autem Litteræ illæ attentionem merentur, tum propter antiquitatem, tum propter ſpecificationem librorum, ſubjungo illas ex originali.

Litteræ deſuper.

„ UNIVERSIS preſentes Litteras viſuris Ma„ giſter HENRICUS dictus NOZE Canonicus „ Antwerpienſis vitam bonam & exitum bea„ tum.

Ex Archivis Capituli.

„ Notum vobis facio preſentium teſtimonio „ Litterarum, quod ego per gratiam Dei ſa„ nus & incolumis lego, do & aſſigno in hac „ Littera mea ſpeciali nomine teſtamenti Con„ ventui fratrum Ordinis Predicatorum in Ant„ werpia, *vetus Teſtamentum* meum & *novum* „ omnino gloſſatum & diſtinctum in duodecim „ volumina ſeparata : habet enim *Pentateuchus* „ duo volumina paria ; *Libri hiſtoriales* duo „ volumina paria ; *Prophete* duo volumina paria ;

„ *Pſal-*

Anno 1271. „ *Pſalterium* duo volumina paria ; Quinque *libri* „ dicti *Salomonis* habent unum volumen ; *Quatuor Evangeliſte* habent unum volumen ; „ *Epiſtole Pauli* habent unum volumen ; *Job* , „ *Acta Apoſtolorum* , *Canonice Epiſtole* , *Apocalipſis* habent unum volumen.

„ Item lego dictis Fratribus *Sententias* meas in „ uno volumine ; *Hiſtorias* meas poſtilatas ſuper Evangelia & ſuper Acta Apoſtolorum in „ uno volumine ; *Concordantias Predicatorum* „ in uno volumine ; *Diſtinctiones Fr. Mauritii* „ & *Breviloquium in Scriptura* in uno volumine. Et quia *non minor eſt virtus* , *quàm* „ *querere* , *parta tueri* , volo & ſtatuo ſub debito juramenti inviolabiliter obſervandum , quod „ dicti libri nullatenùs poſſint vendi , impignorari vel diſtrahi , aut extrà Parochiam Antwerpenſem aliquatenùs deportari.

„ Verumptamen , quia bonum diffuſivum eſt „ ſui , & in communi deductum magis eluceſcit , „ volo & ordino ſub dicta pena firmiter obſervandum , quod omnes predicti libri poſſint „ & debeant liberaliter accommodari Canonicis „ Eccleſie ſancte Marie & Capellanis & Fratribus ſancti Michaëlis in Antwerpia , quotienscumque & quandocumque hiis opus habeant „ ad ſtudendum & diſcendum ; receptâ tamen „ priùs ab eis cautione ſufficienti de reddendo „ commodatum ad voluntatem Librarii commodantis.

„ Item volo & ſtatuo modis omnibus obſervandum , quod omnes libri mei , quos lego „ nomine commodati Dno *Waltero* dicto *Omberaden* & *Johanni* dicto *Loſe* , quàm diu „ vixerint ad diſcendum , poſt diſceſſum ipſorum ad uſum & proprietatem dictorum „ Fratrum Predicatorum ſine diminutione qualibet penitùs convertantur.

„ Teſtes

„ Teſtes Magiſter *Petrus* Archidiaconus Ca- Anno
„ meracenſis in Antwerpia , *Johannes* Abbas 1271.
„ ſancti Michaëlis in Antwerpia , *Arnoldus*
„ dictus *Pollar* & *Symon* dictus *Noſe* Canonici
„ Antwerp. & *Walterus Omberaden* ejuſdem
„ loci Capellanus.

„ In teſtimonium etiam premiſſorum ſigillum
„ meum unà cum ſigillis predictorum teſtium &
„ cum ſigillo ... Prioris Predicatorum noſtrorum
„ in Antwerpia preſentibus eſt appenſum. Da-
„ tum in feſto inventionis ſancte Crucis Anno
„ Domini milleſimo duceteſimo ſeptuageſimo
„ primo."

Ex his Litteris colligere datur , Antverpiam hactenùs non habuiſſe niſi unicam veri nominis Parochiam , in qua omnia paſtoralia exercebantur.

Acceptatio FF. Prædic.

Litteras , quibus FF. Prædicatores donum hoc eodem die acceptarunt ſubjungo etiam ex originali.

Ex Archivis Capituli.

„ Universis preſentes Litteras viſuris ... Pri-
„ or & Conventus Ordinis Predicatorum in
„ Antwerpia ſalutem & orationes in Chriſto.

„ Notum vobis facimus & teſtamur fide bonâ
„ firmiter promittentes , quod nos fideliter ſerva-
„ bimus , & , quantum in nobis eſt , facie-
„ mus inviolabiliter obſervari omnia & ſingula ,
„ prout in Codicillo , cui preſens ſcriptum
„ noſtrum eſt annexum , ſpecialiter nobis ſunt
„ legata.

„ In cujus rei teſtimonium preſentibus Litte-
„ ris ſigillum noſtrum eſt appenſum. Datum
„ anno Domini MCCLXX. primo , in inventione
„ ſancte Crucis.

Idem Henricus anno ſequenti per ſpeciales Litteras legata conſcribit Hoſpitali , Leproſiæ & Begginis. Litteras ejus deſuper ſubjungo ex originali, 1272.

Henricus Noſe benefacit Hoſpitali Leproſiæ & Begginis.

„ Uni-

Anno 1272.

„ UNIVERSIS preſentes Litteras viſuris Ma-„ giſter HENRICUS dictus NOSE Canonicus „ Antwerpienſis vitam bonam & exitum bea-„ tum.

Ex Archivis Hoſpitalis

„ Notum vobis facio preſentium teſtimonio „ Litterarum, quod ego in hac Littera mea „ ſpeciali, & prout in teſtamento meo conti-„ netur expreſſum, lego & aſſigno Hoſpitali „ noſtro duos ſextarios ſiliginis annuatim, unum „ videlicet ad anniverſarium meum ibidem an-„ nuatim obſervandum cum debitis orationibus „ & conſuetis: & inde habebit capellanus duos ſo-„ lidos & cuſtos duodecim denarios. Alterum „ ſextarium ad Infirmariam ibidem. Decem ſo-„ lidos ad Pitantiam ibidem quando corpus „ meum tradendum erit ſepulture: majorem ca-„ cabum meum & ollam eream, meliorem „ pelvim & vas ereum ad lavandum manus.

„ Item lego dicto Hoſpitali & Leproſie allo-„ dium meum apud *Autherwele* & in *Lillo*, „ & in campo Antwerpienſi, retro ortum Wal-„ teri vueſt ſuper Mere, dimidium Bunarium „ ſolvens annuatim XXVIII. ſolidos & II. ca-„ pones: & ibidem retro Hoſpitale unum a-„ grum, qui *viſacker* appellatur, tres quar-„ tas unius bunarii continentem. Et in *campo* „ *monachorum* retro ortos quartam unius buna-„ rii ſolventem annuatim XII. ſolidos & IV. „ capones...

„ Item lego dictis *Hoſpitali*, *Leproſie* & *Beghi-„ nis turris Syon* tres lectos meos meliores cum „ lintheaminibus & coopertoriis melioribus ad „ hoc deputatis; ita quidem, quod inde pri-„ us eligat Hoſpitale, deinde Leproſia, poſteà „ Beghine...

„ In cujus rei teſtimonium ſigillum meum „ cum ſigillo dicti Hoſpitalis preſentibus Litteris „ eſt appenſum. Datum anno Domini MCCL-

„ XX,

„ XX. ſecundo , in decollatione beati Joannis „ Baptiſte” id eſt 29. Auguſti. Anno 1272.

Ex his ſufficienter patet *Henricum Noſe* nondùm hoc tempore electum fuiſſe Decanum Capituli Antverpienſis : titulus enim ille in his ejus litteris omiſſus non fuiſſet. Le Roy tamen & alii electionem ejus referunt ad annum 1271. Interim veroſimile eſt eum pauco tempore poſt datas has Litteras electum fuiſſe primum Capituli Antverpienſis Decanum, juxtà decretum deſuper factum anno 1257. de annihilandâ Præpoſiturâ & erectione Decanatûs. Supervixit adhuc *Henricus* tribus aut quatuor annis.

Fit primus Capituli Antverp. Decanus.

In memorato autem Decreto pro redditibus erigendi decanatûs ſtatutum fuerat , quod Decanus haberet duplicem præbendam, unam tamquam Canonicus , & alteram , quam tenebat Præpoſitus , ſcilicet vigeſimam , haberet ratione Decanatûs. Sed cum hic electus Decanus poſſideret præbendam hactenùs indiviſam , ſtatutum eſt , quod hæc indiviſa præbenda in perpetuum cederet Decano. Et ita , non duodecim , ut anno 1240. ſtatutum fuerat , ſed undecim tantum præbendæ ſectæ ſunt ; unde Capitulum deinceps continebat Decanum & viginti duos Canonicos , quod ſic perſeveravit uſque ad annum 1639.

Aſſignatur Decano præbenda indiviſa.

Numerus Canonicorum.

Primus hic Decanus pauco tempore primariam hanc Cleri Antverpienſis dignitatem poſſedit : vitam enim finivit anno 1275. aut 1276. ut patet ex his Executorum teſtamenti ejus litteris , quibus Hoſpitali tradunt legatum ab eo relictum. Subjungo illas ex originali. 1275.

Moritur primus Decanus.

„ UNIVERSIS preſentes litteras viſuris *Henri-* „ *cus* Abbas ſancti Bernardi , *Godefridus* Prior „ Fratrum Predicatorum in Antwerpia , *Arnol-* „ *dus Pollaer* & *Symon Noze* Canonici Ecclesie „ ſancte Marie ejuſdem loci , executores teſta-

Ex Archivis Hoſpitalis.

„ menti

Anno 1275. „ menti Magiſtri HENRICI quondam Decani „ dicte Ecclesie, nec non Magiſtra & Conventus Hoſpitalis Antwerpienſis ſalutem in „ Domino ſempiternam.

„ Noverit univerſitas veſtra, quod nos Executores predicti de bonis dicti Decani comparavimus erga predictum Hoſpitale duos ſextarios ſiliginis annui reditûs pro ſedecim libris Lovanienſibus dicto Hoſpitali perſolutis in pecunia numerata. Ita quidem quod exinde percipiant pro remedio anime prefati Decani *Sapientia* ejus neptis unum ſextarium & *Glewigis* mater Henrici presbiteri unumquoad vixerint.

„ Et poſt deceſſum earum vel alterius ipſarum portio decedentis cedat in perpetuum Conventui dicti Hoſpitalis ad Pitantiam vini, prout dicti reditus poterunt ſuſtinere, quolibet die, quo dictus conventus ſacre Communionis percipiet Sacramentum.

„ Et Nos Magiſtra & Conventus predicti premiſſa recognoſcimus & obſervare promittimus bona fide, prout ſuperiùs eſt expreſſum.

„ In cujus rei teſtimonium & munimen ſigilla noſtra unà cum ſigillo venerabilis viri Domini W. Decani Lyrenſis Proviſoris dicti Hoſpitalis preſentibus ſunt appenſa.

„ Datum anno Domini MCCLXX. quinto; menſe Aprili." *Stylo Cameracenſi.*

Decani Capituli Antverpienſes.

Seriem Decanorum Capituli Antverpienſis, qui hactenùs noti ſunt, ſubjungo.

1. HENRICUS NOSE primus Capituli Decanus electus anno 1273. obiit 1275.

2. ÆGIDIUS DE WINEGHEM erat Decanus 1281. & 1292.

3. HUGO KNOCKE

4. JOANNES DE BRUXELLA Can. Cameracenſis. 1317.

5. NICO-

5. NICOLAUS DE CASTRO. 1340. Anno
6. THEODORICUS LOOSE. 1275.
7. ARNOLDUS GOURLE 1369.
8. JOANNES VOLCKART.
9. JOANNES DE PONTE.

10. ANSELMUS FABRI DE BREDA Archidiaconus Hannoniæ in Cathedrali Leodienſi & EUGENII Papæ IV. Referendarius anno 1437., quando jam erat Decanus; Fundator perpetuæ Capellaniæ ad Altare ſacri Præputii, ante quod ſepeliendum corpus ejus Florentiâ, ubi obierat, allatum fuit. anno 1449.

11. FAUSTINUS DE VALLE.

12. HENRICUS DE ZOEMEREN Canonicus ad S. Joan. Silvæ-ducis, S. T. Doctor Pariſienſis, dein Academiæ Lovanienſi incorporatus ibidem S. Theologiam profeſſus eſt. Obiit 1472.

13. JOANNES DE MONTE-MIRABILI Calvomontanus è Diœceſi Lingonenſi, SIXTI IV. Pont. familiaris & Referendarius, de hoc Decanatu à Pontifice proviſus & inſuper Epiſcopus Vaſionenſis & canonicus Cameracenſis. Renuntiavit. Obiit 1479.

14. PETRUS DE MAJO inſtallatus 24. Aprilis, anno 1475.

15. FRANCISCUS BUSLYDEN Præpoſitus cathedralis Leodienſis & S. Donatiani Brugis; nec non Archiepiſcopus Biſuntinus, inſtallatus anno 1498. Obiit 1502.

16. GISMUNDUS HOFWEGEN inſtallatus 19. novembris 1502.

17. ADRIANUS SANDELICUS inſtallatus 1507. Obiit 18. novembris 1512.

Mox poſt obitum hujus Decani elegerunt Domini de Capitulo novum Decanum, videlicèt ADRIANUM DE TRAJECTO, tunc Decanum S. Petri Lovanii, qui poſteà creatus fuit Pontifex dictus ADRIANUS VI., & eundem adAn Adrianus PP. VI. fuerit Decanus.

Anno miſerunt ad poſſeſſionem Decanatûs. Dein menſe 1275. Aprilis anni ſequentis fuit pro parte Domini JACOBI DE BANNISSIIS petita poſſeſſio Decanatûs prædicti, in vim proviſionis eidem per Sedem Apoſtolicam datæ. Et fuit tunc idem D. DE BANNISSIIS ad poſſeſſionem Decanatûs admiſſus ſalvo jure cujuslibet.

Mota deſuper fuit lis, quæ tribus annis duravit & tandem terminata fuit in favorem D. de Banniſſiis: quod intimatum fuit Capitulo menſe Julio 1516., manſitque dictus *Banniſſius* deinceps in pacifica poſſeſſione. Patent hæc ex Enarratione difficultatum, quas Capitulum habuit cum dicto Banniſſio circà perceptionem fructuum in abſentia, quæ in Archivis Capituli ſervatur.

In prædicta autem Enarratione non dicitur, an lis terminata ſit per ſententiam aut aliàs: unde veroſimile eſt *Adrianum* juri ſuo ceſſiſſe in favorem *Banniſſii*, dum pro CAROLO V. cum Cardinali Ximenes factus eſt Prorex Regni Hiſpaniæ, quod factum eſt initio illius anni. Unde.

18. JACOBUS DE BANNISSIIS inſtallatus 26. Aprilis 1513. Reſignavit initio anni 1530. ad opus ſubſequentis.

19. JOANNES NATURELLI inſtallatus 28. Februarii 1530.

20. ROGERIUS TASSIS Præpoſitus D. Petri Lovanii & Cancellarius Univerſitatis per annos 61. Hic primus per Principem nominatus eſt ad hunc Decanatum, inſtallatus 6. Martii 1545. Obitâque pro Rege Hiſpan. ad Pontificem legatione celebris, octogenarius deceſſit Antverpiæ anno 1593. poſtridie Idus Martii, ſepultus ibidem in templo Beggardorum.

21. CAROLUS MASIUS Rogerii nepos eidem ſuperſtiti ſucceſſit 18. May 1590. Deinde factus

anno

anno 1607. Epiſcopus Iprenſis, inde Gandenſis, obiit 21 May 1612. Anno 1275.

22. Joannes del Rio Brugenſis J. U. L., ex Officiali & Archidiacono Antverpienſi, inſtallatus 1607. obiit. 1624.

23. Autbertus Miræus vir libris editis celeberrimus, ex Scholaſtico Antverpienſi inſtallatus 1624. obiit 1640.

24. Franciscus Dingens Colonienſis J. U. D., ex Canonico & Theſaurario inſtallatus 24. may 1641. Obiit 1657.

25. Henricus Tellier J. U. L. Gubernatoris Belgii à ſacris Oratorij, ceremoniarumque Capellæ regiæ magiſter, ex Canonico D. Gudulæ Bruxellis inſtallatus 7. Januarii 1658.

26. Henricus van Halmale Antverpienſis J. U. L. promotus anno 1672. ad Epiſcopatum Iprenſem. Obiit ætatis 52. anno 1676.

27. Franciscus Ortiz de Yberra ex Canonico D. Gudulæ Bruxellis inſtallatus 21. octob. 1672. Obiit 1705.

28. Carolus Franciscus Taye de Wemmel anteà Decanus Eccl. Coll. S. Petri in Anderlecht & B. Mariæ Teneramundæ. Inſtallatus 9. Junii 1705. Obiit 1713.

29. Andreas del Marmol J. U. L. Eques Ordinis S. Jacobi, Noſocomii regii Mechliniæ adminiſtrator. Ex Can. Metrop. Mechliniæ, deſignatus Decanus anno 1713., reſignavit anno 1731. Obiit 7. Aprilis 1742.

30. Simon Baltasar de Neuff Antverpienſis J. U. L., anteà Eleëmoſinarius, dein Scabinus Civitatis Antverpienſis, demùm mortuâ conjuge Statum Eccleſiaſticum amplexus electus eſt Canonicus grad. ibidem. Inſtallatus 16. Junii 1731. obiit 20. Decembris 1740.

Guilielmus Laurentius Engelgrave Antverpienſis J. U. & S. T. L., Canonicus grad.;

Anno 1275. Pœnitentiarius, Examinator Synodalis & Præſes Seminarii Antverpienſis, nominatus Decanus, ſed ante inſtallationem obiit 21. Aprilis 1741.

31. PHILIPPUS JOSEPHUS DE CANO Bruxellenſis J. U. L., ex Canonico & Cantore inſignis Eccl. Coll. D. Jacobi Antverpiæ, inſtallatus 23. Junii 1741. Obiit 27. ſeptembris 1758.

32. Ampliſſimus Dominus FRANCISCUS ENGELGRAVE frater LAURENTII, qui ſuprà, Antverpienſis J. U. L. Civitati ab Eleëmoſijnis. Mortuâ conjuge Statum eccleſiaſticum amplexus & Lovanii Theologiæ incumbens aſſumptus eſt ibidem in Præſidem Collegii Viglii, dein factus Canonicus Cathedralis Antverpienſis ac Theſaurarius inſtallatus eſt Decanus 24. Februarii 1759. Judex Synodalis &c. Hodieque in iſta dignitate eminet.

1276. Templum Prædicatorum conſecratur.

FF. Prædicatores noſtri jam magnificum extruxerant templum, quod anno 1276. conſecratum eſt & dedicatum D. Paulo Apoſtolo per B. *Albertum magnum* Epiſcopum quondam Ratisponenſem, qui Antverpiam venerat rediens Lugduno, quo de mandato GREGORII PP. X. vocatus fuerat ad Concilium ibidem celebratum anno 1274. Litteras ejus deſuper datas ſubjungo ex originali.

Litteræ B. Alberti deſuper.

„ Frater ALBERTUS Ordinis Fratrum Predicatorum, quondam Ratisponenſis Epiſcopus, „ univerſis ad quos preſens ſcriptum pervenerit „ ſalutem in Domino ſempiternam.

Ex Archivis FF. Prædic.

„ Cum Nos Eccleſiam Fratrum Ordinis noſtri „ in Antwerpia conſecraverimus, Nobis ſuper „ hoc auctoritate commiſsâ; diem conſecrationis „ dicte Eccleſie annuatim celebrandum aſſignamus Dominicam infrà octavam Nativitatis B. „ Virginis.

„ Omnibus autem, qui à die conſecrationis

„ dictam

„ dictam Eccleſiam devotè , prout decet , Anno
„ viſitaverint per menſem ſubſequentem , die 1276.
„ qualibet indulgemus annum unum indulgentie
„ & quadraginta dies ; & auctoritate Domini
„ Pape centum dies ; in principio autem cujus-
„ libet menſis anni primi tantumdem. Singulis
„ autem annis , quando dies anniverſarius de-
„ dicationis ibidem celebrabitur & quolibet die
„ per octavam omnibus verè penitentibus , qui
„ devotè ad dictam dedicationem convenerint ,
„ prout decet , annum unum indulgentie confe-
„ rimus & quadraginta dies , & auctoritate Domi-
„ ni Pape centum dies ſicut priùs.

„ Et ut illa indulgentia nota fiat univerſis , &
„ apud dictam Eccleſiam perpetuò perſeveret ,
„ preſenti Littere ſigillum noſtrum appoſuimus
„ ad munimen veritatiſque teſtimonium.

„ Datum in craſtino Feſti Nativitatis B. Vir-
„ ginis anno Domini MCCLXXVI.

Convenienter Clerus Antverpienſis jam auctus 1277.
erat acceſſione FF. Prædicatorum , & per Sectio-
nem Præbendarum in Eccleſia matrice. Diſcipli-
næ eccleſiaſticæ & regularitati cultùs Divini pro- Victorinæ alias TERNONNEN.
viſum erat per annihilationem præpoſituræ &
erectionem Decanatûs. Sed præter Hoſpitalia tum
ægrotorum , tum leproſorum , in quibus ducebatur
vita activa , aliud virginum Cœnobium hactenùs
non habebatur. Invidebat igitur Antverpia viciniis
ſuis , & etiam hac in parte Eccleſiæ ſuæ ſtatuebat
quærere ornamenta : ut & quæ ex femineo ſexu me-
ditarentur perfectionem in vita contemplativa ad
diſſita loca refugere non tenerentur.

Erat autem in *Bevelandiâ* Zelandiæ inſulâ in 1279.
Bieſelingen Abbatia virginum Ordinis S. VICTO-
RIS , inſtituti initio ſeculi XII. juxtà Pariſios : Vocantur
hujus progeniem avidè deſiderabat Antverpia. Antverpiam
Quare Decanus & Scabini eas requiſierunt , ut
è ſuis mitterent , quæ Cœnobium hìc inſtitue-

 rent ,

Anno 1279. rent, quin & Officialem Ultrajectinum rogarunt, ut collaboraret & opus hoc promoveret. Hic Antverpienſium precibus motus, deſuper ad Abbatiſſam de Bieſelingen Litteras miſit, quas ſe vidiſſe teſtatur Gramaye in *Antv. Lib. II. Cap.* 9.: eas autem ſcriptas fuiſſe 14. Auguſti 1279. indicant memoriæ loci.

Recipiuntur & aſſignatur eis locus.

Eodem anno Antverpiam miſſæ ſunt ex eadem Abbatia quinque Religioſæ, ſcilicet Domina *Beatrix van Everingen*, *Dirwigis de Berlandia*, *Adeliſa de Schore*, *Catharina de Koudekerke* & *Clara de Hoedekinskerke*, quæ benignè receptæ locum ſibi delegerunt ad *Campum Philippi*, in loco, qui etiam nunc eſt extrà muros Civitatis, propè hodiernam portam S. Georgii versùs ſeptentrionem, ultrà canalem Herendalienſem, ibidemque Cœnobium ædificarunt ſub titulo S. MARGARETÆ: ſic enim lego in Litteris anni 1281. *Prioriſſa & Conventus beatæ Magaritæ Ordinis* S. *Victoris juxtà Antverpiam.* NONNARUM etiam nomen à principio tuliſſe reperio, quod uſque in hodiernum diem teutonicè retinent *Ter-nonnen.*

Titulus Cœnobii.

Fundatrix.

Memoriæ loci & Gramaye tradunt, Fundatricem hujus Cœnobii fuiſſe *Margaretam* HENRICI II. Brabantiæ Ducis filiam. Sed hæc velata fuerat & ſecunda Abbatiſſa *Vallis-Ducis* juxtà Lovanium, obieratque jamindè anno 1277., ut patet ex ejus Epitaphio, quod refertur *Dipl. Belg. Coll. Nov. Par. IV. Cap.* 113. *in notis*. Fortè titulum *S. Margaretæ* aſſumpſerunt ad honorandam MARGARETAM conjugem Marchionis noſtri JOANNIS I. Brabantiæ Ducis eo tempore regnantis, cujus favore Cœnobium ædificabant.

Perſeverarunt Religioſæ in memorato loco uſque ad deſtructionem per Martinum Roſſemium ad annum 1542., quo intrà muros confugerunt, & aliud ſibi Cœnobium aptarunt.

INGE-

INGERANNUS Epiſcopus Cameracenſis Prioriſſæ & Monialibus concedit, ut in Monaſterio, quod ædificabant, haberent Cemeterium, in quo corpora perſonarum Religioſarum monaſterii ſui ſepeliri poſſent: facitque poteſtatem cuicumque Epiſcopo ad locum accedenti illud benedicendi, accedente conſenſu Patroni loci & Plebani. Litteras deſuper datas 7. Januarii 1280. ſtylo Cameracenſi, id eſt 1281. ſtylo Romano & moderno, refert Miræus *Dipl. Belg. tom. I. pag.* 438. unde illas ſubjungo.

Anno 1280.

Obtinent jus ſepulturæ.

„ INGERANNUS Dei gratiâ Epiſcopus Ca„ meracenſis univerſis præſentes litteras inſpectu„ ris ſalutem in domino.

Litteræ Epiſc. ad conſecrandum Cemeterium.

„ Placet Nobis & ad hoc propter Dominum „ expreſsè noſtrum adhibemus aſſenſum, quod „ Religioſæ mulieres PRIORISSA & quæ cum ea „ ſunt moniales de BISELINGEN, Ordinis S. „ VICTORIS in monaſterio, quod infrà limites „ Parochiæ Antwerpienſis conſtruunt ſeu con„ ſtruere intendunt CEMETERIUM, in quo cor„ pora perſonarum religioſarum ſui monaſterii „ prædicti ſepeliri poſſint, habeant: & quod „ idem Cœmeterium à quocumque Epiſcopo ad „ prædictum locum accedente benedicatur; dum „ tamen PATRONI & PLEBANI ipſius loci con„ ſenſus adfuerit & aſſenſus.

„ In cujus rei teſtimonium ſigillum noſtrum „ duximus apponendum. Datum in craſtino „ Epiphaniæ Domini anno Domini milleſimo „ ducenteſimo octogeſimo."

Eodem anno & menſe Antverpiam venit PETRUS *Sudenſis* Epiſcopus ſuffraganeus Cameracenſis, qui accedens ad prædictum locum, auctoritate ſibi datâ per præmiſſas Litteras die 22. Januarii Cemeterium dicti monaſterii dedicavit & conſecravit, *Decano* & *Capitulo B. Mariæ* & *Plebano* ejuſdem præſentibus & conſentien-

Conſecratur.

Anno 1280. ſentientibus : monialibus verò ſub juramento promittentibus, quod ſuper jure Parochiali & Canonicorum ſtabunt ordinationi Decani & Capituli in omnibus & per omnia. Litteras Epiſcopi deſuper refert Miræus loco ſuprà citato, unde eas ſubjungo.

Litteræ Epiſcopi deſuper.

„ UNIVERSIS præſentes Litteras inſpecturis „ PETRUS Dei gratiâ Sudenſis Epiſcopus ſalutem in Domino.

„ Noveritis Nos Litteras Domini Cameracenſis Epiſcopi vidiſſe in hæc verba : INGERANNUS *&c. ut ſuprà.*

„ Nos ergò, auctoritate Litterarum Domini „ Cameracenſis Epiſcopi præmiſſarum, ad „ monaſterium ſeu locum, in quo prædictæ „ PRIORISSA & MONIALES commorantur, ac„ cedentes, DECANO & CAPITULO Eccle„ ſiæ B. Mariæ Antwerpienſis & PLEBANO „ ejuſdem Eccleſiæ præſentibus : coram Nobis „ & dictis Monialibus, nec non *Theobaldo* fi„ lio *Theoderici* Proviſore ſeu Procuratore earum„ dem in manu noſtra ſub ſacramento ſuo cor„ poraliter præſtito promittentibus, quod ſuper „ jure Parochiali, & ipſorum jus contingenti„ bus ſeu ſpectantibus ad matricem Eccleſiam „ prædictam, infrà cujus Eccleſiæ limites dic„ tum monaſterium eſt conſtructum, ſtabunt „ ordinationi DECANI & CAPITULI prædicto„ rum in omnibus & per omnia.

„ Et ſic Cœmeterium dicti monaſterii cum „ ſuis appendiciis dedicavimus & conſecravimus, „ accedentibus ad hoc voluntate & conſenſu „ DECANI & CAPITULI ac PLEBANI præmiſſo„ rum. In cujus rei teſtimonium ſigillum noſtrum „ præſentibus Litteris duximus apponendum.

„ Actum & datum anno Domini milleſimo „ ducenteſimo octogeſimo, in die B. Vincentii „ Martyris."

Ad

Ad ſacrata Loca, inquit le Roy *Not. March. S. R. J. Lib. I. Cap.* 15., refero etiam Domum, quam Equites Teutonici à quatuor ſeculis in hac civitate habuerunt, & etiamnum poſſident. Quis ſcit, an non aliquando inhabitaverint? Immunitates hoc in loco à Principibus conceſſæ non parum faciunt, ut id credamus. Et ut alii hoc mecum judicent, ſubjungo Diplomata, quæ ad rem illam faciunt: & quamvis loquantur de *Viris religioſis Commendatori & fratribus domûs ſanctæ Mariæ Teutonicorum de Confluentia*, oportet ſcire, quod domus ſive commendaria de Pitzenborg Mechliniæ dependeat à Balivia Confluentiæ, & domus hæc à Pitzenburgica, Ita *le Roy*.

Anno 1280.

Equites Ordinis Teutonici.

Diplomata Equites illos concernentia, quæ ibidem refert, inde ſubjungo. In quorum primo Princeps eos liberat ab oneribus telonii &c. in ſchaldi.

Obtinent Privilegia.

„JOANNES Dei gratiâ Dux Lotharingiæ & Bra-„bantiæ, univerſis præſentes litteras inſpecturis „ſalutem & cognoſcere veritatem.

1. Libertatem telonii in ſchaldi.

„Notum vobis facimus, quod nos ob re-„medium animæ noſtræ & Anteceſſorum noſtro-„rum liberamus, quitamus, & quitos clama-„mus in perpetuum FRATRES domûs TEUTO-„NICORUM in Allemania ab omnibus exactioni-„bus, winagiis ſeu theloniis, & ab omni-„bus juribus, quæ ab ipſis Fratribus hactenùs „percepimus, ſeu percipere conſuevimus, de qui-„buslibet navibus & vinis ipſorum Fratrum in „Antverpia: volentes, quod dicti Fratres & „ipſorum nuntii in aqua Antverpienſi liberum „habeant tranſitum eundi & redeundi.

„Datum anno domini milleſimo ducentegimo „octuageſimo, ſabbato poſt Aſſumptionem."

In ſecundo diplomate idem JOANNES I. teſtatur ſe Commendatori & Fratribus vendidiſſe in Caſtro

2. Obtinunt domum Antverpiæ.

Anno 1280. Caſtro, id eſt in veteri Burgo, Antverpienſi domum, quæ nunc communiter dicitur *domus gigantea*.

„Nos JOANNES Dei gratiâ Dux Brabantiæ „& Lotharingiæ, Univerſis, præſentes Litteras vi-„ſuris & audituris, volumus eſſe notum, quod „Nos hæreditatem cum omnibus appendentiis „ſuis & pertinentiis, ſitam in Caſtro Antver-„pienſi, quæ hereditas quondam fuit *Gerardi* „*de Anderſtat* militis, & quam erga heredes „dicti *Gerardi* emimus, viris religioſis *Com-„mendatori* & *Fratribus* domûs ſanctæ Mariæ „Teutonicorum in Confluentia, legitimè ven-„didimus: de qua hereditate ex parte dictorum „Religioſorum Nobis ad plenum eſt ſatisfactum; „promittentes dictos Religioſos de dicta heredi-„tate contra quoſcumque defendere & guarandi-„re, præſentium teſtimonio Litterarum ſigilli „noſtri munimine ſigillatarum.

„Datum & actum anno Domini MCC. „octuageſimo quarto in craſtino Pentecoſ-„tes.

3. libertatem incorporandi partem mœnium.

Tertium diploma eſt JOANNIS II. per quod eis concedit ut in mœniis, dictam domum contingentibus, poſſint conſtruere ædificia, modò non impediatur defenſio caſtri.

„UNIVERSIS preſentes litteras viſuris. Nos „JOANNES Dei gratiâ dux Lotharingiæ, „Brabantiæ & Limburgiæ notum facimus, quod „Nos... honorabilibus viris ac Religioſis, No-„bis in Chriſto dilectis COMMENDATORI & FRA-„TRIBUS domûs Teutonicorum de Confluentia „conceſſimus & concedimus, ut ipſi muros „caſtri Antverpienſis, prout à latere poſſeſſio-„num & hereditatis eorum ibidem ſe extendunt, „valeant licitè retinere & debitè; ſalvo tamen, „quod per eorum ædificia, quæ etiam licitè „ſuper dictos muros conſtruere & conſtrui fa-

cere

„ cere poſſunt, tuitio & defenſio Caſtri non „ ſit aliquatenùs occupata; ſed prompta & parata pateat & inveniatur, prout neceſſitas „ requiſierit, quoties fuerit oportunum. Anno 1280.

„ In cujus rei teſtimonium ſigillum noſtrum „ præſentibus duximus apponendum.

„ Actum anno Domini MCC. nonageſimo „ ſeptimo, die ſabbati ante *Lætare Jeruſalem*." Stylo Cameracenſi, adeoque hodierno 1298.

Quod autem Equites illi petierint & obtinuerint libertatem conſtruendi ædificia ſuper muros Caſtri, adeoque augendi domum ſuam, ſatis videtur indicare, illos eam aliquando inhabitaſſe.

Iſabella de Breda benefacit Hoſpitali.

Eodem anno ISABELLA Domina de Breda, eminens Abbatiæ S. Bernardi ad ſchaldim Benefactrix, benefacit Hoſpitali Antverpienſi, conferens eidem varias terras in Parochia de Eekeren ob ſervitium ſibi præſtitum. Diploma ejus ſubjungo ex originali.

Ex Archivis Hoſpitalis.

„ UNIVERSIS preſentes Litteras inſpecturis „ ISABELLA Domina terre de Breda ſalutem „ & noſcere veritatem.

„ Noverit univerſitas veſtra, quod Nos, de „ voluntate & auctoritate Domini *Arnoldi de* „ *Lovanio* Domini de Breda mariti noſtri, „ contulimus & tenore preſentium conferimus, „ propter Deum ac ſervitium nobis ob hoc „ factum, Magiſtre & Conventui Hoſpitalis „ Antwerpienſis bona noſtra jacentia apud *Micke* „ hereditariè poſſidenda ad cenſum duorum de„ nariorum Flandrenſium. Item bona in *Bremedunc* „ jacentia eodem modo ad cenſum duorum de„ nariorum Flandrenſium, nobis à dictis Ma„ giſtra & Conventu ſingulis annis ſolvendo„ rum.

„ Hiis preſentes interfuerunt Domini *Arnoldus* „ *de Lirâ* & *Egidius de Buſenghem* milites.

„ *Hen-*

Anno 1280. „ *Henricus* dictus *Lange* , *Johannes de Hoboken Johannes Hobome* & *Arnoldus Homeken* „ ac *Egidius de Breda* . & *Johannes Utenhoute* „ junior , Homines noſtri.

„ In cujus rei teſtimonium ſigillum noſtrum „ unà cum ſigillo predicti Domini Arnoldi mariti noſtri preſentibus eſt appenſum. Datum „ anno Domini MCCLXXX. feriâ ſecundâ poſt „ feſtum beati Nichaſii.

1281. Supra vidimus Præbendas Capituli poſt ſectionem ſæpiùs dictas tenues & exiles : zelus tamen pro augmento cultûs divini effecit , ut anno ſeculi hujus octogeſimo primo actum & ſtatutum ſit in eodem Capitulo de augendo præbendarum numero uſque ad quadraginta. Sic refert Miræus *de Colleg. Canonicorum Cap.* 91. Sed quâ de Cauſâ ſtatutum hoc effectu caruerit , neſcitur.

Agitur de augendo numero Canonicorum.

1283. Vidi Litteras *Henrici de Mechlinia* Abbatis & Conventûs S. Michaëlis datas anno 1283. , quibus concedunt in emphiteuſim petiam terræ ſitam in Parochia Antverpienſi retrò Curtem Begginarum , in quibus hæc leguntur : *Salvis tamen noſtris minoribus Juſtitiis in terrâ ſupradictâ , prout à Domino ... Duce in allodio noſtro nobis hactenùs ſunt conceſſæ.* Quando autem & à quo Duce Abbatia hoc jus obtinuerit , non liquet.

Abbatia S. Mich. habet minores Juſtitias in alodiis ſuis.

1284. Joannes I. Brabantiæ Dux , qui anno 1282. omnes poſſeſſiones Abbatiæ S. Michaëlis confirmaverat , Hoſpitali etiam benefacit , Terras , quas emerat in Ouſtruweel , in ejus favorem allodiales faciens , per hoc ſuum Diploma , quod ex originali ſubjungo.

Joan. I. benefacit Abb S. Mich. & Hoſpitali.

Ex Archivis Hoſpitalis.

JEHANS par le grace de Dieu Duc de Loth. & de Brabant faſoin à ſavoir à tout cheaus , qui ces lettres verront & oïront , que le wyt bonirs de tere & le tierche part d'un bonie , qui gyſt en la Parroche d'Ouſerwele , la quele

rere

tere Demoſiele SOPHYE fille de Monſeing. Wautier Berthout Seingneur de Maline à vendue à Maitre & Maitreſſe & à Proviſeurs de l'Hoſtelrie d'Anweers, voulons & à cheu Nos accordons, que la tere devant dite le devant nomèe Hoſtelerie d'Anweers tiengne en allout. Anno 1284.

Et pour cheu, que ces choſes devant nome es fermes & eſtables demorunt, avons mys noſtre propre ſeaul à ces Lettres, les queles furent donees, quant on eſcriſoit de l'Incarnation noſtre Seingneur MCCLXXXIV. ans, en mois d'Avryl. 1285.

In protectionem ſuſcipit Begginas.

Anno ſequenti eundem Ducem Antverpienſes Begginas in protectionem ſuſcepiſſe refert Gramaye in ſua *Antverpia Lib. II. Cap.* 8.

Hoſpitale emit terras in Eekeren.

Ex Archivis Hoſpitalis.

Eadem SOPHIA DE MECHLINIA, quæ hoſpitali vendiderat ſuprà memoratas terras in Ouſtruweel, vendidit etiam eidem multas terras in Eekeren, quo ſuper hoſpitali contulit has Litteras hoc anno octogeſimo quinto, quas ex originali ſubjungo.

„ Univerſis preſentes Litteras viſuris SOPHIA „ DE MECHLINIA relicta HENRICI bone „ memorie quondam Domini de Breda ſalutem „ in Domino.

„ Notum ſit univerſis quod... Proviſores & „ Magiſtratus religioſe Domûs videlicèt Hoſpitalis „ Antwerpienſis centum & quinquaginta libras „ Lovanienſes parve monete Nobis de terra ja- „ cente in Ekerne, quam ergà Nos legitimè „ comparaverant, bene & integraliter perſolve- „ runt. In cujus rei geſte memoriam & muni- „ men perpetuum preſentibus Litteris ſigillum „ noſtrum duximus apponendum.

„ Datum anno Domini MCCLXXX. quar- „ to in feſto Sanctorum Martirum Fabiani „ & Sebaſtiani „ *Stylo Cameracenſi adeoque* 1285.

Eodem

Anno 1285. Eodem hoc anno ALEYDIS Domina de Hoboken benefacit Hoſpitali ad augendum in eo Cultum divinum ; & doni ſui confirmationem petivit & obtinuit à JOANNE I. Brabantiæ Duce , ut patet ex his ejus Litteris deſuper confectis , quas ex originali ſubjungo.

Aleydis de Perweis benefacit Hoſpitali.

„ ALEIDIS dicta Domicella de Perweis ; „ Domina de Hobouke univerſis preſentes Litteras inſpecturis notitiam veritatis cum ſalute.

„ Cum Perſone religioſe & honeſte Magiſter „ & Magiſtra domûs Hoſpitalis pauperum apud „ Antwerpiam Capellam & Capellaniam in Hoſpitali predicto conſtruxerint ; ut ibidem ulteriùs & imperpetuum ad laudem Dei divina „ celebrentur , Nos ad augmentationem cultûs „ divini ibidem & alias intendentes , de cenſu „ viginti trium ſolidorum Lovanienſium , in „ quibus Nobis Hoſpitale predictum ratione „ quarumdam terrarum , quas à Nobis apud „ Eecre tenet , & poſſidet , ad augmentationem „ dicte Capellanie remittimus & condonamus „ viginti duos ſolidos dicte monete & ſic domus predicta Nobis & noſtris tantùm ſucceſſoribus in duodecim denarios Lovanienſes „ tenebitur annuatim.

„ In cujus rei teſtimonium ſigillum Illuſtris „ Principis Domini noſtri... Domini JOHANNIS Dei gratiâ Lotharie & Brabantie Ducis ; „ cujus ſiquidem ſuper premiſſis conſenſus acceſſit „ & aſſenſus , cum noſtro ſigillo procuravimus , „ poſtulavimus & fecimus hiis appendi.

„ Datum anno Domini MCC. octogeſimo „ quinto , die Lune poſt feſtum ſancti Nicho„ lai.

1286. Anno octogeſimo ſexto JOANNA DE GHEMENICH Domina de Hoogſtraten liberè pro ſe & ſucceſſoribus renuntiat omni juri , quod ſibi compe-

Patronatus de Hoogſtraten.

competere poterat in jure Patronatûs Eccleſiæ de Hoogſtraten, ad opus Decani & Capituli Antverpienſis; promittens bonâ fide, ſe eos ſuper dicto jure de cætero non vexaturam. Litteras ejus deſuper confectas refert Miræus *Don. Belg. Lib. II. Cap.* 125., unde illas ſubjungo. Anno 1286.

„UNIVERSIS præſentes litteras inſpecturis „JOANNA de Gheminich Domina de Hoch„ſtraten ſalutem & noſcere veritatem. Cedit Capitulo Antverpienſi.

„Noverit univerſitas veſtra quod Nos prop„ter Dominum & ob remedium animarum „Domini Wenemari de Gheminich bonæ memo„riæ, quondam mariti noſtri & noſtræ, „omni juri, quod habemus vel habere potui„mus, & quod Nobis competiit vel competere „potuit in jure Patronatûs Eccleſiæ de Hoch„straten, pro Nobis & noſtris ſucceſſori„bus, liberè & abſolutè renuntiamus, ad „opus Decani & Capituli Antwerpienſis: „promittentes bonâ fide, quod dictum Deca„num & Capitulum de cetero non vexabimus nec „vexari per alios procurabimus ſuper jure Pa„tronatûs prædicto.

„In cujus rei teſtimonium ſigillum noſtrum „præſentibus Litteris duximus apponendum. „Actum & datum anno Domini milleſimo „ducenteſimo octogeſimo ſexto dominicâ poſt „Trinitatem."

An autem Capitulum Antverpienſe deinceps fuerit in poſſeſſione illius juris, non liquet. Interim anno 1533. in erectione Capituli Hoogſtratani, relatâ apud Miræum *Dipl. Belg. Tom. II. Pag.* 1277., adſcribitur jus illud Domino tunc Comiti, nunc Duci Hoogſtratano, qui hodieque illo gaudet. Hodie Duci Hoogſtratano

Poſſeſſiones & bona Eccleſiarum hoc tempore cautè ſatis conſervata non fuerant, plurima alienata Bona Hoſpitalis & S. Mich. illicitè alienata.

Anno 1286. alienata erant illicitè & diſtricta : undè tandem ruina timebatur, niſi negligentiæ huic tempeſtivè obviaretur: Hoſpitale & Abbatia S. Michaëlis pro oportuno remedio ad S. Sedem recurrunt. Pontifex autem deputat viros qualificatos, quibus mandat, ut non tantùm impediant, nè imposterum alienationes ſimiles fiant; ſed etiam bona ſic alienata revocent & contradicentes per cenſuras Eccleſiaſticas compeſcant. Bullam deſuper in favorem Hoſpitalis miſſam ſubjungo ex originali.

1288. Revocantur. „NICOLAUS Epiſcopus ſervus ſervorum „Dei dilecto filio... Prepoſito Eccleſie ſancti „Jacobi Bruxellenſis Cameracenſis dioceſis ſa„lutem & Apoſtolicam benedictionem.

Ex Archivis Hoſpitalis. „Dilectarum in Chriſto filiarum Magiſtre & „Sororum Hoſpitalis Antwerpienſis Cameracen„ſis dioceſis precibus inclinati, preſentium „tibi auctoritate mandamus, quatenus ea, que „de bonis ad Hoſpitale ipſum ſpectantibus alie„nata inveneris illicitè & diſtricta, ad eas & „proprietatem ejuſdem Hoſpitalis ſtudeas legiti„mè revocare, contradicentes per cenſuram „Eccleſiaſticam, appellatione poſtpoſitâ, com„peſcendo. Teſtes autem, qui ſciverint veri„tatem, ſi ſe gratiâ, odio vel timore ſub„ſtraxerint, cenſurâ conſimili, appellatione „ceſſante, compelles veritati teſtimonium per„hibere.

„Datum Rome apud ſanctam Mariam ma„jorem VIII. Kal. novembris, Pontificatûs noſtri „anno primo.

„NICOLAUS PP. IV.

BONIFACIUS VIII. ſimilem Bullam edidit in favorem Abbatiæ ſancti Michaëlis anno ſeculi hujus nonageſimo ſexto, quæ indicatur apud
1290. Sanderum *Chor. Sac. Abb. S. Mich. Cap. IV.*

Dux Brab. confirmat jura Abb. S. Mich. in *Nederockerſeel*. Abbatia S. Michaëlis poſſidet in *Nederockerſeel* juxta Lovanium Perſonatum, decimas & jura

varia

varia, quæ ipſi hoc anno 1290. confirmata ſunt per Ducem Brabantiæ. Quo ſuper Van Geſtel *Hiſt. Archiep. Mechl.* part I. pag. 111. hæc refert. Anno 1290.

Abbatia S. Michaëlis Antverpiæ Ord. Præm. hic loci habet amplum Dominium & Juriſdictionem, ac jus ponendi Majorem & VII. Scabinos dono JOANNIS I. Ducis Brabantiæ anno 1290., poſſidetque inſigne Prætorium & Curiam cenſualem. Eccleſia adminiſtratur per Canonicos præfatæ Abbatiæ, quæ hic Curionem è gremio ſuo conſtituit, qui ex decimis hujus pagi, quas levat hæc Abbatia, ſuam annuè percipit portionem congruam. Spectavit olim res ſacra hujus Eccleſiæ ad Capitulum Soigniacenſe in Hannonia, quod dein tranſcripſit ſuum jus Patronatûs & decimas hujus pagi præfatæ Abbatiæ. Hæc eſt origo juris, quo præfata Abbatia adminiſtrat hanc Curam paſtoralem. *Ita Van Geſtel loco citato.*

Didici, inquit le Roy *Not. March. S. R. J. Lib. I. Cap.* 14. ex monumentis Monaſterii Affligemienſis, quod olim in hac urbe fuerit Cœnobitica manſio ſeu Cella, ut veteri verbo utar, Ordinis S. Benedicti, D. Mauro dicata, Affligemienſi Abbati ſubjecta. Porro quo ſeculo cœperit aut deſierit, aſſequi non potuimus: opinantur aliqui duraſſe ſolùm ad annum MCXC. in Parochia Caſtri, in loco, qui in hodiernum diem vocatur *het Hof van Affligem*, qui tandem ad alios uſus accomodatus fuit & in plures ædes diviſus, quarum proprietas tamen penes Affligemienſes manſit ad annum MDLXXX., quando 10. Junii in auctione publicâ prædia illa acquiſivêre hæredes Ægidii Hofman. Cella D. Mauri.

Cæterùm dolendum eſt, quod manſio illa Benedictinorum in hâc urbe evanuerit, cum primum

Anno 1290. Chriſtianæ fidei lumen à Benedictinis acceperit; à S. Amando, Humberto aliiſque. Ita *le Roy*.

Origo ejus. Cænobitica hæc manſio veroſimiliter, ut ſuprà vidimus, originem habuit in fine vitæ S. Amandi, dum Eccleſiam Antverpienſem commendavit Abbati de Quortolodra, qui jus ſuum tranſcripſit ſequenti ſeculo S. Willibrordo, qui illud eodem tempore dedit Abbatiæ Epternacenſi in Ducatu Luxemburgenſi. Non obſtat autem, quod dicatur jubjecta fuiſſe Abbatiæ Affligemienſi, quæ ſeriùs fundata fuit: quia Abbates Affligemienſes plures ſimiles Cellas, anteà exſtantes, regendas ſuſceperunt, ut videri poteſt apud Sanderum *Chor. Sac. Abbat. Afflig. Cap.* 1.

Eodem hoc ànno, quo Cella D. Mauri ſeu Benedictinorum manſio Antverpiæ deſiiſſe putatur, alia communitas magis ſe Religioni mancipavit. Ita ut Antverpia, quæ, creſcens opibus & civibus, etiam incrementum rei Eccleſiaſticæ ſummoperè exoptabat, damnum indè non tulerit.

Beggardi aſſumunt Regulam. Beggardi enim, qui jam per ſexaginta duos annos Antverpiam incoluerant, &, ut fert nuda traditio, ſolo charitatis vinculo uniti vixerant, hoc anno tertiam S. Franciſci Regulam aſſumpſerunt & *Fratrum de pœnitentia* nomen ſortiti ſunt; ſicque ſtrictiùs religioni ſe mancipaverunt.

Regulam iſtam fratribus & Sororibus de pœnitentia præſcripſerat NICOLAUS PP. IV. anno præcedenti per Bullam datam 16. kal. Septembris, quam integram refert Moens *Priv. III. Ord. S. Franc. pag.* 3. Eandem Regulam idem Pontifex Beggardis confirmavit per Bullam datam hoc anno 6. idus Auguſti, in qua ſtatuit, quod Miniſtros habere debeant ex proprio Ordine. *Ibid. pag.* 14.

Hinc

Hinc grati Pontificibus & Principibus magnis ab eis privilegiis, protectionibus & ſpiritualibus prærogativis dotantur; notanter à JOANNE XXII. CLEMENTE V. & URBANO V. Pontificibus, & à JOANNE II. & III. Brabantiæ Ducibus. Et vel inde liceat colligere eos hoc tempore vixiſſe in communi, quod Scribanius *Orig. Antv. cap. XI.* differt ad annum 1455. Non eſt enim veroſimile Pontifices & Principes Bullas & diplomata inſcripſiſſe diſperſis, & privilegia ac immunitates conceſſiſſe ſolo charitatis vinculo unitis. Conſtat interim Beggardos Thenis conventualiter vixiſſe anno 1276., idque ex Diplomate JOANNIS Duc. Brab. eo anno dato, quod refert dictus Moens *pag.* 19. Item Beggardos Brugis hoc anno vixiſſe in communi: & quidem Præpoſitum & Capitulum B. Mariæ ejuſdem civitatis hoc anno ſub certis conditionibus conſenſiſſe, ut intrà domum ſuam haberent Oratorium & Capellanum, qui in eo miſſam celebraret. Litteræ deſuper confectæ referuntur *Dipl. belg. tom. III. p. I. cap.* 168. Et quantum ad Antverpienſes noſtros, conſtat eos poſt ſex annos id eſt 1296. Conventum habuiſſe, idque ex diplomate JOANNIS Brab. Ducis infrà ad eum annum referendo, quo eis privilegia concedit. Conſtat itaque Beggardos diverſis illis locis, dictis annis, Conventus habuiſſe & conventualiter vixiſſe: ſed in nullo diplomate notatur, Conventus illos tunc, quando dabantur Litteræ, originem ſumpſiſſe: unde colligere datur, Conventus illos Beggardorum ſubſtitiſſe ante data illa diplomata. Imò quidnî inde credamus, Beggardos ab origine conventus habuiſſe & conventualiter vixiſſe: cum non niſi ex nuda traditione habeamus, eos initio ſparſim habitaſſe.

Anno 1290.

Obtinent Privilegia.

Vivunt in Communi.

Non eſt autem dubitandum, quin aſſumptâ Regulâ approbatâ uniformem habitum geſtaverint:

Habitus qualis.

 rint:

Anno 1290. rint : hoc enim Pontifex eis mandat in ſuprà citata bulla, eumque præſcribit hoc modo : „ Fratres... de humili panno in pretio & colo-„ re, non prorſus albo vel nigro, communi-„ ter veſtiantur... Clamides quoque ac pelles „ abſque ſcoloraturis ſciſſas vel integras, affi-„ bulatas tamen vel patulas, ut congruit ho-„ neſtati, clauſaſque manicas Fratres habeant „ ſupradicti.

Talem Pontifex habitum Beggardis hoc tempore præſcripſit, qui ſucceſſu temporis mutatus eſt : dicit enim Le Roy *Not. march. S. R. J. Lib. I. cap.* 12. de Beggardis noſtris : memoriâ noſtrâ habitum nigrum in leucophæum & zonam in funem more Minoritarum mutarunt.

1291. Anno ſequenti *Egidius de Wyneghem* ſecundus Eccleſiæ Antverpienſis Decanus, qui multum laboris impenderat in evocationem Monialium Ordinis ſancti Victoris, quique jam per duodecim annos tamquam proviſor curam illarum geſſerat, & tum in conſtructione Cœnobii, tum in ſtatuendis, quæ regularitatem Domûs & Religionis concernunt, indefeſſus fuerat; fundat in prædicto cœnobio Beneficium deſerviendum per ſacerdotem, qui curam animarum prædictarum Religioſarum gerat, & agat omnia, quæ juxta exigentiam Ordinis earum requiruntur.

Fundatur Cura victorinarum.

Aſſignat autem pro dicto Beneficio varia de bonis ſuis & cenſibus ſitis in Weſele, Wyneghem, Borsbeek & Wilryck ; imò & domum quam ædificaverat in fundo dicti Monaſterii, extrà tamen Clauſtrum. Patent hæc ex Litteris deſuper confectis, quas ex Originali ſubjungo.

Bona Aſſignata.

„ IN NOMINE Patris & Filii & Spiritûs „ Sancti Amen. Notum ſit univerſis tam pre-„ ſentibus quàm futuris, quod ego *EGIDIUS* „ *DE*

Ex Archivis Capituli.

„*DE WINENGHEEM* Decanus Eccleſie Anno
„Antwerpienſis, compos adhuc & ſane men- 1291.
„tis mee, ad cultum divini officii augmen-
„tandum, & ob remedium anime mee & pa-
„rentum meorum, condo & fundo Beneficium
„in Clauſtro ſancte Margarete Monialium Or-
„dinis ſancti Victoris juxtà Antwerpiam, per-
„petuò per Sacerdotem ydoneum deſerviendum,
„ſecundùm ordinationem â me faciendam, de
„bonis meis emptis & modo quolibet acquiſitis,
„& inferiùs annotatis.

„In primis confero & aſſigno ad dictum be-
„neficium bona mea in *Weſele*... de quibus
„ſolvunt... quatuor ſextarios ſiliginis annuatim
„de terrâ, que vocatur *Tatsbeemt* jure here-
„ditario. Item... de terrâ, que fuit Henrici
„Vrude... triginta Sol. Lov. & ſex pullos
„jure hereditario.

„Item... viginti Sol. & quatuor pullos an-
„nuatim jure hereditario de terrâ, que voca-
„tur *Dunekensbrake*.

„Item duo prata continentia duo bunaria...
„valentia annuatim circa viginti duos ſolidos &
„duos pullos...

„Item aſſigno ad dictum beneficium bona
„mea in *Winengheem*... manſum ſcilicet ſol-
„ventem decem Sol. & duos pullos communi-
„ter currentis annuatim. Et duas petias prati...
„que petie continent dimidium bunarium boni
„prati & ultrà, & tenentur iſta de Curia de
„Dorne pro duobus denariis & obolo jure he-
„reditario.

„Item de eiſdem bonis... aſſigno petiam
„unam terre jacentis retrò manſum Willelmi de
„Fine verſùs meridionalem partem juxtà viam.
„Item aliam petiam terre jacentem ultrà viam
„verſùs orientem, ſolventem ſeptem deñ pres-
„bytero de *Winengheem* jure hereditario.

Anno 1291. „Item aliam petiam terre arabilem parvam „jacentem in *Ruggewelt* juxtà herſtrate, ſol„ventem duos denarios & obolum monachis „de Grimbergis : que tres petie continent circà „unum bunarium terre arabilis, de quibus „tribus petiis ſolvit Nicholaus Vordrade unum „ſextarium ſiliginis annuatim jure heredita„rio...

„Item aſſigno & do ad dictum Beneficium „petiam terre in *Widewelt*... jacentem verſus „*Dorpe*. Item aliam petiam... juxtà mediam „viam, juxtà terram Willelmi Grave, que „due petie continent dimidium bunarium vel „circiter, & eſt allodium utraque petia. Item „duas petias terre in *Ruggewelt*... jacentes „juxtà herſtrate, continentes quartam partem „bunarii terre arabilis & ultrà.... quas quatuor „petias tenet Walterus filius Walteri de Dorpe „pro duabus ſircellis ſiliginis & duobus pul„lis...

„Item confero & aſſigno ad dictum Benefi„cium ſuperiùs nominatum manſum unum cum „domo mea in *Winengheem*, jacentem ſuper „*Bruerſtrate*, de quo ſolvit Gerardus Duffel„man annuatim in feſto beati Remigii viginti „ſol. Lov. & ſex pullos, & eſt dictus man„ſus allodium purum.

„Item confero & aſſigno in *Winengheem* tres „ſolidos & duos pullos annuatim de terra, „quam habet Cecilia de Bulle à me jure here„ditario, jacente ſuper *Bulle*.

„Item aſſigno & confero ad dictum Benifi„cium duos manſos jacentes in *Winengheem* „ſuper *Vluet*, ſolventes ſex Sol. annuatim & „quatuor pullos...

„Item aſſigno unum manſum in *Winengheem* „juxtà *Vluet*, de quo ſolvit... jure heredi„tario... tres Sol. & duos pullos.

„Item

„Item aſſigno ad dictum Beneficium unum „manſum in *Winengheem* juxta *Vluet*, de „quo ſolvit.... jure hereditario ſeptem ſol. „ſex deñ & duos pullos. Anno 1291.

„Item aſſigno ad dictum beneficium in *Bor-* „*ſebeke* manſum unum cum ſuis appenditiis ja- „centem in hamello, qui dicitur *Ederincho-* „*ven*... de quo ſolvunt heredes petri de *Ede-* „*rinchoven* quadraginta quinque ſolidos monete „communiter currentis & octo pullos, & eſt „allodium purum.

„Item petiam terre in *Wilrike*.... quam „tenet â me... pro ſex modekinis ſiliginis & „duobus pullis annuatim, & eſt allodium...

Obligatio Capellani.

„Inſuper ordino & volo, quod Capellanus, „cui dictum beneficium collatum fuerit, in „dicto beneficio ſerviat diligenter in omnibus „in dicto monaſterio, ſecundùm quod Ordo „dictarum monialium requirit, & nichilomi- „nus teneatur ad chorum in Eccleſia Antwer- „pienſi tamquam Capellanus, quando vacare „poterit; ſalvo tamen in omnibus ſervitio in „dicto monaſterio faciendo, prout Ordo dic- „tarum Monialium requirit.

Si deſtruatur Monaſterium

„Et ſi dictum Monaſterium quoquo caſu „annullari in poſterum contigerit, quod abſit, „volo, quod dictum Beneficium ad Eccleſiam „Antwerpienſem redeat, & Capellanus dicti „beneficii in Eccleſia Antwerpienſi tamquam „Capellanus deſerviat, & diebus alternatis miſ- „ſam pro defunctis ob remedium anime mee „& meorum legat in altari beatorum Laurentii „& Martini ante miſſam Parochialem, vel „poſt miſſam animarum parochianorum, pro- „ut vacare poterit & ſibi viſum expedire; & „aliis diebus legat de die vel de Sanctis, prout ei „Dominus inſpiraverit: Et ad hec facienda per De- „canum & Capitulum Eccleſie Antwerpienſis com- „pellatur....

Anno 1291.

Ex hoc articulo patet, hoc tempore miſſam Parochialem quotidie celebratam fuiſſe in Eccleſia B. Mariæ, & etiam quotidie miſſam pro defunctis Parochianis.

Miſſa Parochialis duplex quotidie.

„ In cujus rei teſtimonium ſigillum meum „ preſentibus duxi apponendum. Item ſuplico „ Capitulo meo Eccleſie Antwerpienſis, ut in „ teſtimonium & confirmationem premiſſorum „ omnium ſigillum ſuum unâ cum ſigillo meo „ proprio preſentibus apponat.

„ Et nos Capitulum Eccleſie Antwerpienſis ad „ ſupplicationem Domini *E. de Winengheem* „ Decani noſtri ſigillum noſtrum, prout ſup„ plicavit, in teſtimonium & confirmationem „ premiſſorum unâ cum ſigillo ſuo preſentibus „ duximus apponendum.

Collatio Capellaniæ.

„ Placet etiam nobis & in hoc conſentimus, „ quod dictus Dominus E. Decanus noſter „ predictum beneficium ab ipſo inſtitutum con„ ferat perſone ydonee temporaliter ſive cano„ nicè, quoad vixerit, prout ſibi viſum fue„ rit expedire; & quod poſſit committere uni „ tertie perſone, cui voluerit, collationem „ dicti beneficii, quoad vixerit, quotiens ad „ hoc obtulerit ſe facultas poſt ipſius Decani „ deceſſum. Ita tamen, quod poſt deceſſum „ dicte perſone collatio dicti beneficii ad nos „ liberè revertatur.

Confertur ei domus.

„ Inſuper domum meam novam, quam ædi„ ficavi in fundo clauſtri juxtà clauſtrum, „ aſſigno & confero Capellano dicti clauſtri ad „ inhabitandum & manendum, quando ſibi „ viſum fuerit expedire. Et ſi in dicta domo „ inhabitare non voluerit, Prioriſſa & Conven„ tus utantur domo predictâ, ſalvâ ſubſtantiâ „ domûs predicte.

„ Datum anno Domini milleſimo ducenteſi„ mo nonageſimo in craſtino octavarum Epy-

„ phanie

„ phanie Domini." Stylo Cmeracenſi, adeoque anno 1291. Anno 1292.

Cum autem domus aſſignata in relatis Litteris ædificata eſſet in fundo Monaſterii, Prioriſſa & Conventus fundum illum mancipant dicto Curato per has Litteras deſuper confectas anno ſequenti.

„ Univerſis preſentes Litteras inſpecturis M. „ Prioriſſa & Conventus S. Margarete juxtà „ Antwerpiam, Ordinis ſancti Victoris ſalutem „ & noſcere veritatem.

Moniales conferunt Capellano fundum, in quo domus ejus.

„ Noverit univerſitas veſtra, quod nos fun- „ dum ſive manſum noſtrum extrà clauſtrum „ noſtrum propé percetam noſtram jacentem, „ in quo fundo vir venerabilis Dominus E. „ Decanus Eccleſie B. Marie Antwerpienſis domum „ & edificia conſtruxit ad opus Capellanorum „ noſtrorum, quos pro tempore habebimus, „ cum foſſatis circumjacentibus, damus & „ conferimus dictis Capellanis de conſilio pro- „ viſorum noſtrorum in perpetuum habendum „ liberè & poſſidendum.

„ In cujus rei teſtimonium ſigilla noſtra, „ unà cum ſigillis Venerabilium virorum Domini „ E. Decani, magiſtri Nicholai Canonici, „ & magiſtri Johannis Plebani Eccleſie B. Marie „ Antwerpienſis Proviſorum noſtrorum preſen- „ tibus duximus apponenda.

„ Actum & datum anno Dni MCC. nonage- „ ſimo ſecundo, in craſtino Aſſumptionis B. M. „ Virginis."

Eodem hoc anno nonageſimo ſecundo Marchio noſter Joannes I. Brabantiæ Dux confirmat Abbatiæ S. Michaëlis univerſas & ſingulas poſſeſſiones ſuas & libertates, quas uſque in eum diem poſſederat, ſuo ac Prædeceſſorum ſuorum temporibus à quibuſcumque perſonis acquiſitas. Et notanter concedit Abbati & Conventui

Abb. S. Mich. obtinet jus habendi Refugia in 7. Civitatibus.

Anno 1292. ventui ejuſdem Monaſterii, ut de cætero poſſint habere & tenere manſionem unam in quolibet de ſeptem ſuis oppidis, videlicet Lovanio, Bruxellâ, Antverpiâ, Buſcho, Thenis, Nivellâ & Lewis. „Quam manſionem, inquit, in quolibet oppido de prædictis, pro „ſuo ac ſuorum commodo ſucceſſorum, & „uſu quocumque, licentiamus iiſdem Religio„ſis poſſe habere perpetuò & tenere." Diploma deſuper datum refertur *Dipl. Belg. Tom. IV. p. II. Cap,* 107. Conceditur hìc Abbatiæ jus habendi Refugium etiam in Oppido Antverpienſi, quia Abbatia hactenùs erat extrà muros.

Defectus in Hoſpitali. Irrepſerant hoc tempore in Hoſpitali Antverpienſi defectus quidam circà ætatem & numerum Sororum recipiendarum, & circà acceptationem earum. GUILLERMUS D'AVENES Epiſcopus Cameracenſis volens defectus illos tollere, eoſdem reformans nova quædam ſtatuit per Diploma, quod ex originali hìc ſubjungo.

Reformantur per Epiſc. Cam „UNIVERSIS preſentes litteras inſpecturis Gu„ILLERMUS Dei gratiâ Cameracenſis Epiſcopus „ſalutem in Domino ſempiternam.

Ex Archivis Hoſpitalis. „Noverit univerſitas veſtra, quod Nos Hoſ„pitale de Antwerpia favore volentes benevolo „proſequi, ſaluti quoque eorum, pacem & „honeſtatem ſectantium, providere ſalubriter, „& per animadverſionem condignam exceſſibus „ibidem degentium obviare.....

Circà ætatem recipiendarum. „Statuimus & ſpecialiter inhibemus, nè de „cetero aliqua recipiatur in Sororem Hoſpitalis „predicti, niſi vigeſimum annum ſue etatis „attigerit & ydonea ſit ad hoc, quod infirmis „in dicto Hoſpitali egrotantibus ydoneum exhi„beat famulatum.

Circà receptionem earum. „Item ſtatuimus & ſpecialiter inhibemus ac „expreſ-

„ expreſè , quod ad vacaturas Prebendas nulla „ perſona , antequam vacent , recipiatur de „ ceterò , nec ſuper hoc fiat promiſſio vel obli- „ gatio quoquo modo. Anno 1292.

„ Item cum vires facultatum ipſius Hoſpitalis „ ſint impares numero Fratrum & Sororum „ Hoſpitalis ejuſdem , nè predictum Hoſpitale „ ampliori Fratrum ac Sororum numero per- „ gravetur , ſtatuimus , ut in dicto Hoſpitali „ non recipiantur de cetero , donec ad ſex So- „ rores ipſarum Sororum numerus , & Fratrum „ numerus ad tres Fratres devenerit : nec tunc „ deinceps numerus Sororum ſeptem Sorores , „ & numerus Fratrum Fratres quatuor excedat ; „ niſi bonorum temporalium incrementum hoc po- „ poſcerit & id de noſtra proceſſerit licentia ſpeciali.

Circà numerum Fratrum & Sororum.

„ Precipimus autem & injungimus Magiſtre , „ Fratribus & Sororibus Hoſpitalis predicti in „ virtute ſancte Obedientie , ut premiſſa omnia „ & ſingula firmiter & inviolabiliter faciant , te- „ neant , adimpleant & obſervent.

„ In quorum omnium teſtimonium & muni- „ men preſentibus Litteris ſigillum noſtrum dux- „ imus apponendum. Datum anno Domini „ milleſimo ducenteſimo nonageſimo ſecundo , „ in craſtino Bartholomei Apoſtoli. ”

Loca in Monaſteriis vocantur Præbendæ.

Ex his Litteris videmus Loca in monaſteriis hoc ſeculo veniſſe Præbendarum nomine , & tamquam Præbendas collata fuiſſe. Unde Locorum illorum collatio non tantùm uſibus , ſed & abuſibus , quæ in collationibus cæterarum Præbendarum irrepſerant , hoc & ſequentibus temporibus ſubjecta fuit , cum diſciplinæ monaſticæ detrimento non modico.

Abuſus hoc tempore communis erat in Præbendarum collationibus , quod conferrentur antequam vacarent , aut promiſſio aut obligàtio deſuper fieret. Unde circa hæc tempora videmus

Abuſus in conferendis antequam vacarent.

Anno 1292. mus in pluribus Conciliis de abuſu illo agi & prohiberi, nè conferentur Præbendæ antequam vacarent. Cumque loca in Monaſteriis venirent nomine Præbendarum, abuſus hic in receptione Monialium etiam irrepſerat: quem tollere volens Epiſcopus Cameracenſis, in ſuprà relatis Litteris prohibet ſpecialiter & expreſsè Monialibus Hoſpitalis Antverpienſis, ne de cætero ſimiles receptiones, promiſſiones aut obligationes fiant, antequam loca ſeu Præbendæ in Monaſterio ſuo vacent.

Origo Collationis Præbendæ, vulgò Pain d'Abbé.

Non diu poſt hæc tempora alius invaluit abuſus. Epiſcopi, qui in collatione aliarum Præbendarum partes ſuas habebant, & aliquarum collationem ſibi reſervabant, etiam in Locis in Monaſteriis, quia Præbendæ vocabantur, partes ſuas habere volebant. Initio quidem commendabant, deinceps importuniùs inſtabant, & tandem mandabant in Sorores acceptare præſentatas; quod in uſum tranſiit & conſuetudinem: unde tandem Epiſcopi jus ſibi arrogarunt conferendi præbendam unam in ſingulis Monaſteriis, idque titulo promotionis ſuæ ad dignitatem Epiſcopalem, ſeu jucundi adventûs ad Eccleſiam ſuam.

Confertur per Epiſcopum.

Primò ex gratia ſpeciali.

Anno ſiquidem 1367. contulerat Epiſcopus Cameracenſis panem ſeu Præbendam in Hoſpitali Antverpienſi cuidam Elizabethæ Smoys nepti Secretarii ſui: ſed Religioſæ prædicti Hoſpitalis collationi huic ſeſe oppoſuerunt, nolentes nominatam acceptare, donec Epiſcopus declararet, ſe non de jure, ſed ex gratiâ ſpeciali præbendam hanc petere pro nominatâ. Ceſſit igitur Epiſcopus, & deſuper Litteras miſit ad Hoſpitale prædictum, quas hìc ſubjicio exceptas ex Actu notariali, confecto prædicto anno, ſuper dictarum Litterarum receptione & apertione, & reſponſo ad eaſdem.

„DILECTIS

„DILECTIS nobis in Chriſto Proviſori, „Magiſtre, Fratribus & Sororibus Hoſpitalis Antwerpienſis EPISCOPUS Cameracenſis. Anno 1292. *Ex Archivis Hoſpitalis.*

„In Chriſto Cariſſimi, ſuper pane ſeu prebendâ domûs veſtre, quam nuper *Eliſabethe Smoys*, nepte dilecti Secretarii noſtri Johannis Daniëlis, in dictâ domo veſtrâ ratione jocundi adventûs noſtri conceſſimus, contendere nolentes, placet nobis & vos rogamus, quatenùs liberaliter & ex gratiâ prebendam ipſam dicte Elizabethe noſtri contemplatione & amore concedatis, exhibentes vos in hiis adeò paratos, quod vobis per ampliùs teneamur. Dominus vos conſervet. Scriptum in Caſtello die primâ Novembris."

Quantum ad reſponſum Religioſarum deſuper datum eis, qui ex parte Epiſcopi Litteras has tulerant, hæc leguntur in prædicto notariali Actu.

„Conventus, deliberatione maturâ prehabitâ, vocavit Arnoldum & Lambertum antedictos, & ipſis in Dei nomine panem ſeu prebendam ipſam, nomine & ad opus dicte *Elizabethe Smoys*, liberaliter & ex gratiâ propter Deum, contemplatione & amore prefati reverendi Patris unanimiter & concorditer per organum dicte Domine Prioriſſe contulit, & eandem Elizabeth de ipſis pane & Prebendâ in perſonas dictorum Arnoldi & Lamberti inveſtivit more debito & conſueto, nemine contradicente, ſed omnibus & ſingulis ad Conventum ipſum ſpectantibus conſentientibus pariter & aſſentientibus expreſsè." Acceptatur in Hoſpitali Antv.

Hinc patet origo juris illius, quod deinceps Epiſcopi Cameracenſes ſibi competere dixerunt.

Imo, quod vidimus hìc ſuprà per Epiſcopum Cameracenſem ſpecialiter & expreſsè prohiberi, nè Deinde jure etiam antequam vacaret

Anno 1292. ne ſcilicet fiant nominationes , receptiones ; promiſſiones aut obligationes ad Præbendas antequam vacent , practizarunt. deinceps communiter Epiſcopi ejus ſucceſſores , in omnibus Diœceſis ſuæ Monaſteriis conferentes Locum , ſeu nominantes ad primam vacaturam Præbendam ; mandantes Religioſis , ut nominatam in Sororem reciperent. Exemplum hujus collationis ſeu nominationis hic ſubjungo (in quo Epiſcopus jus ſuum ex uſu & conſuetudine ortum proponit) Litteras videlicet *Roberti de Croy* Epiſcopi Cameracenſis, per quas eo modo Præbendam confert in Monaſterio de Auderghem Dominicanarum juxtà Bruxellas , relatas apud Miræum *Dipl. belg. tom. III. pag.* 643.

Litteræ Epiſ. deſuper datæ. „ROBERTUS &c. Religioſis nobis in Chriſto „ dilectis Dominæ Abbatiſſæ & Conventui Mo„ naſterii de Auwerghem noſtræ Diœceſis ſalu„ tem in Domino.

„ Cum ex laudabili & antiqua conſuetudine, „ per bonæ memoriæ Prædeceſſores noſtros hac„ tenùs inviolabiliter obſervatâ , Nobis ratione „ promotionis noſtræ ad dignitatem Eccleſiæ „ noſtræ Cameracenſis , competat atque liceat „ in quolibet Monaſterio ſeu loco ſacro , ubi „ religioſæ perſonæ ſub noſtrâ Diœceſi degunt „ & morantur *unum panum*(l. panem) *& locum* „ alicui perſonæ idoneæ conferre & aſſignare.

„ Hinc eſt , quod Nos ... Mariam .... ad „ primos panem & locum in dicto veſtro Mo„ naſterio vacantes nominamus & præſentamus, „ requirentes vos , quatenus ipſam Mariam in „ veſtram ſororem recipiatis , ac primos pa„ nem & locum ibidem vacaturos eidem aſſigne„ tis. Quam quidem Mariam , quoad panem „ & locum ejuſmodi , dum & quando vacave„ rint , volumus omnibus aliis anteferri. In „ cujus rei fidem &c.

„ Datum

„ Datum Bruxellæ anno 1548. vigeſimâ Aprilis." Anno 1292.

Et non tantum Epiſcopi Cameracenſes, ſed etiam Epiſcopi aliarum Diœceſium in Belgio jure hoc utebantur. Unde *Dipl. Belg. Tom. III. Par. IV. Cap. 66.* referuntur ſimiles Litteræ Epiſcopi Tornacenſis datæ centum viginti quinque annis ante hîc ſuprà relatas, ſeu anno 1421. per quas Epiſcopus Præbendam confert in Hoſpitali Aldenardenſi. Sed notandum in illis Litteris, quod nominet Epiſcopus ad Locum tunc vacantem, & quod in fine addatur hæc clauſula: *jure veſtro & quolibet alieno ſemper ſalvo.* Unde patet, jus illud eo tempore non ita firmiter ſtabilitum fuiſſe in Diœceſi Tornacenſi, ſicut deinceps ſtabilitum fuiſſe videmus in Diœceſi Cameracenſi.

Aliæ ſimiles litteræ.

De hoc Epiſcoporum jure poſt erectionem novorum Epiſcopatuum nihil ultrà auditum eſt.

Quantum ad Principem, ille uſque in hodiernam diem in pluribus Abbatiis & Monaſteriis eo jure utitur, & panem ſeu Præbendam in illis confert, idque ab antiquo: jaminde enim anno 1420. Conventus B. Urſulæ Lovanii viâ vulgò *Half-ſtrate* exemptus declaratur ab illo onere per JOANNEM IV. Brabantiæ Ducem, ut patet *Supl. Dipl. Belg. Par. III. Cap.* 198. Sicut & anno ſequenti omnes Conventus Canonicorum regularium in Brabantia ſiti. Apud Sanderum *Chor. Rubeæ vallis cap.* 7.

Confertur hodie per Principem.

Princeps autem prædictas Præbendas vulgariter dictas *Pain d'Abbè*, conferens, iiſdem ferè modo, terminis & rationibus utitur, quibus olim ſolebant Epiſcopi: niſi quod permittat Præbendas illas redimi penſione annuâ, quod certè tolerabilius eſt & minoribus inconvenientiis ſubjectum. Ut autem hæc pateant, ſubjungo hic exemplar Collationis factæ per Principem deſumptum ex Copiâ authenticâ.

Anno 1292.

Litteræ Principis deſuper datæ.

MARIE THERESE par la grace de Dieu Reine d'Hongrie... Ducheſſe de Brabant... Marquiſe du St. Empire Romain.... A Religieuſe perſonnes nos Cheres & bien aimèes la Superieure & Religieuſes de N.... ſalut & dilection.

Comme à cauſe de notre reception & avenement aux Etat des Païs-bas Nous compete & avons droit de donner en chaque Abbaïe, Monaſtere, Prieurès & Hoſpital des dits païs un pain & Prebende, avec les habillemèns & autres droits accoutumèes & ÿ appartenant, meme en votre dit N... Pour ce eſt il, que Nous voulant en ce uſèr de notre dit droit.... avons à N... donnè & conferè... le pain & Prebende, que nous avons droit de donner en votre dit N... avec lès habillements & autres droits ÿ appartenant.

Si vous mandons, & commandons, qu'aiez à recevoir & admettre la dite N... en votre dit N..... Bien entendu, qu'au cas, qu'icelle n'auroit pas l'intention ou vocation d'etre recue & admiſe en votre dit N..., ou que cela nè ſe pouroit faire pour d'autres raiſons, vous aurez à paier annuellement à ſòn profit ſa vie durante la ſomme de.... en recompenſe & redemption du dit pain & Prebende..... Càr ainſi Nous plait il.

En temoin de ce Nous avons ſignè ces preſentes de notre main & à icelles fait mettre notre contreſeel. Donnè à notre ville & reſidence Roiale de Vienne le dixieme Avril 1745.

Præbendas in Hoſpitali fuiſſe veroſimile eſt.

Quod autem hoc tempore & integro ſequenti ſeculo Religioſæ Hoſpitalis Antverpienſis fuerint præbendatæ admodum veroſimile eſt: vidimus enim hìc ſuprà, quod acceptarentur & inveſtirentur etiam abſentes per alium.

Imo quod, licèt triplici Religionis voto ligatæ

gatæ, & in eodem clauſtro ſub obedientia unius Prioriſſæ viventes, ſingulæ ſibi viverent, & exeuntes extrà monaſterium uterentur veſtibus ſecularibus & pretioſis, videtur ſatis clarè colligi poſſe ex Actis anno 1429. per *Oloudum* Abbatem S. Michaëlis, *Gherardum* Priorem Throni B. Mariæ & *Theodoricum* Priorem Carthuſiæ juxtà Antverpiam, qui ad requiſitionem Prioriſſæ & Sororum prædicti Hoſpitalis per MARTINUM PP. V. commiſſi erant ad corrigendos abuſus, qui in eo irrepſerant. In illis enim Actis videmus ſtatui, ut Refectorium Sororibus quantociùs adaptetur: undè colligere datur, Refectorium commune, quod juxta prima Statuta habuerant, eo tempore ceſsâſſe. Prohibentur inſuper veſtes ſeculares & pretioſæ; cumpti crines, diſpoſitio propriorum redituum tamquam ſuorum & alia, quæ indicant vitam præbendatarum. Verba Commiſſariorum ſubjungo.

„Item declaramus Prioriſſam & Sorores non „aliis habitibus ſive veſtibus uti aut indui de„bere, niſi albis ſubtùs & nigris deſuper cum „mantello nigro, non curioſè aut ſumptuoſè, ſed „more Religioſarum factis & compoſitis; ſalvo „quod tempore dumtaxat, quo infirmis vel in „coquina aut domo miniſtrant; quâdam uti „valeant veſte lineâ, ſubtile nuncupatâ. Statuta Commiſſariorum MARTINI V.

„Ipſe etiam Religioſe vario aut aliis fode„raturis pretioſis ſive curioſis, ſerico, auro, „argento vel anulis pro ſuis veſtibus non utan„tur: ſed dumtaxat pellibus cuniculorum, „cattorum & agnorum, quæ etiam ultrà „veſtem minimè protendantur. Circà veſtimenta.

„Similiter in calceis & ornatu capitum, „cujuſmodi ſunt cumpti crines & pendentis cor„nua ranſe; quibus fermè ſeculares laſciviis „ſuis inſervientes utuntur, omnem indecentem „uſum abjiciant..... Circà ornatum capitis.

Anno 1292.

Circà vitium Proprietatis.

„ Inſuper . . . declaramus ; ne aliqua dictarum „ Sororum ſine licentiâ dicte ſue Prioriſſe quidquam emere , vendere , dare , mutuare vel „ occultè accipere debeat. Proprios etiam redditus tamquam ſuos . . . nequaquam recipere preſumant.

Circà Refectorium.

„ Item volumus , quod Refectorium Sororibus quantociùs adaptetur , in quo more religionis Prioriſſa cum eis ſtudeat frequentare „ temporibus ad hoc oportunis , & in eodem „ ſub ſilentio ſacram lectionem audientes . . . inſimul reficiantur . . . . .

Canes.

„ Et ut deteſtandus abuſus , quem dicte ſorores exercere in Eccleſia & menſa & alibi „ cum ſuis canibus conſueverunt , eis minùs „ exemplariter alludentes , de cetero penitùs „ deleatur , ordinando diſtrictè injungimus , „ quod nulla earum de cetero canes tenere , „ nutrire vel habere preſumat , ſive proprios „ ſive alienos . . . . .

Choriſationes.

„ Item choriſationes & ludos in cytharis ceteriſque muſicalibus inſtrumentis , nec non „ ſecularibus cantilenis in eodem Hoſpitali nequaquàm fieri aut permitti etiam à ſecularibus „ perſonis volumus , nec ipſas Sorores extrà „ aut intrà dictum Hoſpitale talibus ſe ingerere „ pronuntiamus ſub penis . . . .

Ex his & aliis in prædictis Actis contentis ſatis veroſimile eſt in Hoſpitali Antverpienſi eo tempore fuiſſe Præbendas , & Religioſas tamquam præbendatas vixiſſe.

Vidi etiam Copiam Libelli ſupplicis , non diu poſt prædictam Pontificiam reformationem , per Religioſas prædicti Hoſpitalis oblati Duci Brabantiæ & Limburgi , ad deprecandam collationem Præbendæ pro primâ vice in hoc Hoſpitali factam per Principem. In eo autem Religioſæ inter alia exponebant Principi , quod

tunc

tunc in Hoſpitali aliæ præbendæ non eſſent, quàm quod Domicellæ bis de die refectionem haberent in communi Refectorio, & certam pecuniæ ſummam pro veſtimentis. Per hoc autem iterum indicari videtur, anteà in prædicto Hoſpitali Præbendas fuiſſe. Anno 1292.

Deinde dicunt, quod locus tunc non vacaret, & quod ſi vacaret, non poſſent recipere niſi notabiles & honeſtas perſonas, capaces ad recitandas horas Canonicas & ad debitè curandum ſervitium infirmorum: qualis non erat, cui præbenda collata fuerat.

Hinc mirum videri non debet, quod ſubſequenti ſeculo, ut ſuprà ad annum 1233. indicavimus, Prælati, Principes & Potentes importunè inſtarent, ut Sorores hujus Hoſpitalis plures ultrà determinatum numerum ad Velum acceptarent.

Religioſæ vocantur Domicellæ.

Cæterum hoc etiam tempore cœperunt Religioſæ, quæ anteà ſimpliciter Sorores vocabantur, vocari *Domicellæ*; & Priorìſſa, quæ antea Magiſtra dicebatur, vocari *Domina*. Hos enim titulos vidi jaminde in authenticis Litteris datis circà annum 1330. Religioſæ autem primævum Sororum nomen reaſſumpſerunt circà initium ſeculi XVII. Prioriſſa vero deinceps adhuc vocata fuit Domina; ſed jam nomen illud ferè exolevit, & communiter *Mater* vocatur.

Unius ex Religioſis, quæ ante relatam reformationem vixit, adhuc hodie extat lapis ſepulchralis in Eccleſia prædicti Hoſpitalis ad latus ſeptentrionale. In eo autem videtur effigiës ejus delineata in habitu religioſo, cum inſculptis ſcutis gentiliciis & hâc circumſcriptione.

Hier leghet begraven Joncvrouwe Lysbet van Hoboken, die ſterf in't jaer ons Heeren als men ſcreef MCCC. *ende* XC. VII. *daghe in September, bidt vore haer ſiele.*

Anno 1294.

JOANNES I. Marchio Moritur.

Anno ſeculi hujus nonageſimo quarto 3. maij Marchio noſter JOANNES I. Brabantiæ Dux, apud Barrum propè Lotharingiam in haſtiludio vulneratus, cum triſtitia multorum diem clauſit extremun. Sepultus eſt Bruxellis in templo Franciſcanorum in medio chori. Monumentum ejus ab Iconoclaſtis deſtructum fuit. Quod autem deinceps poſitum fuit, ALBERTUS Archidux fieri juſſit in memoriam præcedentis, hoc appoſito Cenotaphio.

Potentiſſimus Princeps JOANNES I. *Lotharingiæ, Brabantiæ & Limburgi Dux, S. R. Imperii Marchio in haſti-ludio vulneratus obiit die* 3. *Maij Anno MCCXCIV.*

Ejus progenies.

Uxorem duxerat *Margaretam* filiam S. Ludovici Francorum Regis, quâ defunctâ duxit *Margaretam* filiam Guidonis Comitis Flandriæ, quæ ei peperit JOANNEM ſucceſſorem, Godefridum qui infans deceſſit, *Margaretam* Henrico VII. Imperatori, & *Mariam* Amadæo Sabaudiæ Comiti nuptam.

Ejus pia opera.

Princeps hic anno 1292. in celeberrimo Ordinum Conventu eas Sanctiones edidit, quas *Land-keuren* vernaculè appellant. In quibus inter alia hoc memorandum, quod ligneâ ſerrâ præcidi voluerit cervicem eis, qui virginem matronamve violaverint.

Præter favores conceſſos Eccleſiis Antverpienſibus, plurima pia dona contulit hic Princeps Eccleſiis Eccleſiaſticiſque perſonis in aliis Dominii ſui terris.

Anno ſiquidem 1264. confert ſex jugera terræ arabilis Abbatiæ Indenſi S. Cornelii. Miræi *Don. Belg. Lib. I. Cap.* 130.

Anno 1269. Abbatiæ de Rotthem juxtà Diſthemium Ordinis Ciſtercienſis viginti duo bunaria

Waſti-

Waſtinæ in territorio de Cortenake. *Dipl. Belg. Tom. III. Par. IV. Cap.* 145. Eodem anno allodialem fecit fundum Leproſarii S. Petri Bruxellis. *Ibidem Cap.* 52. Anno 1294.

Anno 1271. Omnes Donationes, collationes & libertates à prædeceſſoribus ſuis conceſſas Abbatiæ S. Bernardi ratas habet & confirmat. *Suppl. Dipl. Belg. Par. I. Cap.* 88. Eodem anno in protectionem ſuſcipit Begginas Bruxellenſes cum omnibus earum Bonis, & confirmat ſtatuta eis præſcripta. *Ibidem Par. II. Cap.* 113. Eodem quoque anno Abbatiæ Vallis-Ducis allodialem facit partem decimæ de Gravia. Cujus etiam fundationes à prædeceſſoribus ſuis factas confirmat anno 1276. *Dipl. Belg. Tom. III. P. IV. Cap.* 113.

Anno 1273. ad promovendam ædificationem Baſilicæ D. Gudulæ Bruxellis mandat ſolvendum fabricæ annum de Præbendis vacantibus. *Dipl. Belg. Tom. IV. P. II. Cap.* 102.

Anno 1277. in favorem Abbatiæ de Foreſto juxtà Bruxellas allodialem facit Decimam de Beerſel. *Ibidem. Cap.* 103.

Anno 1280. & 1284. benefacit Militibus Templi. *Supl. Dipl. Belg. P. II. Cap.* 115.

Anno eodem fundationem Vallis-Duciſſæ in Oudergem confirmat, & omnes ejus poſſeſſiones allodiales facit. *Dipl. Belg. Tom. IV. Par. IV. Cap.* 109.

Anno 1282. & ſeq: benefacit Abbatiæ Vallis-Dei Ciſtercienſium in Ducatu Limburgenſi. *Dipl. Belg. Tom III. P. I. Cap.* 163.

Anno 1283. 1284. & 1286. Abbatiam Parcenſem liberam facit ab oneribus, Theloniis, & jure tranſitûs per terram & aquam, etiam à contributione in expeditionibus &c. *Supl. Dipl. Belg. P. I. Cap.* 97.

Anno 1284. enumerat poſſeſſiones quaſcum-

Anno 1294. que Abbatiæ Grimbergenſis, eaſque in tutelam ſuſcipit. *Dipl. Belg. Tom. IV. P. IV. Cap.* 159.

Anno 1289. fundat Bruxellis in D. Gudulæ Capellaniam in honorem trium Regum, in memoriam Victoriæ à ſe relatæ. *Dipl. Belg. Tom. IV. P. III. Cap.* 55. & alibi alia.

JOANNES II. Marchio.

Patri in Marchionatu ſucceſſit JOANNES II. Brabantiæ Dux, rexitque annis octodecim.

Difficultas circà Perſonatum & decimas de Weſele. Harzi *Annal. Duc. Brab.*

Dominium de Weſt-weſel tenebat hoc tempore *Henricus de Wilre* nobilis Eques Lovanienſis, qui certans pro Gallis contra Flandros cum pluribus Brabantinis Nobilibus ad Cortracum occubuit anno 1302. ſuccedente ei in Dominio de Weſele filio *Godefrido*.

Henricus hic, fortè recenter perveniens ad Dominium illud, jus aliquod prætendebat ad decimas & Perſonatum de Weſele; Hoſpitale autem Antverpienſe in poſſeſſione erat tum decimarum tum Perſonatûs. Vidimus ſuprà *pag.* 268. Litteras, per quas conſtat Hoſpitale anno 1246. decimas ibidem emiſſe, & Litteras, per quas conſtat Ducem Brabantiæ eas in favorem Hoſpitalis allodiales feciſſe. Vidimus inſuper ſuprà *pag.* 287. Bullam Alexandri PP. IV., per quam anno 1257. Perſonatum de Weſele Hoſpitali confirmat, cujus Copiam authenticam hoc anno nonageſimo quarto, & indubiè occaſione hujus contenſionis, fecerunt Abbas S. Bernardi & Prior FF. Prædic. Has Litteras Hoſpitale ad probandum ſuum jus exhibuit Henrico de Wilre: & indubiè ob eandem rationem datum eſt anno ſequenti teſtimonium, quod ſuprà retuli *pag.* 280., per quod Curatus de Weſele teſtatur Hoſpitale tunc fuiſſe ab immemoriali in poſſeſſione percipiendi decimas novales in prædictâ Parochiâ.

1295. Dominus de Weſele cedit omne jus ſuum Hoſpitali.

Dominus autem de Weſele viſis & examinatis his documentis recognovit jus Hoſpitalis, &

& ultrà jus aliquod ad decimas aut ad Perſonatum non prætendit. Imò nè ſucceſſores ejus in Dominio de Weſele futuris temporibus Hoſpitali difficultates deſuper ſuſcitarent, ceſſit omne jus, quod habebat aut habere poterat ad decimas & Perſonatum prædictos, dato deſuper Diplomate anno ſeculi hujus nonageſimo quinto, quod vernaculè conſcriptum ſubjicio ex originali. Anno 1295.

Wi HENRIC VAN WILRE *Riddre ende Here van* WESELE *doen cont allen den ghenen, die ſijn ochte ſelen ſijn, en tie deſe lettren ſullen ſien ochte horen leſen, dat Wi om Gode om orbore onſer ſielen ende onſer Vorvaren hebben ghegheven den Meeſter ende der Meeſterſſen van den Gaſthuſe van Antwerpen, tote des Gaſthuus bueſ, die gychte ende dat Perſonaet van der Kerken van Weſele, ende daer toe alle recht, dat Wi hebben ochte hebben mochten an deſe vorſeide gychte ende an dat Perſonaet ende an die Tiende in de Prochgie van Weſele, bede an die oude ende an die niewe.* *Ex Archivis Hoſpitalis.*

Ende om dat Wi willen, dat dit ſi vaſt ende gheſtade, ſoe hebbe Wi onſen ſeghel ghehanghen an deſe lettren.

Ende Wi bidden Laurenſe Volcarde Riddre, Niclauſe van Winengheem Scoutete van Antwerpen, Everdeye van Lilloe, Pauwelſe Bornecolve, die onſe man ſijn ende Scepene t'Antwerpen, Niclauſe van Santflite ende Janne van Laken onſen Knape, die over deſe dinghe ende over deſe gychte waren, dat ſi in orconſcape van deſen dinghen ende in kenniſſen van waerheden hare ſeghels met onſen seghele hangen an deſe lettren.

Dat was ghedaen ende ghemaect in't Jaer ons Heren dat men ſcryft duſintech twe hondert neghentech ende vive, des Vridaghes naer Sinxendach.

 Ut

Anno 1295.

Ut autem omni difficultati via præcluderetur, ceſſionem hanc fecit prædictus Henricus coram Duce Brabantiæ, rogans eum, ut eam confirmaret; quod Dux fecit per Diploma eodem die datum, quod ex originali, etiam vernaculè conſcripto, ſubjungo.

Dux Braban. confirmat ceſſionem,

Ex Archivis Hoſpitalis.

Wi JAN *bider gratien van Gode Hertoge van Lottrike van Brabant ende van Lymborch doen cont alle den ghenen, die deſe Letteren ſullen ſien ochte horen leſen, dat Wi die gychte, die* HENRIC VAN WILRE *Riddre, Here van Weſele onſe Neve, om Gode om orbore ſire zielen ende ſire Vorvaren gegheven heivet den Meeſter ende der Meeſterſſen van den Gaſthuſe van Antwerpen, tote des Gaſthuus beuf, alſe van den Perſonaet van der Kerken van Weſele, ende daer toe an al dat recht, dat hi hadde ochte hebben mochte an die vorſeide gychte ende an dat Perſonaet, ende an die Tiende in Prochgie van Weſele, bede an die houde ende an die niewe, confirmeren ende ghe-ſtadighen.*

Ende om dat Wi willen, dat dit den Meeſter ende der Meeſterſſen van deſen vorghenoemden Gaſthuſe van Antwerpen tote des Gaſthuus buef vaſt gehouden ſi ende gheſtade van Ons ende van onſen nacomelinghen, ſoe hebben Wi onſen ſegel gehangen an deſe teghenwardige Letteren.

Dit was ghedaen ende gemaect in't Jaer ons Heren duſentech twe hondert neghentech ende vive, des Vridaghes na Sinxene.

Reflectio ad dicta *le Roy*

Si Baro le Roy jam relata vidiſſet, non tam aſſeveranter *Not. Marchi. S. R. I. Lib. II. Cap. XI.* dixiſſet, Hoſpitale ſub Dominio de Weſt-weſele poſſidere decimas & jus Perſonatûs ex dono *Henrici de wilre.* Sed interim veroſimilem rationem habuit hoc ſcribendi, cum vidiſſet

viſdiſſet Copiam Diplomatis ejuſdem, quod ibidem in probam dicti ſui adfert, & alia ad rem facientia non vidiſſet. Anno 1295.

Sed addit *ibidem* le Roy, Hoſpitale in prædicta Parochia ex dono ejuſdem Henrici poſſidere plurimas villas & agros, refertque hoc ſine ulla proba. Certè inter ſchedas Hoſpitalis, nè veſtigium quidem illius rei reperitur. Conſtat autem, Hoſpitale pleraſque terras, quas ibidem hodie poſſidet, poſſediſſe ante tempora Henrici de Wilre, niſi quod ab eo emiſſe conſtet partem Waſtinæ ſeu ericæ; ſed nè ullius quidem virgæ terræ poſſeſſæ ex dono ejus veſtigium invenitur. Undè non video, quid moverit D. le Roy ad hoc ſcribendum; niſi fortè exſcripſerit ex Car. Scribani, qui in *Orig. Antverp.*, agens de Hoſpitali Antverpienſi, inter alia ſimilia primus hoc prelo dedit.

Contentio inter Capitulum & FF. Prædic. circà illectiones ad ſepulturam.

Anno hujus ſeculi ſexageſimo ſecundo, ut ſuprà vidimus, pacta quædam utrimque firmata fuerant inter Capitulum Antverpienſe & FF. Prædicatores ejuſdem Civitatis, inter quæ cautum erat, nè Fratres prædicti quemquam ſollicitarent aut inducerent ad eligendum in monaſterio ſuo ſepulturam. Hoc autem debitè obſervatum non fuerat: unde frequenter contentiones oriebantur. Verùm hoc tempore occaſione ſepulturæ cujuſdam major inde orta fuerat contentio, ita ut ad injurias ventum ſit.

Terminatur.

Fratres autem Prædicti circà punctum hoc ſedari non potuerunt, donec Provincialis ejuſdem Ordinis ſeſe intermiſceret. Hic autem ad examinandam & pacificè finiendam contentionem hanc Antverpiam miſit Vicarium ſuum Fr. Albertum de ſancto Gereone, qui re examinatâ Fratribus Domûs Antverpienſis iterum inhibuit, né per ſe vel per alium aliquem illicerent aut inducerent ad eligendum apud ſe ſepulturam.

Litte-

Anno 1295.

Litteræ deſuper datæ Capitulo.

Ex Archivis Capituli.

Litteras deſuper datas Capitulo anno hujus ſeculi nonageſimo quinto ex originali ſubjungo.

„ UNIVERSIS preſentes Litteras inſpecturis „ Fr. ALBERTUS de ſancto Gereone Ordinis „ Predicatorum domûs Colonienſis, Vicarius „ Fratrum ejuſdem Ordinis per Brabantiam ſalu„ tem in eo, qui eſt omnium ſalus.

„ Univerſitati veſtre notum facimus, quod, „ cum Nos de mandato ſpeciali Prioris Provin„ cialis Fratrum noſtri Ordinis per Theutoniam „ declinaſſemus Antwerpiam ad pacificandum & „ ſedandum quandam diſcordiam, ſuper ſe„ pulturam cujuſdam exortam inter Viros venera„ biles Decanum & Capitulum Antwerpienſis Ec„ cleſie ac eorumdem Eccleſiam & Perſonas ex „ una parte, Priorem & Fratres noſtri Ordi„ nis domûs Antwerpienſis ex alterâ: dicta diſ„ ſenſio, ſancti ſpiritûs cooperante gratiâ, in„ ter predictas partes in noſtrâ preſentiâ & de „ noſtro conſenſu penitùs eſt ſopita, & omnem „ offenſam & injuriam eedem partes ſibi invi„ cem remiſerunt, volentes & promittentes de „ cetero pariter in pace Domino famulari. Et „ quia illectiones ad eligendas ſepulturas extrà „ locum Parochialis Eccleſie diſcordant à tra„ mite rationis, & frequenter ex illis oriatur „ contentio, inhibuimus & inhibemus omni„ bus & ſingulis Fratribus dicte domûs preſen„ tibus & futuris, nè per ſe vel per alium „ aut alios aliquem ad eligendum apud eos ſe„ pulturam fraudulenter aliquatenùs illiciant vel „ inducant: & vice verſâ ſi quis ex devotione „ canonicè alibi quàm in loco ſue Parochie ſe„ peliri elegerit, prefati Decanus & Capitulum „ vel eorum Plebani per ſe vel per alium non „ averteut, omni dolo & fraude ceſſantibus in „ premiſſis.

„ Datum

„ Datum Antwerpie anno Domini MCC. no- „ nag. V....... poſt *omnium ſanctorum.*" Anno 1296.

JOANNES Brabantiæ Dux, qui anno præcedenti in favorem Hoſpitalis Antverpienſis confirmaverat ceſſionem Henrici de Wilre circà decimas & Perſonatum de Weſèle, hoc anno nonageſimo ſexto idem Hospitale in protectionem recipit contra injuriatores & moleſtantes, dato deſuper hoc Diplomate.

JOAN. Brab. Dux. in protectionem ſuſcipit Hoſpitale.

„ Nos JOHANNES Dei gratiâ Dux Lotharin- „ gie Brabantie & Lymburgenſis notum facimus „ univerſis, quod Nos Fratres & Sorores Hoſ- „ pitalis Antwerpienſis & bona ſua univerſa, „ ubicumque ea habere dinoſcuntur, cum ſuis „ pertinentiis, juribus & poſſeſſionibus eorum- „ dem ſub noſtra protectione recipimus & con- „ ductu, Univerſis & ſingulis noſtris Juſtitia- „ riis firmiter precipiendo mandantes, ut pre- „ dictos Fratres & Sorores & ſuos nuntios „ cum omnibus bonis ſuis contrà quoſcumque „ injuriatores ab omni violentia & injuria de- „ fendant & in ſua poſſeſſione conſervent, nec „ permittant eos ab aliquibus indebitè moleſta- „ ri.

Ex Archivio Hoſpitalis.

„ Datum anno Domini MCC. nonageſimo „ ſexto, feriâ tertiâ poſt *Deus omnium*...

Eodem anno Antverpiæ exiſtens hic Princeps Beggardos noſtros in protectionem ſuſcipit & magna eis privilegia & exemptiones concedit per Diploma, quod refert Moens *Priv. III. Ord. S. Franc. pag.* 17. unde illud ſubjungo. Ex eo autem patet, Beggardos hoc tempore hic conventualiter vixiſſe.

Princeps Beggardis privilegia concedit.

„ UNIVERSIS præſentes Litteras viſuris Nos „ JOANNES Dei gratiâ Dux Lothar. Brabant. „ & Lymburg. notum facimus, quod Nos „ Fratres BEGGARDOS manentes in Conventu „ eornm apud Antverpiam, atque res eorum uſ- quequa-

Diploma deſuper.

Anno 1296. „quequaque, ſub noſtra protectione ſuſcipientes, „abſolvimus ab omni ſervitio talliarum, pre- „cariarum, exactionum & expeditionum No- „bis ac noſtris faciendo, & quietos eſſe volu- „mus, liberos & ſolutos, dantes ſibi has ma- „nuſcriptas Litteras ſigillo ſigillatas in teſtimo- „nium ſuper eo. Antverpiæ anno Domini „MCC. nonag. ſexto, die veneris ante feſtum „B. Mariæ Magdalenæ.

1297. Dilatatio Civitatis. Cum Antverpienſium mercatura indies progreſſum faceret, populus ita multiplicabatur, ut mœnia eum capere non poſſent, & ſic plurimi extrà muros ſedem figere cogerentur, ubi tutò ſatis mercaturam exercere non poterant. Senatus itaque & Communitas ſtatuerunt dilatare Civitatem & ita producere mœnia, ut maxima multitudo inhabitans ſuburbia includeretur. Sed cum magni opus hoc conſtaret, recurſum eſt ad principem, ut authoritate ejus omnes intrà ambitum Dilatationis habitantes cogerentur contribuere, ad opus hoc perficiendum, quod & obtinuerunt per diploma, quod ſubjungo ex manuſcripto, in quo ad caput legebatur: *Copia deſumpta ex ſecundo Lib. Priv. Civitatis Antverpienſis.*

1298. „UNIVERSIS præſentes Litteras inſpecturis „Nos JOHANNES Dei gratiâ Lotharingiæ, „Brabantiæ & Lymburgiæ Dux.

Diploma Principis deſuper. „Notum facimus, quod, cum Opidani „noſtri Antverpienſes ad ſuam & noſtri Opidi Ant- „verpienſis utilitatem & ſecuritatem evidentem „novam ordinaverint firmitatem in circuitu dicti „noſtri Opidi & Suburbii conſtruendam, quæ „ſine expoſitione ſumptuum & laborum non „poterit conſummari, Scabinis noſtris dicti lo- „ci committimus per præſentes, ut convocatis „ad hoc ſenioribus & ſapientioribus Opidi noſ- „tri ejuſdem, ſuprà homines univerſos infrà

„ambi-

„ ambitum ejuſdem firmitatis compræhenſos, cu- Anno
„ juscumque ſtatûs & conditionis exiſtant, ſe- 1298.
„ cundum eorum facultates providè & fideliter
„ certas conſtituant & aſſignent pecuniæ quanti-
„ tates pro opere & operis conſummatione firmi-
„ tatis ejuſdem perſolvendas, dantes Sculteto
„ noſtro... his Litteris in mandatis, ut eoſ-
„ dem ad ſolutionem faciendam in hac parte
„ compellat, ſi neceſſe fuerit efficaciter & coarctet.

„ Datum anno Domini Milleſimo ducenteſi-
„ mo nonageſimo octavo die Martis ante feſtum
„ B. Lucæ."

Hæc Civitatis dilatatio indubiè eadem eſt cum illâ dequâ legimus infrà ad annum 1314. ita ut occaſione hujus decreti hoc anno inchoata ſit, & demum illo anno cœperit compleri.

FINIS Tom. I.

Corrigendum.

Pag. 28. *Lin. ult.* DAGOBERTI II. *lege* DAGOBERTI I.

INDEX.

INDEX.

A

Abbatia Averbodienſis *prognata ex S. Michaëlis.* Pag. 153.
Abbatia Cameræ Monialium Ciſtercienſium *fundatur juxta Bruxellas.* 225.
Abbatia Frigidi-montis *Bruxellis fundatur.* 225.
Abbatia S. Gertrudis *Lovanii fundatur.* 225.
Abbatia S. Michaëlis *Fundatur à Capitulo Canonicorum.* 133. *Ad quod cedunt Norberto Eccleſiam cum capellis in ejus cemeterio & amplo territorio ac quatuor Prebendas.* Ibid. *Diploma Capituli deſuper.* 234. *Epiſ. Cam. approbat hanc fundationem.* 137. *Diplomata ejus deſuper.* 138. *Differentia in illis diplomatibus diſſenſionem cauſavit circa Privilegia.* 143. 153. *An manſerit Parochia & habuerit limites.* 144. *Erigitur in Abbatiam.* 150. *Abbatia ex ea prognata.* 152. *Series Abbatum.* 162. & ſeqq. *Profectus Abbatiæ.* 167. *Diſſidium cum Capitulo terminatur.* 168. & ſeqq. *Ampla ejus poſſeſſiones.* 170. *Acquirit Eccleſiam de Mercxplas & alias.* 172. *Fredericus I. Imp. eam ſuſcipit in protectionem.* 180. *Acquirit piſcationem in aquis Polderi.* 186. *Luytgardis Domina de Breda ei benefacit & in ea ſepelitur.* 188. *Religioſi*

ligioſi obtinent jus adeundi hæreditates. 278.
Acquirit Beerſchot. 176. *Abbas ejus commiſſarius Pontificius ad reformandum Ordinem Præm., quam perficit.* 209. *Cadit turris* 243. *Exemptio Præmonſtratenſium.* 281. *Obtinet minores juſtitias in Allodiis ſuis.* 316. *Bona illicitè diſtracta revocantur.* 320. *Dux Brab. confirmat jura ejus in Neder-ockerſeel.* 321. *Obtinet privilegium habendi Refugium in ſeptem Oppidis.* 329.

Abbatia Middelburgenſis prognata ex S. Michaëlis. 153.

Abbatia Tongerloënſis *prognata ex S. Michaëlis.* 153.

Adrianus PP. VI. *An fuerit Decanus Capituli Antverpienſis.* 305.

S. Ægidii Abbatis *cultus Antverpiæ.* 29.

B. Albertus magnus *conſecrat eccleſiam FF. Prædicatorum.* 368.

Aleydis vidua Henrici III. Duc. Brab. *regnat pro filiis per ſeptennium* 291. *Ejus pia opera. Epitaphium.* 292.

Altaria *quondam in medio Eccleſiæ ſub tholo.* 132.

S. Amandus Epiſcopus *primus notus Antverpienſium Apoſtolus* 11. *Ejus vita.* 12. *Epiſcopus ſine Sede.* 13. *Prædicat in Flandria.* 14. *Tendit Romam. Redit. Pellitur è Regno. Revocatur. Baptizat S. Sigebertum. Fundat Monaſterium Gandæ & Elnone.* 15. *Prædicat Antverpiæ & eccleſiam conſtruit.* 16. *fit Epiſ. Trajectenſis, ſedem illam deſerit poſt tres annos.* 17. *Romæ obtinet privilegia pro eccleſiis à ſe fundatis.* 20. *Redit.* 21. *Condit teſtamentum, quod refertur.* 23. *Moritur. Cultus ejus Antv.* 25. *Commendat Eccl. Antv. Abbati de Quortolodra.* 25. *Patronus illius Eccleſiæ.* 53.

Antverpia *condita, à quo.* 2. *ubi.* 3. *Ethimologia nominis.* 4. *Degit ſub Regibus chriſtianis*

140. *annis ante adventum S. Amandi.* 7. 11. *Sub Regno Sueſſionenſi ſeu Neuſtria.* 8. *Sub quo Epiſcopatu olim fuerit.* 43. *Vaſtatur à Normannis.* 52. *Sub Regno Lotharingiæ.* 54. *Fert titulum* Comitatûs, *dein Marchionatûs.* 68. *Principes ſubalterni, quibus paruit.* 69. *Inficitur ab hereſi Tancheliniana.* 88. *Qualis fuerit hæc infectio.* 118. *Incrementum in ea Cultûs divini.* 147. *Fidelitas ejus laudatur à Frederico* I. *Imp.* 180. *Dilatatur.* 181. *Obtinet eminens privilegium circa denuntiationes ante-nuptiales.* 193. *ſubjacet Interdicto.* 229. & 258. *Hereſi infecta.* 272. *Decretum Principis circa dilatationem civitatis.* 348.

Antverpia (Gerardus de) *ſcriptor.* 299.

Audergem *Cœnobium Dominicanarum fundatur.* 292.

S. Autbertus Epiſ. Cameracenſis. *Cultus ejus Antverpiæ.* 27.

B

S. Bavo. *Ejus converſio.* 21. *Cultus ejus Antverpiæ.* 22.

Beggardi *Adveniunt. Nomen. Modus vivendi.* 200. *An inſtitutum mutuaverint ab Humiliatis Italis.* 201. *Similes Congregationes hodie in Belgio.* Ibid. *Quando ceperint vivere in communi.* 202. *Dicti Fratres de pœnitentia.* Ibid. *Aſſumunt Regulam.* 322. *Obtinent Privilegia.* 323. *Habitus illorum.* 324. *Obtinent Privilegia à Principe.* 347.

Begginagiorum *Origo.* 239. & ſeq. *Ethimologia nominis.* 241. *Non ſunt approbata à S. Sede.* 243.

Begginagium *Antverpiæ. quo loco.* 242. *Inſtitutum. Habitus. Obtinent jus ſepulturæ & Ca-*

pellæ

pellanum 243. *Joan. I. Brab. Dux Begginas in protectionem ſuſcipit* 317.
S. Blaſii Epiſcopi *cultus Antv.* 5.
Bouchout *ejus ethimologia* 40. 193.
Borgerhout. *vetuſtas iſtius nominis.* 192.
Brabantia *Interdicto ſubjacet.* 187.
Brugis *ſecantur Prebenda.* 236.
Burchardus Epiſ. Cam. *transfert Perſonatum Eccl. Antv. in Capitulum* 108. *Conſulit capitulo, ut advocent S. Norbertum.* 117. *Approbat fundationem Abbatia S. Michaëlis.* 138.

C

Capellæ *Quot Antverpiæ.* 148.
Capella *B. M. ad ſtipidem* 131. *Augetur & conſecratur pro canonicis.* 132.
Capitulum Canonicorum Antverpiæ *Fundatur à Godefrido Bullonio.* 75. *Id recognoſcit capitulum* 79. *Obtinet ab eo Decimas.* 76. *An anteà extiterit.* 80. *Primævus canonicorum numerus. Collatio Prabendarum. Veſtitus.* 81. *Decima injuſtè auferuntur* 87. *Petit reſtitutionem decimarum à Principe, & ut fiat ſui juris ab Epiſcopo.* 107. *Obtinet utrumque* 108. & ſeq. *Imperator confirmat reſtitutionem decimarum.* 111. *Difficultas in adeunda poſſeſſione.* 113. *Obtinet jus infligendi cenſuras* 114. *Princeps mandat Senatui, ut protegat capitulum* 115. *ceſſant difficultates* 117. *vigilantia ejus contra Hereſim* Ibid. *Recurrit ad Epiſcopum. Advocat S. Norbertum* Ibid. *An canonici fuerint infecti Hereſi Tanchelinianâ* 128. *Intendit Norberto fundare monaſterium* 131. *Tranſmigrat* 132. *Fundat & dotat Abbatiam S. Mich.* 133. *Qualiter redactus numerus canonicorum.* 137. *Epiſ. Cam. approbat fundationem.* 138.

Imperator approbat tranſlationem Capituli ad S. Mariæ 151. *Diploma ejus deſuper* 152. *Diſſentiones inter Capitulum & Abbatiam S. Michaëlis terminantur* 155. *Diploma Epiſ. Cam. deſuper* 156. *Acquirit Perſonatum de Hoboken.* 160. *Oblationes conceſſæ Abb. S. Mich.* 170. *Numerus Canonicorum auctus ad XII.* 171. *Acquirit Perſonatum de Wortel & Nylen* Ibid. *Fredericus Imp. confirmat ejus poſſeſſiones.* 173. *Obtinet à Pontifice confirmationem Eccleſiarum in Poldero.* 176. *Obtinet Perſonatum de Vorſel & Malle.* 180. *Soerſel & Vlimmeren.* 181. *Fundatur una Prabenda* 182. *an fuerit perpetua* 185. *Collatio præbendarum ſpectat ad Capitulum* 183. *Decimæ & bona de Millegem confirmantur capitulo* 184. *Obtinet Foſſatum ad conſtruendum clauſtrum* 189. *Quid Foſſatum* 191. 275. *Intendit ſectionem Prabendarum. Conſenſus Epiſcopi. Cam.* 233. *Decretum capituli deſuper* 234. *confirmatur. Qualiter obſervatum.* 235. *communes ſimiles ſectiones in Belgio.* 236. *acquirit homines ſervilis conditionis.* 255. *Decernitur annihilatio Præpoſituræ & erectio Decanatûs* 281. & ſeqq. *Fructus decano aſſignati.* 284. *ad quid deſtinati fructus præpoſituræ.* Ibidem *canonici nihil percipiunt in abſentia.* 285. *ſeries Præpoſitorum.* 286. *contentio cum principe de decimis & perſonatu in Stabroek.* 288. *concordatum cum FF. prædic.* 293. *Diſſentiones cum Senatu terminantur.* 295. *acquirit perſonatum de ſchooten & Merxem.* 296. *confirmat Epiſcopus, & decernit fructus pro diſtributionibus.* 297. *Mortuo Præpoſito eligitur primus Decanus.* 303. *Series Decanorum.* 304.

Capitulum Canonicorum *Bruxellenſe fundatur.* 225.

Capitulum Canonicorum Liræ *obtinet Perſonatum & jus Patronatûs ejuſdem Eccleſiæ.* 226.
Capitulum XII. Canonicorum *Thenis fundatur.* 225.
Carlomannus *Rex.* 60.
Carolus Calvus *Francorum Rex* 55. *moritur. Ejus pia opera.* 59.
Carolus Lotharingiæ Dux *filius Lotharii III. Regis Francorum.* 63.
Carolus magnus Imp. *Rex* 46. *moritur. Ejus pia opera.* 50.
Carolus ſimplex *Rex* 60. *moritur. Ejus pia opera.* 62.
S. Catharina *quandonam cœperit coli ut Patrona in Eccleſia Burgi.* 59.
Cella D. Mauri in Burgo. *Ejus origo* 26. 321. *pro Monachis Quortolodrenſibus.* 27. *Dein Epternacenſibus.* 38. 42. *Readificatur.* 53. 66. *Transſcribitur Affligemienſibus* 81.
Childebertus *Rex. Moritur. Ejus pia opera.* 28.
Childericus I. *Rex* 7.
Childericus II. *ejus pia opera.* 22.
Childericus III. Rex. *Ejus pia opera. Moritur.* 46.
Chilpericus Francorum Rex. *Ejus pia opera.* 9.
Chilpericus II. *Ejus pia opera.* 28.
Clerus *in eccleſia Burgi tempore S. Willibrordi* 35. *Augetur per fundationem Capituli* 75. *Clerus numeroſus Antverpiæ tempore Tanchelini.* 89. *Redditur contemptibilis.* 94. *Agitur pro reſtitutione Cleri apud Principem & Epiſcopum.* 107. *augetur per ſectionem Canonicatuum & per admiſſionem FF. Prædicatorum.* 232. & ſeqq.
Clodoveus I. Francorum Rex *baptiſatur. Ab eo tempore antverpia manſit ſub Regibus chriſtianis* 7. *Moritur.* 8.

Clodoveus II. *Rex* 17.

Clodoveus III. *Rex. ejus pia opera.* 27.

Clotarius I. Rex Franc. *Ejus pia opera.* 9.

Clotarius II. Rex. *Ejus pia opera.* 10. *Moritur.* 22.

Clotarius III. *ejus pia opera.* 22.

Cornelii (Willelmus) *Canonicus Antv. Hereticus.* 237. *Errores ejus, unde. Poſt mortem exhumatus & combuſtus.* 232. *Sectatores.* 239. *Hereſis ejus graſſatur.* 272. & ſeqq.

Corpus Domini *contemptui erat apud Tanchéliniſtas. Illud occultant* 105. *Referunt ad S. Norbertum & reſtituitur honori.* 130.

Conſtantinus magnus *libertatem dat Eccleſiæ. Fundat monaſterium Treviris.* 5.

D

Dagobertus I. Francorum Rex. *Ejus pia opera.* 10. *Moritur.* 16.

Dagobertus II. dictus III. *Moritur.* 28.

Decanatus *in Capitulo Antv. decernitur erigendus.* 282. *Ad effectum deducitur & eligitur primus Decanus.* 303. *Series Decanorum.* 304.

Decimæ *redduntur edibiles. Quare.* 99. *Etiam hodie.* 100.

Deurne *vaſtatur à Nortmannis.* 52. *An fuerit oppidum.* 53. *Queſtio inter Parochianos & Abb. S. Mich. terminatur per ſententiam Arbitralem.* 190. *Notanda in illa ſententia.* 192.

Diphtungorum æ & œ *uſus ſeculo XII. & deinceps.* 138.

S. Dympna *ejus cultus Antv.* 12.

E

S. Eligius *Epiſ. Tornacenſis.* 17. *Prædicat Antv.*

Ejus vita. 18. *Moritur. Cultus ejus Antv.* 19. *ſcripta ejus.* 20. *Aſſumitur Patronus Eccleſiæ in Burgo.* 53. *Eſt primarius Patronus.* 58.
Epiſcopatus. *Sub quo olim fuerit Antverpia. Mandatur erectio Epiſcopatuum fruſtrà* 43.
Epiſcopi indeterminatæ ſedis *non prædicabant ſine conſenſu Epiſcopi loci,* 13. 42.
Epternacenſis Abbatia. *S. Willibrordus tradit ei Eccl. Antv.* 39. *Monachi ejuſdem inhabitant cellam D. Mauri.* 42. *Poſt devaſtationem per Nortmannos redeunt & reſtaurant cellam D. Mauri & eccleſiam.* 53. *Abbatia devaſtatur & monachi fugantur.* 55. *Reſtituuntur monachi. An redierint Antverpiam.* 63. *Redeunt Antverpiam ad cellam Divi Mauri.* 65.
Everwacherus *diſcipulus Tanchelini. Ejus gravamina.* 97.

F

Fides *promulgata per Belgium.* 1. *Prædicata* 5. *Tanchelinus eam odibilem reddit.* 97. *Reſtituitur.* 107.
Francorum *irruptio. Reges eorum pagani.* 6. *Earum Regnum diviſum.* 8. *& iterum,* 9. *&* 54.
S. Fredegandi *Reliquiæ Antv.* 52.
Fredericus *Marchio. Ejus pietas.* 70.
Fredericus I. Imp. *confirmat Capitulo ſuas poſſeſſiones.* 174. *Laudibus attollit Antverpienſes* 180.
Furnis *Præbendæ ſecantur.* 296.

G

S. Gaugericus Epiſc. Cameracenſis. *Cultus ejus Antu.* 10.
S. Georgii *cultus Antverpiæ.* 5.

S. Gertrudis *cultus ejus Antv.* 22.
S. Germani Epiſ. Pariſienſis *cultus Antv.* 10.
Gerungus miles de Antverpia *benefacit Hoſpitali.* 223.
Gildæ nomen, *quibus olim datum.* 96.
Godefridus barbatus ſenior *Marchio. Ejus pia opera.* 70.
Godefridus Barbatus junior *marchio. Decimas à Capitulo ablatas retinet.* 88. *Agitur apud ipſum pro reſtitutione Decimarum.* 107. *Reſtituit.* 108. & ſeq. *Imperator hoc confirmat.* 111. *Ei ſufficitur alius in Marchionatu.* 165. *Moritur.* Ibid. *Ejus pia opera.* 166.
Godefridus II. *Marchio. Ejus pia opera.* 166.
Godefridus III. *Marchio.* 167. *Moritur.* 177. *Ejus pia opera.* 178.
Godefridus bullonius *Marchio.* 71. *Ejus Pater, Mater, Fratres.* 72. *Ejus vita.* 73. *Pia ejus dotationes.* 74. *Fundat Capitulum Antverpienſe* 75. *Inductus à Clero & Populo.* Ibid. *Confert illi Decimas.* 76. *ſumit Crucem. Vendit Ducatum Bullonienſem.* 82. *Diſcedit in Paleſtinam. Heroica ejus Actiones.* 83. *Jeruſalem primus ingreditur.* 84. *Pietas ejus. Eligitur Rex. Victoria ejus.* 85. *Piæ illic fundationes. Moritur. Epitaphium & ſcripta ejus.* 86. *An recenſendendus inter Beatos.* 87.
Godefridus Bredæ Dominus *benefacit variis Antverpiæ.* 266.
Godefridus gibboſus *Marchio.* 71.
Gothilo ighavus *Comes Antverpienſis.* 70.
Gozilo *Comes Antverpienſis.* 68. *Fit Dux Lotharingiæ.* 69. *Filius ejus fit pontifex.* Ibid.
S. Gudila *ejus cultus Antv.* 28.
S. Gummari *cultus Antv.* 47.

H

Henricus I. Brab. Dux *primus tulit titulum*

Braban-

Brabantiæ Ducis & Marchionis Rom. Imperii 179. *Nomen dedit in ſacram expeditionem* 188. *Moritur. Ejus pia opera* 224. *Fundationes.* 225. *Pia dona* 126. *Epitaphium.* 227.
Henricus II Brabantiæ Dux *Marchio Benefacit Abb. S. Michaëlis & hoſpitali* 228. *Moritur. Ejus pietas & munificentia* 271
Henricus III. Brab Dux *Marchio.* 272 *Moritur.* 290. *Ejus pia opera* 291. *Epitaphium* 292.
Henricus *filius natu maximus Henrici III. Brab. Ducis cedit jus ſuum fratri Joanni, & fit Monachus* 298.
Henricus Imperator *confirmat Capitulo reſtitutionem Decimarum factam à Godefrido.* 111.
S. Henricus II. Imp. *Rex Moritur. Ejus pia opera.* 67.
Henricus Limburgenſis *Marchio. Aufert decimas à Capitulo* 87.
Hoboken *Perſonatum ejus acquirit Capitulum* .160.
Hoochſtraten *Patronatus ejus cedit Capitulo Antverpienſi.* 318 *Hodie jus illud poſſidet Dux Hoochſtratanus.* 319.
Hoſpitale Aſchæ in Brab. *derivatum ex antverpienſi.* 266.
Hoſpitale S. Eliſabethæ Antv *quando & ubi cum utriuſque ſexûs religioſis fundatum.* 185. & ſeqq. *Pontifex in protectionem ſuſcipit.* 195 *Olim titulum ferebat S. Mariæ, dein S. Eliſabethæ. Mutationis occaſio.* 196. *Petit Capellam & ſacerdotem proprium.* 197. *Breve Pontificis deſuper ad Epiſ. Cam.* 198. *Obtinet capellam* Ibid. *Bulla cur inſcripta ſolis Fratribus* Ibid. *fuit ſemper ſub immediata cura Epiſcopi.* 199. *Benefactores. Henricus Dux concedit Telonium lignorum.* 102. *Alios ad contribuendum excitat.* 203. *Senatus Privilegia concedit contribuentibus.* 204. *Henricus Noſe ſcabinus confert bona pro ſuſtentatione ſacerdotis.* 205. *Confirmantur Hoſpitali per Principem.* 206. *Petit iterum ſacerdotem proprium. Breve Pontificis deſuper ad Epiſ.*

Epiſ. Cam. 210. *Obtinet. Litteræ capituli deſuper* 211. *Epiſ. cam. præſcribit ſtatuta.* 212. *Novitiatus ſex menſium.* 213. *Septem Sorores & tres Fratres.* 214. *Numerus ſororum difficulter obſervatur.* 214. & ſeqq *Augetur.* 217. *An Fratres & Sorores fuerint laïci.* 218. *An Fratres deſierint.* 219. *Obligatio circa ægrotos* Ibid *Directio bonorum* 220. *Obtinet licentiam celebrandi divina tempore interdicti* 229. 258. *Parat locum ad tranſmigrandum ad propriam curtim in ſuburbio, cui ut commodiori loco ad viam locaretur, cives adjiciunt partem fundi.* 230. *Obtinet jus ſepulturæ & amortizationem dicti fundi.* 231. *Transfertur.* 232. *Pontifex ei confirmat bona ſua.* 257. *Pontifex approbat Ordinem in hoſpitali inſtitutum.* 260. *Emit Decimas in Weſtweſel.* 267. *Princeps facit eas alodiales.* 268. *Moniales obtinent jus adeundi hereditates.* 269. *Jus obtinendi decimas novales, ubi habent veteres.* 279. *Erat tunc in poſſeſſione illius juris.* 280. *Perſonatus de Weſtweſel ei confirmatur.* 287. *Obtinet terras in Bremdonc & Micke.* 315. *Bona illicitè diſtracta revocantur* 320. *Abuſus quidam reformantur.* 330. *Loca Monialium vocantur Præbendæ.* 336. *Statuta commiſſariorum Martini PP. V.* 338. *Religioſæ vocantur Domicellæ.* 339. *Difficultas circa decimas & Perſonatum de Weſela terminatur.* 342.

Hoſpitalia *Dubium an Religio, in illis inſtituta, ſit approbata.* 258. *Reſolvit Epiſcopus.* 265.

S. Hubertus Epiſ. Trajectenſis. *cultus ejus antiq.* 45.

S. Humbertus Abbas *an prædicaverit antiq.* 20.

I

Idololatria *extirpatur.* 6.

Joannes I. Brabantiæ Dux *Marchio.* 298. *benefacit Abb. S. Mich. & Hoſpitali.* 316. *Moritur. Ejus pia opera.* 340.

Joannes II. Brabantiæ Dux Marchio. 342.

S. Job

S. Job in't Goor. *Patronatus ſpectat ad capitulum.* 298.
Iſabella Domina de breda *benefacit Hoſpitali.* 315.

L

S. Lambertus Epiſ. Tungrenſis. *ejus cultus antv.* 28.
S. Lebuinus. *ejus cultus antv.* 50.
Leproſaria *unde in belgio.* 207.
Leproſarium Antv. *vulgo* Ter zieken. *Vetuſtiſſima ejus memoria.* 207. *Ubi ſitum.* 208. *Induit formam monaſticam* Ibid. *Epiſcopus Cameracenſis præſcribit ſtatuta* 221. *Numerus ſororum & fratrum. Novitiatus quatuor menſium. Obtinet capellam & ſacerdotem proprium* 222.
Leproſarium *in ſuburbio.* 223.
Leproſarium Ter-banck *juxtà Lovanium fundatur.* 225 *Religioni mancipatum* 208.
Lietardus Epiſ. Cam. *terminat diſſentiones inter capitulum & abb. S. Mich* 155. *Diploma ejus deſuper* 156. *confert capitulo Perſonatum de Hoboken.* 160.
Lotharius Imp. *Rex.* 54. *Moritur monachus. Ejus pia opera* Ibid.
Lotharius II. *Rex. Moritur. Pia opera* 55.
Lotharius III. *Rex Francorum.* 63. *cedit has regiones Othoni II Imp. Ejus pia opera* 64.
Lotharius Imperator *confirmat tranſlationem capituli ad S Mariæ.* 151. *Diploma ejus deſuper* 152.
Ludovicus Balbus Imp *Rex.* 59.
Ludovicus III. *Rex.* 60.
Ludovicus pius Imp. *Rex.* 51. *Moritur. ejus pia opera.* 54
Ludovicus tranſmarinus *Rex. Ejus pia opera.* 62.

M

Malle *capitulum acquirit altare ejus.* 180.
Manaſſes diſcipulus Tanchelini. *Ejus gravamina.* 96.
Marchionatus S. R. J. *Origo illius tituli.* 68.

S. Maria

S. Maria *Patrona civitatis ſub titulo aſſumptionis*. 174.
S. Martinus Epiſ. Turonenſis. *Ejus cultus antv*. 6.
Mathildis *Marchioniſſa*. *Ejus pietas*. 71.
Merxem *capitulum acquirit Perſonatum ejus*. 296.
S. Michaëlis Abbatia *vide* Abbatia.
S. Michaëlis Eccleſia. *Ejus origo* 61. *fit Parochialis* Ibid. *Fundatur in ea capitulum XII Canonicorum*. 75. *canonici eam donant* S. *Norberto & ſociis & fit Abbatialis*. 133. *an tunc manſerit Parochialis*. 143.
Middelburgenſis Abbatia. *prognata ex S. Mich*. 153.
Milites templi *obtinent jus quotæ ſibi contribuendæ à feudatariis, qui relevium debent curiæ Principis*. 167.
Miſſa Parochialis *duplex indies in Parochiali Eccleſia antv*. 328.
Monaſteria *monialium antverpiæ*. 148.
Monaſteria *Virorum antverpiæ*. 148.
Monaſteriorum *priſtina forma*. 254.

N

Naeldewyck. *ſecantur illic Præbendæ*. 236.
S. Nicaſii Epiſcopi *cultus Antv*. 6.
Norbertinæ *fundantur*. 152. *Transfertur earum monaſterium & Eccleſia*. 162. *Manſerunt ſub cura abbatiæ. S. Michaëlis*. 173.
S. Norbertus *agebat Coloniæ, dum Tanchelinus ibidem erat incarceratus*. 99. *Vocatur antverpiam*. 117. *Qualis fuerit*. 118. *Ejus vita inordinata & converſio*. 119. *Petit Ordines* . 120. *celebrat primam Miſſam*. *Prædicat*. 121. *Accuſatur in concilio*. *Reſignat Beneficia*. 122. *Diſcedit ad Gelaſium PP. II. Accipit poteſtatem predicandi ubique*. 123. *Redit valencenas* Ibid. *Viſitat Burchardum Epiſ. Cam*. 124. *Sociat ſibi Hugonem & Prædicat*. Ibid. *Tendit iterum ad Pontificem*. 125. *Obtinet Præmonſtratum*. *Aggregat ſocios*. 126. *aſſumunt & profitentur Regulam S. Aug*. 127. *Vocatur & venit antverpiam*. Ibid. *Pictura repræſentans hunc adventum*. 128. *Obtinet Eccleſiam S. Michaëlis cum fundo ad erigendum*

gendum monaſterium. 133. *Locat in eo ſocios, quos ſeligunt antverpienſes.* 146. *Obtinet confirmationem Ordinis à Pontifice.* 149. *Eligitur Archiepiſcopus Magdeburgenſis.* Ibid. *Ejus Humilitas.* 150 *Concedit Monaſteriis à ſe fundatis, ut eligant ſibi abbates, ſine Mitra* Ibid. *Moritur. Cultus ejus.* 151.
Normanni *antverpiam vaſtant & incendunt.* 52. *Eorum devaſtationes. Ceduntur juxta Lovanium* 60.
Noſe (Henricus) *canonicus antv. legat Bibliothecam FF Prædic.* 299. *Litteræ ejus deſuper, in quibus ſpecificantur libri.* 300. *Benefacit pluribus.* 302. *Fit primus capituli Decanus.* 303. *Moritur.* Ibid *ſeries ſucceſſorum.* 304.
Nylen *Perſonatum ejus acquirit Capitulum.* 171.

O

Officialis *an poſſit ſubstituere judicem.* 192.
Olmeremuthen *Ubi ſitus ille locus.* 78.
Otto II. Imp. *Rex noſter moritur. Ejus pia opera.* 64.
Otho III. imp. Rex. 65. *Moritur. Ejus pia opera.* 67.

P

Pain d'Abbè, *vide*, Præbenda.
Parochia Antverpienſis *quam latè olim ſe extenderit.* 89. *an tempore Tanchelini tantum unus fuerit ſacerdos.* Ibid. *Erat unicus ſacerdos parochialis, ſicut hactenùs eſt Liræ.* 90.
Parochiæ *quot hodie antverpiæ.* 147.
Perſona *inter canonicos, quis dicatur.* 192.
Perſonatus Eccl. Antverpienſis *devolvitur ad Epiſ. Cameracenſem.* 56. *Transfertur in capitulum Matricis eccleſiæ.* 108.
Pictura *repræſentans adventum S. Norberti.* 128.
Pipinus de Landis *an Dux Brabantiæ.* 10.
Pipinus Rex *ejus pia opera. Moritur.* 46.
Plebani *B M. ante diviſionem Plebaniæ.* 136.
Pontifices *qualiter in bullis terminant annos* 201.

Præbendarum ſectiones *communes in Belgio.* 236.
Præbendæ *vocantur loca in monaſteriis. Abuſus in conferendis antequam vacent.* 331.
Præbenda *vulgo* Pain d'Abbè *conferebatur ab Epiſcopis, etiam antequam vacaret.* 332. & ſeqq. *confertur per Principem.* 335.
FF. Prædicatores *viſitant antverpiam.* 232. *Vocantur antverpiam.* 243. *agente Epiſ. Cam. propter infectionem per hæreticos.* 244. & 274. *Quare illi potiùs quam alii.* 245. *Vocantur per Ducem Brab., per Epiſcopum, per archidiaconum antverpienſem & per Senatum.* 246. *Epiſtola Ducis deſuper ad capitulum provinciale argentorati.* Ibid. *Epiſtola Epiſcopi.* 247. *Epiſtola Senatus.* 249. *Capitulum Provinciale ſtatuit mittere quatuor, donec capitulum generale concedat plenum conventum.* 250. *Reſponſum capituli deſuper ad Epiſcopum.* Ibid. *ad Senatum.* 251. *Mandatum capituli ad Suppriorem Lov., ut vadat antverpiam cum tribus ſociis* 252. *Recipiuntur & aſſignatur eis locus.* 255. *acquirunt fundum ad tranſmigrandum.* 276. *Tranſmigrant.* 277. *Pius eorum zelus.* 278, *Territorium ipſorum augetur.* 292. *conſtruunt cœnobium & templum.* 292. *concordatum inter Fratres & capitulum.* Ibid. & ſeqq. *Templum eorum conſecratur.* 308. *Litteræ B. Alberti magni deſuper* Ibid. *Diſſentio cum capitulo circa illectiones ad ſepulturam terminatur.* 345.
Prædicatores *Lovanii fundantur.* 292.
Præmonſtratenſium *monaſteria utriuſque ſexûs abrogantur.* 161.
Præpoſitus Capituli *habet quartam partem Decimarum à ſantvliet uſque Olmeremuthen.* 112.
Præpoſitura Capituli Antv. *annihilatur.* 281. *Series Præpoſitorum.* 286.
S. Præputium Chriſti *antverpiam allatum* 104. *Repoſitum in Eccleſia S. Michaëlis. cultus ejus.* 105. *Transfertur cum capitulo ad B. M.* 145. *Miraculum in viſitatione Epiſcopi.* 146.
Proclamationes antenuptiales. *Eminens deſuper Privilegium antverpienſium à Pontifice.* 193.

Q

Quortolodra Abbatia *qualis & ubi ſita. committitur ei cura Eccl. antv.* 25. 26. *abbas reſignat Eccl. antv. Obtinet in compenſationem locum Timme Quis iſte locus.* 29.

R

Rauchingus *primus notus antverpiæ Princeps ſubalternus* 29. *abbas de Quortolodra in manus ejus reponit Eccl. antv.* Ibid. *Eam tradit S. Willibrordo.* 30. *Diploma ejus deſuper.* 33. *alia donatio ejuſdem.* 35. *Rauchingus & Bebelina ejus conjux quales fuerint.* 37. *an fuerint Principes antverpiæ.* Ibid.
S. Remigius Epiſcopus Remenſis *Baptizat Clodoveum I. Francorum Regem.* 7. *cultus ejus antverpiæ.* Ibid.
S. Rumoldi Epiſ. *cultus antverpiæ.* 47 *Vetus teſtimonium ſanctitatis ejus.* 61.
Rycke-vorſel *capitulum acquirit Perſonatum.* 180.

S

Santvliet. *Quondam fortalitium.* 78.
Schooten. *Capitulum acquirit Perſonatum ejus.* 296.
Soerſel. *capitulum Patronus ejus.* 181.
Stabroek *contentio inter capitulum & Principem ſuper decimis & Perſonatu ejus* 288. *Epiſ. eos decernit capitulo. Scribit deſuper ad Principem.* 289. *Princeps eos relinquit capitulo.* 290.
Stephanus PP. X. *filius Comitis antverpienſis.* 69.

T

Tancheliniſtæ *profecuti occultant corpus Domini,* 105. *Quod referunt S. Norberto.* 130.
Tankelmus vulgo Tanchelinus *Hæreſiarcha ſeducit antverpienſes. Qua occaſione.* 88. *An tunc tantum fuerit*

fuerit unus ſacerdos. 89. Quis fuerit. Unde. Laicus. 91. Doctrina, Modus prædicandi. Præſumptio 92. Hereſes ſimiles alibi. 93. Quatuor coævi de eo agunt: primò clerus Ultrajectinus. Epiſtola ejus ad Epiſ. Colonienſem. 93. & ſeqq. deſcribit ejus errores & modum divulgandi. 94. ſe Deum dicit. 95. S. Mariam ſibi deſponſat. 96. Scelera Diſcipulorum ejus Ibid. Monachum mentitus Coloniæ detinetur captivus. 97. ſecundò de eo ſcribit Abailardus. tertiò Auctor vitæ S. Norberti. 101. quartò Robertus de Monte 102. Quid egerit antverpiæ 103. Et quo tempore Ibid. Evadit è carcere. Brugis pellitur. 104. Tanchelinistæ repreſſi in allatione S Præputii. 105. Ea occaſione occultant corpus Domini Ibid. trucidatur Tanchelinus. Hereſis ejus perſeverat. 106. Nocuerat plurimum ſtatui eccleſiaſtico. 107.

Teſtamenta coram proprio ſacerdote. 295.

Teutonici Ordinis Equites antverpiæ. Obtinent à Principe libertates in Schaldi. 313. & Domum nunc dictam het Reuſen-huys. 314. & partem mœnium ibidem. Ibid.

Theodoricus I. Rex. 23. Ejus pia opera. Moritur. 27.

Theodoricus II. Rex. 28. Ejus pia opera. Moritur. 41.

Tornacenſium converſio. 7.

Tornaci ſecantur Prebendæ. 236.

Tumme quis & ubi iſte locus. 29.

Turris Croneburgica Ejus origo. ut Marcha Imperii. 65.

V

Victorinæ moniales vocantur antverpiam. 309. Recipiuntur. Titulus Cœnobii. Fundatrix. 310. Obtinent jus ſepulturæ 311 conſecratur cœmeterium. 312. Fundatur cura illarum. 324. Bona & domus aſſignata Paſtori. 325. Ad quem ſpectet collatio ejus 328.

Vlimmeren. capitulum Patronus ejus 181.

S. Wal-

W

S. Walburgis *antverpiæ. crypta ejus & Reliquæ in eccleſia Burgi.* 48. *cultus ejus antv.* 49. *Quando & puomodo cœperit.* 50. & 55. *aſſnmpta in Patronam Regni.* 56. *Inde cultus ejus celebris in Belgio.* 57. *ſit Patrona & Titnlaris Eccl. in Burgo.* 58.

S. Walburgis Eccleſia *conſtruitur à S. Amando. an fuerit prima.* 16. *cura ejus traditur Abbati de Quortolodra.* 25. *S. Willibrordo.* 33. *Willibrordus eam tradit Epternacenſibus.* 38. *Reædificatur & conſecratur in bonorem SS. Amandi & Eligii* 53. *Tertia Patrona S. Walburgis quæ ſit talaris.* 58. *Quatuor colit patronos* Ibid. *Dicitur capella.* 177 *capella iſta reædificatur & conſecratur.* 274. *Inſtituitur in ea Sacerdos ſecularis dictus Plebanus.* 274.

Waltmannus *Primus Abbas S. Michaëlis.* 150. *Moritur.* 162. *Ejus ſucceſſores ſine mitra & mitrati* Ibid. & ſeqq.

Willemus Cornelii-*vide* Cornelii.

S. Willibrordus *quis fuerit.* 30. *Ordinatur Epiſcopus. Belgium peragrat. Obtinet ubique donationes.* 31. & ſeqq. *Eccl. antverpienſis ei traditur.* 33. *Tradit eam Abbatiæ Epternacenſi.* 38. *Teſtamentum ejus.* 39. *Moritur.* 45. *cultus ejus antv.* 46.

Wortel *Perſonatum ejus acquirit Capitulum.* 171.

Wyneghem (Ægidius) Decanus Capituli Antv. *fundat curam paſtoralem Victorinarum.* 324. & ſeqq.

Wynegem. *Ejus Perſonatus.* 36.

APR 22 1921